fl. 4

SPECULUM VERIDICUM,

In cujus Primâ Parte

Sincere repræsentantur errores, refelluntúrquè prava

JANSENIANORUM,

& aliorum

NOVAUGUSTINIANORUM

dogmata.

Vindicatur Constitutio Santissimi Patris p. m. CLEMENTIS XI. Pont. Max. quæ incipit: *Unigenitus DEI Filius. &c.*

Deinde

Confutatur Libellus Planctuum PASCHASII QUESNELLI Jansenistæ, contra dictam Bullam; explicanturquè genuinè juxta mentem S. Rom. Ecclesiæ 101. propositiones damnatæ ejusdem Auctoris.

In Secundâ Parte.

CALVINISTARUM & LUTHERAN.

Theologia proponitur, ac eorum prava doctrina antilogiarum demonstratur, & solvitur Catholicè.

JUSSU

Illustrissimi & Reverendissimi Officii Consistorialis Culmensis, á quodam Presbytero Romano Catholico, Theologo Polono, Janseniani erroris hoste capitali in multis auctum.

REIMPRESSUM An. Dn. 1725.

Cathedræ Petri consocior; qui tecum Phase non comedit profanus est, & qui non fuerit in Arca, peribit regnante diluviô. S. Hieron. ep. ad Damas. Pap.

DEUM non habebit Patrem, qui ECCLESIAM non habuerit Matrem. non enim est minus necessaria charitas, atque unitas, quam Gratia vel Fides; nec minus officit schisma salutis æternæ, quam hæresis manifesta. S. Cypr. adv. Montanistas, & Aug. adv. Donatistas.

Qui se a Romana Ecclesia segregat, vere est habendus hæreticus. S. Ambr.

Pars

CELSISSIMO
JLLUSTRISSIMO
EXCELLENTISSIMO
ac
REVERENDISSIMO
DOMINO,
D. THEODORO
à POTOK
POTOCKI,
DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ

ARCHIEPISCOPO Gnesnẽsi


Legato Nato Regni Poloniæ, & M.D.L.

PRIMATI, PRIMOquè

PRINCIPI,
ABBATI Tinecensi,

Domino Benefactori Munificentissimo.

In Gentilitium INSIGNE *CELSISSIMÆ Domûs* POTOCCIANÆ.



EPIGRAMMA.

I.

Quam benè tergeminis *Crucibus*, THEODORE tri-
(umphas!

Nam *Pilava* Solo, militat atquè Polo.

II.

Ite procul, lingvis obnoxia tempora falsis!

His *Crucibus*, crises mille, *Pilava* fugat.

Ergo datus luci, tutus Liber, ibit in Orbem:

Quem THEODORE, Tuâ protegis Ipse *Cruce*.

CELSISSIME PRINCEPS,

Jllustrissime, & Reverendissime DOMINE.

MEritò pro inimico *CRUCIS CHRISTI reputabitur, quisquis Gentilitiæ CRUCI* Tuæ *debitũ honorem subtraxerit, PRINCEPS CELSISSIME. Orthodoxa Nostra Roma-*

no- Catholica nullibi majorem habet cultum Religio, quàm in Sacratissima Stemmatis Tui ARA. Equidem, in Schola Crucis CHRISTI, licet sim ultimus, & quasi abortivus, qui non sum dignus vocari discipulus; hoc tamen salutiferô signô munitus, cum manifestis hostibus ejusdem Sanctæ Matris Romanæ Ecclesiæ, videlicet Iansenistis, & Lutheristis certamen ineundo, certam & indubitatam mihi polliceor victoriam. Nimirum S. Crux, juxta D. Petrum Damianum Serm: de Exaltat: S. Crucis, vocatur: victorum corona; *Hinc*

Veridicum speculi, Tua *Crux* THEODORE, coronat:
Ergò triumphabit, *Tri-Cruce* victor erit.

Quippè spectatur sol avidiùs, inter Ecclypses depugnans cum tenebris. Undè

Non metuet tenebras speculum, CELSISSIME, Nostrum:
Cûi radios tribuit Clara *Pilava* suos.

Lau-

Laudes verò Tuas enumerare qui auderet, PRINCEPS CELSISSIME, pilum soli opponeret meridiano. Solem lucere, cùm dies est Serenissima, Philosopho probare quid necesse foret? Pariter, Tibi, PRIMO, Regni Nostri PRINCIPI, si encomia darem, procul dubiò oleum & operam perderem, littusq́, ùt ajunt, maris ararem. Itaquè omnia, quæ tota Patria Nostra, imò Orbis universus Dona, in Avita Tua adorat CELSISSIMA PROSAPIA, libens silebo de Te Sole, qui es inter Sydera PRIMAS. Sed quia, vel pilus ipse, umbram habet soli expositus, liceat mihi stylô Laconicô, munificentissimam, veluti Theodosij Pÿssimi, THEODORI Dexteram enarrare. Fulget aurô charitatis, ARA DEI Major, in Basilica S. CRUCIS Varsaviensi, ubi amor

mor

mor Sacerdos immolat. Lucent ibidem argentô innocentiæ ſymbolô, ignibus Amoris DEI & Proximi, uti Ambroſij olim aut Auguſtini, Lampades ardentes, oleô gratiarum fotæ. Splendent, & immortalem Gloriam DEI annuntiant, ſacerrimæ Societatis JESU, Polonæ Provinciæ, Tuis Magnificis ſumptibus, DEO O. M. Ejuſdemquè ſervis, (quorum cõtinuô ſubſidiô militans Noſtra Sancta Eccleſia roboratur,) Sacræ Ædes, à fundamentis ædificatæ. Quid memorem innumera, quæ ſemper ad Majorem DEI Gloriam, in tot Orbis Noſtri Poloni partibus, eaquè pijſſima, patrare digneris opera? ſanè obruunt enarrantem, quem tacere potiùs, quàm aliquid fari in Tuas Laudes expediat. Gratulor, id mihi omninò eveniſſe, quod Ariſtoteli, teſte

Làër-

Laërtiô in vita ejus; qui Eurippi fluctus minimè intelligere valens, sese flumini dedit præcipitem, dicens: O, Eurippe! ego te capere non possum, Tu me capias. Astrologi in Polo Antarctico stellam observant, quæ maris fluctibus agitatis, certam remonstrat viam, & securos reddit navigantes. Stella, quæ feliciter ducit ad portum, Crux Tua est, PRINCEPS CELSISSIME; quapropter

Veridicum firmat Tua *Crux*, nàm Antarcticá *Crux* est:
Nec sinit errorum turbine quemquè premi.

Tanta Tui Nominis Claritas est PRINCEPS CELSISSIME, ut in eo exactissimam Idæam, Prothogenis, aut Apellis ipsius imaginibus nunquàm comparandã, liceat intueri. Si etenim ardentissimum Divini Cultûs propagandi zelum desideramus? Numam, Te ipsum superare, S. Mater Nostra agnoscit Ecclesia. Si innatam

tam summis quibusquè Viris Clementiam requirimus? Trajanô Te ipsô, Nervâquè clementiorem, jure-meritò (veluti olim de apibus Urbani VIII. dictum fuerat.

Cunctis mella dabunt, & nulli spicula figent:
Spicula nam Princeps figere nescit apum)

Delicium Patriæ Nostræ, FIDEI Columen, Civium Patrem; Te, Regni Nostri PRIMATEM, PRIMUMquè PRINCIPEM (qui sicut lucerna in candelabro posita luces omnibus, pietate ùt Gregorius, aut Iustinianus; Consilÿs Pater Patriæ, uti Cato, aut Solon) ore omnium dici advertemus. Itaquè Speculum *hocce* Veridicum, *ad cujus eruditissimi capitis intrare paterer Capitolium? aut cui potiùs, quàm Divinissimæ Tuæ CRUCI offerre debueram? PRINCEPS CELSISSIME, cùm sis, supremô dignus honore.*

nore. Nimirùm contra hoſtes Noſtræ Fidei Catholicæ, ſequar Te PRIMUM PRINCIPEM, *qui explicas victor* CRUCEM THEODORUS *ſalutis Signifer. Paradinus, in Symbolis Heroicis, poſuit incudem, in quam ſagittæ tentant, ſed franguntur; cum lemmate:* Infringit ſolido. *Ecce* CRUCEM DOMINI! *canit Mater Eccleſia.*

Ecce CRUCEM! ſublime Decus, PRIMATIS, Avitum;
Ut ſpeculum neqveat fallere, fronte gerit.

Pavete! qui non amatis, Sanctæ Matris Noſtræ Romanæ Eccleſiæ, unionem ac pacem. Et ſicut fumus, deficiant à facie ignis, fulgurante inſtar ſolis Sereniſſimâ, CELSISSIMI PRINCIPIS CRUCE, *cœcutientia quævis monſtra Hæreſeôn, Schiſmatumquè delubra! Porrò*

Immanis capitum ſeptem, fuge beſtia? dum Te
Cornu ſeptenô, Sacra PILAVA ferit.

Quippè hoſtes Fidei Patriæquè Noſtræ;

 ſicuti

ſicuti de apibus, ut ſuprà dicti, Pontificis Maximi ſcripsêre Hiſpani:

Spicula ſi figant, vitam cum cuſpide linquent.

Fugat noctem pretiosô igne adamas, & diem facit clarior in obſcuro. E contra, verſipelles Gratiæ & libertatis hoſtes prodeant in lucem? Nimirum:

Gratia verſutas habet, & Vis libera, vulpes:
Has reteget ſpeculum, quas *Crucis* arma premunt.

Effodi labore multô, & velut còáctum ire debet in lucem aurum, atquè hinc pretium & æſtimatio metallo crevit; jàm

Aurea de POTOK, emanant ſæclâ Polonis;
Sed meliora Polo, *Crux* Benedicta dabit.

Idem profectò, de hoc licet minimô authumare liceat opuſculô; nimirùm teſte Hypponenſi Infulatô: Optandum, ubi hæreſes vigent, ut quicunqué aliquâ ſcribendi facultate præditi ſunt, ij ſcribant omnes; & ſi non modò de reb' ijſdem ſcripturi, ſed eadem etiam ali-

js

js verbis fortaſſe ſcripturi; *ſcilicet de omnibus FIDEI articulis*, quorum, ſi vel unum labefactare aliquis diſputando velit, totum quod in Chriſtum credimus, is auferat, neceſſe eſt. S. Aug. l. 1. contra Iulian. c. 2. expedit, *loquar doctiſſimi, (qui malleus hæreticorum rectè nuncupatur) Bellarmini verbis* : ut hæretici intelligant, in Caſtris Catholicorum, non unum aut alterum eſſe, ſed multos, qui cum eis adversâ fronte congredi audeant. *Hìnc cum Lucretio l. 3.*

Floriferis, ùt apes in ſaltibus omnia libant;
Omnia nos, itidem decerpſimus aurea dicta.

Te, cordicitùs PRINCEPS CELSISSIME, tanquàm fortiſſimum Athlantem, (Primatiali Tuæ, Sacratiſſimæ CRUCI Trinæ, humilem flectendo cervicem) obſecro; ut in hoc certaminis conflictu,

ve-

veluti inconcussus Hercules, ac Alcides acerrimus FIDEI Orthodoxæ Defensor, largâ, eâque triplici benedictione cumulare digneris, illud Sarbievij Vatis Poloni, occinentem:

O, Amor! unus Amor! fac unum simus uterquè;
Jam Tua CRUX, jungat Te mihi, mequè Tibi.

Deniquè pro Colophone isthæc devota mea sufficiat Oratio: O sapientia! quæ ex ore Altissimi prodijsti; serva hoc Pectus quod imples, nobis longævum, Tibi perpetuum.

Ita vovet, & medullitùs precatur

CELSISSIMO NOMINI
TUO.

Infimus Servorum,
Author operis.

Pars I.

SPECULUM VERIDICI

contra

JANSENISTAS

&

QVESNELLIUM

Eorum Patronum,

Fœtore Calvinismi infectum.

FACULTAS
Illustrissimi & Reverendissimi Domini Loci ordinarii.

LIber, cui titulus SPECULUM VERIDICUM, in quo repræsentantur prava Jansenistarum, Qvesnellistarum, Bajana, Calviniana, & Lutherana dogmata; olim á Reverendissimo Cancellario Academiæ Parisiensis approbatus; nunc verò in permultis auctus, diligenter revisus, & accuratè expensus: cum nihil contineat â Fide nostra Orthodoxa, & pietate alienum, imo contrarios sensus detegat, ac solidissime refellat; præcipue in Secnnda Parte, antilogias Acatholicorum, manifeste, in eorum falsa doctrina contentas demonstret, clarissime exponat, & profunde solvat; luce publica dignum censemus, ut imprimatur & reimprimatur. Datum Culmæ in seminario Nostro Diæcesano Anno Domini 1724. Die 15. Decembris.

FELIX de KRETKOW KRETKOWSKI,
Episcopus Culmensis & Pomesaniæ,
Mpria.

APPROBATIO.

ILLustrissimi Galliarum Cancellarii mandato, hunc DE GRATIA CHRISTUM TRACTATUM, *a Reverendo Patre Assermet, Ordinis Minorum de Observantia, Franciscano, Doctore Sacræ Theologiæ Parisiensis Theologô Socio Sorbonico, Professore ac Jubilato emerito, elucubratum legi; in quo nihil, nisi Fidei, & rectis moribus consonum mihi visum est, opus eo lucentius, quod profanæ novitatis caligines, uti Doctorem vere Catholicum decet, excutiat. Datum Parisis die 23. Iulii, Anno 1715.*

REGERIUS.
Doctor Sorbonicus.

PROEMIUM.
Ad Lectorem.

PRodiit in lucem publicam Lutetiæ Parisiorum, tractatus Scholastico positivi de Divina Gratia, ad mentem S. Romanæ Ecclesiæ, Liber in duos tomos divisus, Anno Domini 1715. Auctore R. P. Assermet Theologo Socio Sorbonnico; qui, quia cæcutientium Jansenistarum, veluti talparum, oculos niminis perstrinxit: ne veritatis radios susciperent filii tenebrarum, ab octoginta annis circiter, revera Calvinistæ, in tenebris ambulantes, præfatum Librum vere orthodoxum, ex omnibus Typographiis Parisiensibus, illicò astutia sua solita, in turbido semper piscantes, vel coemerunt, vel aliis subdolis artibus, ut nec memoriæ ejus relinqueretur vestigium, expungi curarunt Jansenistæ Quesnelliani; ita, ut ad tria millia exemplarium edita prorsus perierint. Etiam accensa lucerna cum muliere illa Evangelica, quæ typum exprimit Sanctæ Romanæ Nostræ Matris Ecclesiæ, everrendo, aut evertendo Bibliothecas omnium plane Bibliopolarum Parisiensium, quæsita est drachma ista, nec poterat inveniri, licet face accensa cum Diogene Philosopho, in tam vastissima Urbe Parisiensi, sicuti Athenis; tandem ultimate, exemplar ipsius ultimum in manibus seniculi octogenarii, præfati boni Auctoris, illudque solum invenimus. De quo quidem Libro utilissimo, eoque his maxime

temporibus pernecessario excerptas nonnullas de Janseniano schismate fœtidissimo, difficultates, opere pretium duximus, sicut eidem seniculo satis afflicto fideliter appromisimus; in gratiam Scholasticorum, qui sunt de Schola Crucis Christi, non vero Epicurea, in qua sunt Jansenistæ & Quesnelliani, talium Magistrorum tales discipuli perversi, reimprimi; non alia sane de causa, quam ea sola, ut vulpes istas, quæ Vineam Christi JESU, usq; in præsentiarum demoliuntur: acriter, sicut digni sunt, persequentes, de suis errorum turpium cavernis, procul abigamus; seu lupos istos intrinsece rapaces, qui apparent investimentis ovium; aut parietes, seu sepulchra dealbata, intus plena ossibus mortuorum; Phariseosque cæcos, quorum sermo sicut cancer serpit, clare detegamus, quos evitare teneamur: namque morbida facta pecus, totum corrumpit ovile; uvaque conspecta liverem ducit ab uva. Itaque, in tam manifestis toti orbi Christiano erroribus, cæcutientibus Jansenii, & ejusdem Asseclæ Quesnellii, ac eorum sequacibus discipulis insipientibus pertinatia supina laborantibus; etiam contra quos fusè scripserat doctissimus Gengell, Soc. JES. Theologus, in Admirandis Jansenismi; sint hæc mystica sequentia perspicilia; quibus, viam æternitatis, in quam quivis homo ibit, sibi prævideant; memores moniti Salvatoris nostri: Est via, quæ ducit ad perditionem, lata, & spatiosa; & multi sunt, qui intrant per eam. *Vale, & fruere Lector amice Quæ vera sunt, lauda; falsa refelle, cave!*

SPECU-

SPECULI VERIDICI Perſpicilium Primum

Pro Naſutis Quesnelliſtis.

DE JANSENISMO,

Ejusq; auctore, & ſequacibus.

In quo perſpicilio ad calcem, ubi de Bulla *Unigenitus*; explicantur juxta ſenſum S. Romanæ Eccleſiæ, centum una Propoſitiones Quesnelli condemnatæ; cæcus error Quesnellistarum repreſentatur.

IANSENIUS natione Batavus, pauperibus, ſed piis & honeſtis parentibus anno 1585. natus primùm literis humanioribus Trajecti ad Rhenum deinde Philoſophiæ ac Theologiæ Lovani operam dedit; poſteà anno 1604. Pariſiis à quodam in ſuprema curia ſenatore acceptus eſt ſuorum liberorum præceptor induſtriâ Abbatis S Cyrani, quocum amicitiam Lovanii inierat. Non multò poſt Baïonam à prædicto Abbate amico ſuo accerſitus, ibi electus eſt Collegii non ita pridem erecti Gymnaſiarcha. Poſt annos

nos duodecim in rerum Theologicarum ſtudio conſumptos, prima novitatum, quas alter in Theologiam, alter in diſciplinam Eccleſiaſticam invehere meditabantur, fundamenta jecerunt. Tandem JANSENIUS Lovanium reverſus, novique Collegii S. Pulcheriæ moderator, nec non Scripturæ Sacræ Profeſſor factus, famoſum contra Galliæ Reges in Hiſpanorum gratiam librum ſub titulo MARS GALLICUS edidit, in cujus mercedem, ut aiunt, Epiſcopus Iprenſis aſſumptus eſt, quâ dignitate ſolùm biennio potitus fuit, utpotè peſtilentiâ ſolus, ut fertur, hac in urbe ſubortâ ſublatus eſt. Altero à morte ipſius anno typis mandatus eſt liber, qui inſcribitur: *Auguſtinus Cornelii Janſenii &c.* magno quidem Catholicorum ſcandalo, ſed ingenti Proteſtantium gaudio, undè Grotius ait, quod ſi Catholici librum Janſenii adoptarent, utraque Eccleſia Catholicorum ſcil. & Proteſtantium brevi ſocietatem mutuam inter ſe inirent.

Quod autem circa Janſenii librum in globo & circa propoſitiones Sigillatim acceptas in eo exaratas actum eſt, patere clariùs non poteſt, quam revocando quid ſubſeqventibus maximis Pontificibus hac de re præſtitum eſt.

URBANUS VIII.

Librum Janſenii ſic inſcriptum *Auguſtinus Cornelii Janſenii &c.* in globo damnavit, tum quia materiam *de auxiliis divinæ gratiæ*, contra Pauli V. decretum, & aliud ejuſdem Urbani decretum tractandam aggreditur. Tum quia plurimas propoſitiones à Pio V. & à Gregorio XIII. & ab aliis ſuis prædeceſſoribus proſcriptas continet ac defendit. At Urbani Bulla Janſenianorum, Baïanorum dolo ſtatim in

Belgio promulgata non fuit, varium enim, aiebant, in variis exemplaribus Bulla hæc annum consignabat, & quanquam anno 1641. pridiè nonas Martii lata esset, nonnisi tamen die 19 Junii anni 1643. in Urbe solemniter publicata fuit, in Belgio post ejusdem Urbani mortem cura, & sollicitudine Innocentii X. Urbani successoris promulgata, atque recepta est; in Galliis verò ad sacram Facultatem Parisiensem regio mandato delata fuit & die 15. mensis Januarii 1644 eadem Facultas suis omnibus alumnis districtè injunxit, ne aliquam è damnatis propositionibus à Pio V. & Gregorio XIII. propugnaret.

INNOCENTIUS X.

Liber Jansenii tot falsis dogmatibus & ipsi Jansenio propriis, & aliis tum priscis, tum modernis heterodoxis communibus scatet, ut omnium qui aliquo fidei Catholicæ studio ardebant, offensionem semper ab ovo incurrerit. In eum qui primi insurrexere non fuerunt discipuli P. Ludovici Molinæ, ut effutiunt Janseniani, sed ipsi sacræ Facultatis Parisiensis Doctores, inter quos Isaacus Habert Doctor Sorbonicus Ecclesiæ Parisiensis Theologus, dein Episcopus Vabrensis aliis viam patefecit, hic enim Jansenii doctrinam tribus concionibus quas ad populum primâ & ultimâ adventûs dominicâ & dominicâ septuagesimæ anni 1643. & librum, cui titulus *Defensio fidei Ecclesiæ* pari zelo confutavit. Hic non solus bellum Jansenio indixit, quippe ex omnium fere Ordinum Religiosorum castris prodiere milites, qui adversus ipsum Jansenium scriptorum arma moverunt. P. Sibill ex ordine S. Dominici. Ex ordine S. Francisci PP. du

runt Christum intrasse januis clausis ad Apostolos, & dixerunt Christum tam artificiosè januam aperuisse, ut nemo Apostolorum adverterit; vel ut ipse impius ait Calvinus, per fenestram, aut caminum, Christum tunc intrasse januis clausis. O quam efficax probatio! sic ruerent præcipui articuli fidei. Nunquid non simile argumentum valet contra Mysteria Sanctissimæ Trinitatis & Incarnationis?

Retorsiones in Reformatos. Humana ratio non capit, quomodo tres Personæ realiter distinctæ sint unus Deus! Ergo tres Personæ Divinæ non est unus Deus. Humana ratio non capit, quomodo Divina & Humana natura subsistant in eâdem Personâ: Ergò Christus non potest esse Deus & homo; quæ consequentia? Nunquid Christus apparuit Magdalenæ sub specie hortulani, cur suis fidelibus Christianis non posset adesse sub specie panis? decepitnè ideo Magdalenam, quòd secundùm speciem judicaret horutulanum adesse, & non Christũ? Decepitne Deus Moysen, quando Angelus apparuit, & Deus locutus est in rubo ardente; etiamsi Moyses videret in rubo ignem, tamen credebat adesse Deum.

Et quis non ridiculam æstimet scripturæ Interpretationem? Jesus ingressus est januis clausis; hoc ipsis idem est, ac Christus tam artificiose januas aperuit, ut Apostoli non adverterint, sed judicârint, eum januis clausis esse ingressum. Illud bonum est, quod Reformati ante duos annos in publica disputatione fassi sunt, se non habere infallibilem interpretationem scripturæ, nam alius sic, alius aliter, sicut per nasum, ut ajunt, torquent scripturam, & quidem sibi contradictoria non semel opponentes: unde etiam exemplum regulæ dare voluisse videntur in hac explicatione: Christus intravit januis clausis; hoc est: Christus tam artificiosè januas aperuit, ut Apostoli adverterint. Quæso,

Quæro, ubi scriptum est, quòd Deus velit, vel debeat Divina mysteria humanis sensibus accommodare. Ecce! quid moliantur Reformati, ut Catholicos probent Idololatras, in controversiam vocant Dei Omnipotentiam, & ne hæc latiùs extendatur, constringunt eam intra trinam Carthesii dimensionem; quasi verò Carthesius ille fuerit, qui Omnipotentiæ Divinæ potuerit tres illas columnas ponere illisqué inscribere: Non plus ultra. Infirmus fuisset Deus, si Carthesii vorticibus in Constitutione mundi opus habuisset.

Seriùs hic venit quatripartita Philosophia ad eliminandam corporum penetrationem, quæ per legitimas consequentias probatur ex Sacra Scriptura. Joan. 20. *Venit JESVS januis clausis & stetit in medio.* Certùm est 1mo. quòd JESUS steterit in medio eorum cum corpore suo, quia ostendit eis latus & manus. Certùm est 2do. ex ipso textu, positô, quòd venerit januis clausis, & steterit in medio eorum. *Jam formatur argumentum adhominem convictivum de penetratione supernaturali*: Christi corpus post resurrectionem est verum Corpus. Janua etiam est verum corpus. Christus venit januis clausis in medium Discipulorum, quia si artificiosè aperuisset, non venisset januis clausis in medium. Ergò Corpus Christi & janua simul fuerunt in eodem spatio loci. Ergò Corpus Christi & Janua fuerunt penetrata. Ergò possibilis est divinitùs penetratio corporum.

Hâc suppositâ, qua fronte audent Reformati negare possibilem penetrationem corporum, & penetrationem sub specie panis; quare hic non in subsidium vocant fidem suam, quam ubique ita extollunt? audiant illud D. Thomæ Aquin: *quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides, præter rerum ordinem.* Claré igitur

versus Propositiones ex libro JANSENII *excerptas.*

BEATISSIME PATER,

"Majores causas ad Sedem Apostolicam referre so-
"lemnis Ecclesiæ mos est, quem fides Petri nunquam de-
"ficiens perpetuò retineri pro jure suò postulat. Æquissi-
"mæ huic legi obsequentes de gravissimo circa Religionem
"negotio SANCTITATI TUÆ scribendum esse censuimus.
"Decennium est, ex quo vehementissimis turbis Gallia ma-
"gno nostro mœrore commovetur ob librum posthumum
"& doctrinam Reverend. Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi.
"Tales quidem motus sedari oportebat, tum Concilii Tri-
"dentini auctoritate, tum Bullæ illius, quâ URBANUS VIII.
"felicis memoriæ adversùs Jansenii dogmata pronunciavit,
"& decreta PII V. ac GREGORII XIII. in Baïum edita con-
"firmavit. Atque hujus quidem Bullæ veritatem ac robur
"novo diplomate vindicasti. Sed quia nulli sigillatim pro-
"positioni certæ censuræ nota inusta fuit, locus etiamnum
"aliquis quorundam cavillis & effugio relictus est. Inter-
"cludendum autem penitùs speramus; si ut precamur S. T.
"quid hac in re sentiendum sit clarè, distinctèque definiat.
"Obtestamur ergo, ut has præsertim propositiones, de qui-
"bus disceptatio periculosior, ac contentio ardentior est. S.
"T. expendat, & perspicuam ac certam de unaquaque sen-
"tentiam ferat.

"Prima: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis vo-*

lentibus

lentibus & conantibus secundum præsentes, quas habent, "
vires, sunt impossibilia; deest quoque illis, gratia, quâ pos "
sibilia fiant.

Secunda: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nun* "
quam resistitur.

Tertia: *Ad Merendum & demerendum in statu natu* "
ræ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed "
sufficit libertas à coactione.

Quarta: *Semi-Pelagiani admittebant prævenientis* "
gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad "
initium fidei: & in hoc erant hæretici, quod vellent eam
gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere. "

Quinta: *Semi-Pelagianum est dicere, Christum pro o-* "
mnibus omnino hominibus mortuū esse, aut sangvinē fudisse. "

Experta est nuper BEATITUDO TUA, quantùm A-"
postolicæ Sedis in gemini Ecclesiæ capitis errore "
profligando valuerit auctoritas: continuò sedata est "
tempestas, atque ad Christi vocem & imperium ven-"
ti & mare obedierunt. Quamobrem flagitamus, BE"
ATISSIME PATER, ut clarâ, firmâque de Propositionū "
istarum sensu prolatâ sententiâ, cui Reverend. ipse Jan-"
senius morti proximus opus suum subjecit, caligi-"
nem omnem discutias, animos fluctuantes componas"
dissidia prohibeas, Ecclesiæ tranquillitatem, splendo-
remque restituas. Dum hæc spes mentibus nostris,
"affulget, SANCTITATI TUÆ multos & prosperos annos,
"sæculoquè beatissimam æternitatem Rex sæculorum
"immortalis, adjiciat, optamus, ac vovemus.

Hæc Epistola subsignata fuit ab 85. Episcopis.

Summus Pontifex acceptis ab utraque parte literis,

 speci-

ſpecialem congregationem ſex Cardinalibus Commiſſariis, & tredecim eminentis ſcientiæ Conſultoribus ex variis Regularium Ordinibus aſſumptis conflatam, ad quinque propoſitiones maturè & accuratè diſcutiendas ac expendendas inſtituit; ex conſultoribus quatuor præſertim, eruditione & ſcientiâ clariſſimi, (non enim mirum eſt, unumquemquè in ſuo ſenſu abundare, & tanquàm privatum Doctorem, antequàm ex Cathedra Summus Pontifex, Chriſti Vicarius definierit, materialiter duntaxat poſſe errare; proùt hic factum eſt,) partibus Janſenii firmiter adhærentes quinque propoſitiones, quoad potuerunt, ſuſtinuêre ſolâ quartâ exceptâ, in qua P. Lucas Wadingus temeritatis Janſenium arguit, quòd contrariam ſententiam cenſurâ notaverit. Ut autem nullus Janſenianis ſupereſſet excuſationis ac diverticuli obtentus, nec obſtrepere poſſent cenſuram propoſitionum, quarum damnationem ſubodorabantur, non cadere in ſenſum juxta quem illas defendebant, ipſorum Deputati ſequens ſcriptum trium columnarum, quô triplicem ſenſum unicumque propoſitionum tribuerant, ſummo Pontifici obtulêre.

Interim prætermittendum non eſt Janſenianos, nervos omnes adhibuiſſe ad diſputationes inter ipſos & orthodoxos Theologos perennes & immortales reddendas, ut Janſeniſmi error finem non acciperet, ſed tutus perpetuò maneret, quare duo hunc in ſcopum præſtitêre. 1mo Generalis cujuſdam Ordinis, Anno 1652. libellum ſuplicem Janſenianorum

non

norum impulsu Innocentio X. obtulit, ut ante omnia juberet disputationem *de Auxiliis* resumi ab eo ipso statu, in quo Paulus V. eam reliquerat: sed respondit Pontifex velle se argumentum *de Auxiliis* prorsùs intactum remanere. Dixi [impulsu Jansenianorum] mos enim est apud ipsos, ut juxta suarum rerum exigentiam Thomistarum pallio sese obtegant, eorumque auxilium implorent; undè non semel laboraverunt ad ineundam & firmandam cum eis unionem ac societatem, ut inito fœdere, junctisque viribus pro quinque propositionibus, tanquam pro communi causa confligerent, sed hic labor irritus ac vanus fuit, nam ad optatum exitum non pervenit, quippe inter se convenire non potuerunt; undè cum Cardinalis Barberinus postularet à D. de S. Amour, Janseniano, cur se cum suis non adjungeret Dominicanis, respondit de S. Amour, Dominicani res suas gerunt, & Augustiniani, id est, Janseniani suas, sic refert de S. Amour, Diarii Parte 6. cap. 13. 2°. Cum prævidere Jansenini damnatum iri Jansenismum, duo inter ipsos Heroes, nempè D. Manessier, Doctor & socius Sorbonicus, ac P. Desmares Oratorianus ad summum Pontificem iterum accessere die 4°. Maii, importuniùs exoraturi publicum cum suis æmulis congressum & scriptorum contradictoriam communicationem. Pontifex, qui non ignorabat iteratam Jansenianorum postulationem aliò non tendere, quàm ut interminabilis ac perennis perseveraret discordia, sicut in Congregationibus *de Auxiliis* contigerat, renuit postulationi annuere, promittens tamen se illis, quantùm vellent, dicendi gratiam facturum. Nunc proponamus Fautorum Jansenistici erroris, eorumque Scriptum Tricolumne, quod non

puduerat

puduerat eos propoſuiſte Summo Pontifici, patronando intùs & favorizando Janſeniſticæ doctrinæ, antequàm Cenſura notarentur Apoſtolica, 5. propoſitiones Janſenii.

SCRIPTUM TRICOLUMNE

Fautorum Janſeniſmi erronei.

PRIMA PROPOSITIO.

Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia. Deeſt quoque iis gratia, qua poſſibilia fiant.

SENSUS HÆRETICUS, *Qui primæ Propoſitioni malignè affingi poſſet, quem tamen legitimè ſumpta non habet.*

Juſtis omnibus quantùmlibet volentibus & conantibus, ſecundùm præſentes quantaſcunque vires, quæ a gratia magna & efficaci habentur, mandata Dei ſunt impoſſibilia. Deeſt quoque illis ſemper quamdiu vivunt, gratia, qua poſſint vel unum ex mandatis Dei ſine peccato adimplere.

PRIMA PROPOSITIO *Vt a nobis intelligitur ac defenditur.*

Aliqua Dei præcepta aliquibus juſtis volentibus & conantibus invalidè & imperfectè ſecundum præſentes quas habent vires parvas, ſcil. & infirmas, ſeu auxilio efficaci ad plenè volendum & operandum neceſſario deſtitutis, impoſſibilia ſunt proximè & completè, ſeu ab iis adimpleri proximè non poſſunt. Deeſt quoque illiś gra-

PROPOSITIO *Primæ contraria ut ab adverſariis defenditur.*

Omnia Dei præcepta juſtiś volentibus & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent vires ſunt ſemper poſſibilia per gratiam eorum libero arbitrio ſubjectam. Nec unquam ipſis deeſt gratia ad operandum vel ſaltem ad orandum proximè, neceſſaria quâ poſſibilia fiant.

Suſtinemus ac demonſtrare parati ſumus hanc

Hæc

Hæc Propositio est Hæretica Calviniana, aut Lutherana, & à Concilio Trid. damnata.	tia efficax, qua præcepta illis proximè possibilia fiant, seu deest illis speciale illud auxilium sine quo justificatus, ut ait Concilium Trident. in accepta justitia, id est, in observatione mandatorum Dei perseverare non potest.	*propositionem, quæ est Molinæ & adversariorum, esse Pelagianam vel SemiPelagianam, quia gratiæ ex se efficacis ad singulos actus, necessitatem destruit. Atque ita declaratum est in Congregatione Rom.* de Auxiliis *sub* CLEMENTE VIII. *&* PAULO V. Ita iidem.

Sustinemus ac demonstrare parati sumus, hanc propositionem ad fidem Ecclesiæ pertinere & in S. Augustini doctrina indubitatam esse atque à Concilio Trident. definitam. Sic proposuerunt Pontifici, defensores Jansenismi.

Hæc prima Propositio damnata fuit ut hæretica ex eo quod Jansenius docet & post ipsum Janseniani necessariam esse gratiam efficacem, ut quis possit mandata Dei servare, cum fide constet gratiam sufficientem conferre potentiam completam & expeditam illa præcepta servandi proximè vel saltem potentiam impetrandi auxilium ad illa proximè servanda.

Nota CLEMENTEM VIII. & PAULUM V. nihil definisse ac declarasse circa ea de quibus in congregat. *de Auxiliis* disputatum est, sed omnia, ut antea erant remansisse; unde Janseniani apertæ falsitatis redarguuntur Vide Tom. 1. Theologiæ ad mentem S. R. Ecclesiæ pag. 490.

SECUNDA PROPOSITIO.

Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.

Sensus Hæreticus.

Qui ſecundæ Propoſitioni maligne affingi poſſet, quem tamen legitimè ſumpta non habet.

Interiori gratiæ efficaci in ſtatu naturæ lapſæ eatenus nunquam reſiſtitur, quatenus voluntas hominis reſpectu gratiæ efficacis merè paſſivè ſe habet, & velut inanime quoddam nihil omnino agit, nec cooperatur nec libere aſſentitur.

Hæc Propoſitio eſt Hæretica Calviniana, Lutherana, & à Concilio Trident. damnata.

Alius Sensus erroneus

Interiori gratiæ ſumptæ pro ſimplici qua-

Secunda. Propositio.

Vt á nobis intelligitur ac defenditur.

Gratiæ Chriſti ad ſingulos pietatis actus proximè neceſſariæ nunquam reſiſtitur, hoc eſt, nunquam illa fruſtratur eò effectu, ad quem a Deo proximè datur.

Suſtinemus, ac demonſtrare parati ſumus hanc propoſitionem ad fidem Eccleſiæ pertinere, & in S. Auguſtini doctrina indubitatam eſſe. Ita dixêre Ianſeniani.

Propositio.

Secundæ contraria, ut ab adverſariis defenditur.

Gratiæ Chriſti ad ſingulos pietatis actus, ſeu operandi, ſeu ſaltem orandi neceſſariæ in ſtatu naturæ lapſæ aliquando reſiſtitur, hoc eſt, illa aliquando fruſtratur eo effectu, ad quem a Deo proxime datur.

Suſtinemus, ac demonſtrare parati ſumus hanc Propoſitionem, quæ eſt Molinæ & adverſariorum, eſſe Pelagianam vel Semi-Pelagianam, quia gratia Chriſti ad ſingulos actus neceſſariæ vim & Efficaciam deſtruit. Atque ita declaratum eſt in Congregatione Rom. de Auxiliis

dam illuminatione intellectus, & ſvaſione voluntatis in ſtatu naturæ lapſæ, nunquam reſiſtitur.		liis. *Sic propoſuerunt defenſores Janſeniſmi, Summo Pontifici*

Hæc Propoſitio eſt falſa & erronea, qui talis gratia non eſt vera gratia Chriſti, ut docet S Auguſtinus in Lib. de grat. Chriſt.

ALIUS SENSUS ERRONEUS.

Interiori gratiæ Chriſti, cum adhuc parva eſt, & dat tantum voluntatem inchoatam, in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur, quantum ad effectum ulteriorem ad quem diſponit.

Hæc Propoſitio eſt falſa & erronea.

1o. Nota Janſenianos hac in columna imponere Calvino, qui lib. Inſtitut. cap. 5. aſſerit hominem agere cum gratia, ſcribendo, actionem hominis non tolli a Spiritus S. motu ac proinde non merè paſſivè ſe habere.

2o. Revoca ex dictis: reſiſtere gratiæ, eſt illam privare effectu, quem habere poteſt; ſed parva gratia Janſenii non poteſt habere effectum ulteriorem ad quem diſponit, quia Deus illam ad hunc effectum non ordinavit in ſtatu naturæ lapſæ, agunt Janſeniani: igitur nunquam reſiſtitur parvæ gratiæ, etiam quoad ulteriorem effectum, ſicque vanum eſt illud Janſenianorum effugium.

TERTIA PROPOSITIO.

Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.

SENSUS HÆRETIC.

Qui tertiæ propositioni maligne affingi posset, quem tamen legitime sumpta non habet.

Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate naturali, qualis etiam reperitur in motibus indeliberatis, sed sufficit mera libertas à coactione.

Hæc propositio hæretica est, Calviniana, aut Lutherana.

Nota Jansenianos imponere Calvino, qui contra Pighium lib. 2. scribit hominem peccando esse reum, quia cum deliberatione agit: deliberatio autem non est sine prævia notitia & usu rationis, quod autem fit prævia ratione & deliberatione non est instar motus deliberati. *Neque enim*, inquit ibid. *sic* NECESSARIO *peccare dicimus impios, quin* VOLUNTARIA, DELIBERATA*que malitia peccent.*

TERTIA PROPOSIT.

Ut à nobis intelligitur ac defenditur.

Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate infallibilitatis sed sufficit libertas a coactione cum judicio rationis, si consideretur præcisè essentia libertatis & meriti, quanquam ex ratione status semper reperiatur indifferentia potentiæ, qua voluntas etiam sub gratia proximè necessaria & ex se efficace potest non velle, non tamen ut unquam simul cum eadem gratia non velit.

Sustinemus, ac demonstrare parati sumus, hanc propositionem esse Catholicam & Augustinianam. Ita dixêre Patroni Jansenistici erroris.

PROPOSITIO.

Tertiæ contraria ut ab adversariis defenditur.

Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ requiritur in homine libertas á necessitate infallibilitatis, seu necessaria est indifferentia proxima agendi & non agendi, qua voluntas instructa omnibus ad agendum prærequisitis pro suo nutu modo se flectit in unam partem, modo in oppositam. *Sustinemus, ac demonstrare parati sumus hanc propositionem, quæ est Molinæ & adversariorum Pelagianam esse, quia gratiæ ex se efficacis ad singulos pietatis actus necessariæ possibilitatem destruit. Atque ita declaratum est in Congregatione Rom.* de Auxiliis. *Sic proposuerunt Summo Pontifici defensores 5. Propositionum Jansenisticarum.*

Nota

Nota per indifferentiam potentiæ, non intelligi à Iansenianis indifferentiam activam potentiæ, qualis requiritur ad veram libertatem, sed intelligi indifferentiam passivam, qua voluntas flexibilis est modò ad bonum quando dominatur delectatio cœlestis relativè victrix, modò ad malum ubi fortior est delectatio terrena.

QVARTA PROPOSITIO.

Semi-Pelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus etiam ad initium fidei. Et in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.

SENSUS HÆRETICUS,

Qui qvartæ Propositioni malignè affingi posset, quem tamen legitimè sumpta non habet.

Gratia Christi præveniens talis est, ut liberum arbitrium hominis ab ea motum & excitatum, non possit dissentire, si velit. Aliter dicere Semi-Pelagianum est.

Hæc propositio est hæ-

Quarta PROPOSITIO, *Vt a nobis intelligitur ac defenditur.*

Semi Pelagiani admittebant prævenientis gratiæ necessitatem ad singulos actus imperfectos, etiam ad initium fidei, & in hoc hæreticè sentiebant, quod vellent eam gratiam talem esse, ut voluntas illi pro nutu suo obtemperaret vel eam respue-

PROPOSITIO *Qvartæ contraria ut ab adversariis defenditur.*

Semi Pelagiani non admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus imperfectos nec ad initium fidei, nec in hoc errabant, quod vellent eam gratiam talem esse ut ex se efficax non esset.

Sustinemus ac demonstrare parati sumus hanc

retica Calviniana, aut Lutherana, & a Concilio Trident. damnata.

ret, seu ut ex [se efficax non esset.

Sustinemus ac demonstrare parati sumus hanc propositionem quoad primam partem, quæ spectat quæstionem facti esse veram; quoad secundam verò ad fidem Ecclesiæ pertinere, & in S. Augustini doctrina indubitatam esse. Ita *defensores* Jan*senismi.*

propositionem, quæ est Molinæ & adversariorum Pelagianam aut semi-Pelagianam esse, quæ gratiæ efficacis ad singulos actus necessaria Catholicam fidem simul & omnem S. Augustini authoritatem destruit. Atque ita declaratum est in Congregatione Rom. de Auxiliis. *Sic proposuerunt Pontifici Fautores* Jan*senismi.*

Hæc propositio, ut à Ianſenianis aſſerta, eſt falſa quoad primum membrum, nunquam enim Semi-Pelagiani admiſere gratiam ad initium fidei, ut in 1ª. parte dictum eſt. Eſt verò hæretica quoad ſecundum, quia hæreticum eſt dicere voluntatem non poſſe refragari gratiæ.

QVINTA PROPOSITIO.

Semi-Pelagianiſmum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſangvinem fudiſſe.

SENSUS HÆRETICUS.

Qui quintæ propositioni maligne affingi posset, quem tamen legitime

Quinta PROPOSITIO

Ut a nobis intelligitur ac defenditur, aiunt.

Semi-Pelagianum eſt,

PROPOSITIO.

Qvintæ contraria, ut ab adversariis defenditur.

Non eſt Semi-Pelagianum

ſumpta non habet.

Chriſtus mortuus eſt tantummodo pro prædeſtinatis, ita ut ii ſoli per meritum mortis Chriſti veram fidem ac juſtitiam accipiant.

Hæc propoſitio eſt hæretica Calviniana aut Lutherana, & à Concilio Trident. damnata.

dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus, ſeu nemine excepto, mortuum eſſe: eo ſenſu, ut omnibus, nemine excepto, per mortem ejus oblata ſit gratia ad ſalutem neceſſaria, quam conſequi in nutu arbitrii ſit poſitum ſine gratiæ ex ſe efficacis adjutorio.

Suſtinemus ac demonſtrare parati ſumus, hanc propoſitionem ad fidem Eccleſiæ pertinere, & in S. Auguſtini doctrina indubitatam eſſe. Ita propoſuerunt Pontifici defenſores Janſeniſtici.

gianum, ſed Catholicum dicere Chriſtum morte ſua omnibus omninò hominibus, ſeu nemine excepto, communicaſſe gratiam proximè neceſſariam ad operandum, aut ſaltem ad incipiendum & ad orandum.

Suſtinemus ac demonſtrare parati ſumus, hanc propoſitionum, quæ eſt Molinæ & adverſariorum, continere doctrinam Concilio Trident. contrariam, atque etiam Pelagianam aut Semi-Pelagianam eſſe, quia gratiæ ex ſe efficacis ad ſingulos actus neceſſiatem deſtruit. Atque ita declaratum eſt in Congregatione Rom. de Auxiliis. Sic fautores Janſeniſmi Summo Pontifici propoſuerunt, ſed falſò & omnino erroneè, ut patebit ex reſolutionibus ſequentibus.

His liqvet patronos quinque propoſitionum, illas antequam Pontificiâ cenſurâ plecterentur, defendiſſe juxta ſenſum

ſum naturalem, idcirco enim Romam petierant, ut illas tuerentur non in ſenſu alieno, ſed in ſenſu germano, quem ſenſum, verum S. Auguſtini dogma & dogma fidei appellabant, ſenſus autem ille germanus & naturalis, qui in quinque propoſitionibus vigebat, & quem ſe propugnare conteſtabantur Janſeniani, unice ſpectat, aiebant, ſenſum gratiæ per ſe efficacis, quem adverſarii evertere conabantur, è contrà verò reſpondebat M. Hallerius cum ſociis ſuis à Sacra Facultate Pariſienſi deputatis, ſepoſito ſenſu gratiæ per ſe efficacis, quem ipſe Hallerius defendebat, & ſepoſito ſenſu gratiæ efficacis à voluntatis conſenſu, quem Ludovicus Molina propugnavit, propoſitiones quinque meritò damnari ob eum naturalem & obvium ſenſum, quem habent in libro Janſenii. Scriptum illud refert de S. Amour, Diarii parte 5ª. cap. 8. vide ibi. Rectè quidem Hallerius, ſenſus enim naturalis, juxta quem proſcriptæ ſunt quinque propoſitiones nihil habet commune cum gratia per ſe efficaci Catholicè ſpectata, ſed ſolùm cum gratia efficaci neceſſitante. Itaque jactare non poterant Janſeniani ſe ſenſum naturalem Janſenii in quinque propoſitionibus defendere, niſi fatendo dictas propoſitiones in Janſenii libro jacere & ex illo eſſe excerptas ; undè Arnaldus & Abbas de Bourzeis, qui inter Janſenianos eminebant, illas tanquam ſanam ac Catholicam Janſenii, & S. Auguſtini doctrinam publicis ſcriptis tutati fuerant. Sic Arnaldus & in ſcripto, cui gallicè titulus eſt, *Conſiderations ſur l'entrepriſe de M. Nicolas Cornet*, & in duabus pro Janſenio apologiis & in apologia pro SS. Patribus, & in 2ª. ſua Epiſtola ad Ducem & Parem Franciæ pag. 226. docet quibuſdam juſtis præcepta Dei aliquando eſſe ex defectu

gratiæ

gratiæ observatu impossibilia, & in exemplum adducit S. Petrum, à quo gratiam abfuisse asserit in casu, in quo à peccato immunem fuisse sustineri non potest.

Certè cæcutiret quis in meridie, sic hâc propositione M. Arnaldum primam è quinque propositionibus propugnasse dubitare vellet, quam adhuc prolixè in 3. libro 2dæ apologiæ pro Jansenio cap. 3. defendit.

Sic Abbas de Bourzeis, cujus opera tanquam vera & authentica à M. Arnaldo & aliis Jansenianis laudantur in scripto cui titulus, *Propositiones de gratia, in Sorbona propè diem examinandæ*, docet spectandas esse propositiones ut in Jansenii Augustino jacent, vel quoad verba, vel quoad verborum vim & sententiam; quoad verba, fatetur in eo contineri primam propositionem, quoad vim & sententiam declarat alias quatuor in eodem libro reperiri, alia idem Abbas edidit opera, ut Epistolam Abbatis ad unum Præsidem, Epistolam Abbatis ad unum Abbatem, Librum inscriptum: *Augustinus Calvini & Molinæ victor*, in quibus evidenter declarat quinque propositiones in Augustino Jansenii, vel quoad verba, vel quoad vim & sensum jacere.

CONDEMNATIO QUINQUE PROPOSIT.

Cum præmissâ, ait P. Wadingus, longâ & maturâ discussione expensa fuisset Jansenii causa, post celebratas duorum annorum spatio triginta & sex congregationes, auditis partium rationibus, illis utramque discussis & æqua lance ponderatis, indictis & adhibitis publicis precibus summus Pontifex Innocentius X implorata Spiritûs Sancti assistentiâ, Bullâ *cum occasione impressionis libri cui titulus est:*

D Augu-

Augustinus Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi, data ultima die Maii anni 1653. quinque famosas propositiones, ut totidem hæreses Apostolici judicii censurâ confixit his sequentibus verbis.

„ Primam prædictarum propositionum, *aliqua Dei præ-* „*cepta hominibus justis &c.* Temerariam, impiam, blasphe- „mam, anathemate damnamus, & hæreticam declaramus „ut talem damnamus.

„ Secundam, *interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ &c.* hæ- „reticam declaramus, & uti talem damnamus.

„ Tertiam, *ad merendum & demerendum &c.* hæreticam „declaramus, & uti talem damnamus.

„ Quartam, *Semi-Pelagiani admittebant prævenientis gratiæ* „*interioris necessitatem etiam ad initium fidei &c.* falsam & hæ- „reticam declaramus, & uti talem damnamus.

„ Quinta, *Semi-Pelagianum est dicere Christum pro omnibus o-* „*mnino hominibus mortuum esse aut sangvinem fudisse &c.* falsam, „temerariam, scandalosam & intellectam eo sensu ut Chri- „stus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, pietati divinæ de- „rogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damna- „mus "]

Quamvis autem præfatus Pontifex quinque duntaxat propositiones Apostolico judicio feriat, attamen approbare non intendit cætera, quæ in prædicto Jansenii libro comprehenduntur, sic enim suam Bullam concludit („Non intendentes per hanc declarationem & definitionem su-" per prædictis quinque propositionibus factam approbare" ullatenus, alias opiniones quæ continentur in prædicto li-" bro Cornelii Jasenii &c."] Ut autem hæc Constitutio à digni-

dignitate infra Deum summa promanans omnibus innotesceret, illam Innocentius misit ad Imperatorem Ferdinandum, ad Reges Galliæ, Hispaniæ, Poloniæ, ad Duces Bavariæ, ad Principes Rheni, ad tres Imperii Electores Ecclesiasticos, ad Principem Leopoldum Belgii Gubernatorem, ad Episcopum Placentinum supremum in Hispania Inquisitorem, & ad omnes Galliæ Episcopos, eamque omnes quâ par est reverentiâ exceperunt, etiam Flandri, Concilium Brabantiæ, Universitates, adeoque Universitas Lovaniensis, quibus in regionibus, quod notatu dignum, hucusque recepta non fuerat Bulla Urbani XIII. quæ Jansenii librum in genere proscribebat. Accepta Innocentii X. Bullâ, quâ damnantur quinque propositiones, Episcopi Galliæ sequentem Epistolam in grati animi monimentum ad eundem Maximum Antistitem scripserunt:

BEATISSIME PATER,

Optata pervenit ad nos tandem Constitutio illa, quâ" Vestræ Sanctitatis autoritate quid sentiendum de controversis quinque propositionibus, quæ sunt excerptæ è Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi libris, perspicuè de-" cernitur. Excitatæ in Belgio contentiones flagrabant" etiam in Galliis & latissimum incendium per universas Ec-" clesiæ partes minabantur, nî pesti grassanti & certissimam" perniciem allaturæ obstitisset, BEATITUDINIS VE-" STRÆ indefessum studium, & ex alto petita potestas," quæ sola acerrimam illam animorum collisionem compe-" scere poterat. Agebatur de re magni momenti, de adi-"

"tu scil. ad salutem, pernecessaria Christianæ gratiæ præ-
,'sidia, & humanæ voluntatis adjumentis illis excitatæ ac
,,fotæ conatus liberos; atque de divina Christi pietate ac
,,beneficentia in universum genus humanum. Hujus do-
,,ctrinæ lucem recentioris illius auctoris disputationibus
,,obscuratam pristino nitori restituit, juxta veterem fidei
,,regulam ex Scripturis & antiqua Patrum traditione, in
,,Conciliis olim & nuper, auctoribus summis Pontificibus
,,constitutam, prolatum á Sanctitate vestra postulantibus
,,cum pluribus Galliarum Episcopis decretum. Quo in
,,negotio illud observatione dignum accidit, ut quemadmodũ
,,ad Episcoporum Africæ relationem, Innocentius I. Pela-
,,gianam hæresim damnavit olim, ad Gallicanorum Episco-
,,porum consultationem, hæresim ex adverso Pelagianæ op-
,,positam, INNOCENTIUS X. auctoritate sua proscripse-
,,rit. Enim veró vetustæ illius ætatis Ecclesia Catholica,
,,sola Cathedra Petri communione & auctoritate fulta, quæ
,,in decretali Epistola Innocentii ad Africanos data eluce-
,,bat, quamque dein Zosimi altera ad universos orbis Epi-
,,scopos Epistola subsecuta est, Pelagianæ hæresis damnationi
,,absque cunctatione subscripsit. Perspectum enim habe-
,,bat non solùm ex Christi Domini nostri pollicitatione Pe-
,,tro facta, sed etiam ex actis priorum Pontificum, & ex a-
,,nathematismis adversús Appollinarium & Macedonium,
,,nondum ab ulla œcumenica Synodo damnatos, á Dama-
,,so pauló anteá jactis, judicia pro sancienda regula fidei á
,,summis Pontificibus lata, super Episcoporum consulatione
,,[sive suam in actis relationis sententiam ponant, sive o-
,,mittant, prout illis collibuerit] divinâ æque ac summâ

per

per universam Ecclesiam auctoritate niti : cui Christiani, omnes ex officio, ipsius quoque mentis obsequium præ-„ stare teneantur. Eâ nos quoque sententiâ ac fide imbuti,“ Romanæ Ecclesiæ præsentem, quæ in summo Pontifice“ Innocentio X. viget, auctoritatem; debitâ observantiâ“ colentes, Constitutionem divini numinis instinctu á Bea-“ titudine vestra conditam nobisque traditam ab Illustrissi-“ mo Athenarum Episcopo, Nuntio Apostolico & promul-“ gandam curabimus in Ecclesiis ac Diœcesibus nostris, at-“ que illius executionem apud fideles populos urgebimus.“ Neque verò pœnæ deerunt adversùs temerarios illius violatores, quæ á jure hæreticis infliguntur, quibus“ juxta Constitutionis tenorem, & Breve Sanctitatis vestræ“ nobis directum, contumaces omnes, nullo conditionum,“ vel statuum discrimine facto, perstringemus : præsertim“ cum in Galliis Episcopos in solidum isthæc cura pertine-“ at, ubi nullos hæreticæ pravitatis Inquisitores constitui pa-“ titur mos antiquus ex jure communi profectus. Sanè“ spondere possumus Beatitudini Vestræ nihil fore quòd“ decreto Apostolico, nostræque in exequendo sollicitudini“ moram afferre possit : præcipuè cum piissimus ac Chri-“ stianissimus Rex noster, cui Breve Apostolicum unà cum exemplo Constitutionis Illustrissimus Nuntius tradidit, in-“ terpellato quoque Regiæ Majestatis præsidio, nos ad illius“ decreti executionem, edicto suo ad nos dato, pro ea quam“ debet Ecclesiæ constitutis tuitione, constanter hortetur,“ & Magistratibus universis, atque cæteris sibi subditis, tum“ ad vim arcendam, tum ad amputandas quæ fortè possent“ ab hæreseos reis excitari de foro competenti cavillationes,“ præcipiat, quátenus executionem illam omni studio & o-“

„perâ juvent atque tueantur. Quare cùm Rex cœlestis „hac in causa fœderatum habeat Regem terrarum [si fas „ita loqui cum Sixto III.] Sanctitas Vestra per petræ soli„ditatem jam contusis veritatis hostium animis, securos ab „omni externa perturbatione de nova hæresi triumphos „aget. Porrò nos Innocentio X. cujus ore Petrus locutus „est, ut Leoni I. acclamat quarta Synodus, hanc divinam lauream gratulati, sacros inter Ecclesiæ fastos , quod olim „de Synodis œcumenicis fieri solitum, Constitutionem istam „ab eo editam lubentes ex animo reponemus, cui opta„tissimam in longæva vita felicitatem adprecantur, qui sunt „cum ea, quâ par est, veneratione

„ BEATISSIME PATER,

Sanctitatis Vestræ,

„Devotissimi & addictissimi Filii, Cardinales, Archiepisco„pi & Episcopi Galliæ in Parisiensi urbe congregati.

Effugia Jansenianorum diflantur.

Hæc tam celebris censura, quæ omnes ortodoxæ fidei cultores in spem adduxerat futurum ut Jansenianæ hæreseos lues, quæ multorum animos fædabat, non serperet latiùs, optatum hunc effectum non est omnino assecuta, in ea enim non quievêre turbulenti homines.

Dixêre summum Pontificem non designasse in propositionibus damnatis, quem sensum rejiceret, & consequenter ejus censuram reprobasse sensum alienum, qui est sensus Protestantium, quem & ipsi respuebant, hinc diu jactarunt secum Bulla Innocentiana condemnare quinque propositiones, in sensu nempe alieno, quem duntaxat à cen-

sura

ſura vapulaſſe volebant, ſed ſe illas in ſenſu naturali, juxta quem damnatæ non fuerunt, adhuc ſuſtinere; quod autem ſummus Pontifex ſenſum damnatum non deſignaverit, ita certum eſt, ut ipſi etiam Theologi, qui contra Janſenii propoſitiones ſcripſerunt, inter ſe de ſenſu qui in illis proſcriptus eſt, non conveniant, nam alii illas in ſenſu Calvini, alii in ſenſu Janſenii condemnatas eſſe volunt. Verùm iſtud effugium nullo negotio difflari poteſt. Etenim ſenſus Calvini duobus modis ſpectari poteſt, vel in tota ſua latitudine, vel cum reſtrictione & mitigatione. 1mo. Senſus Calvini in tota ſua latitudine circa primam propoſitionem Janſenianam, eſt, mandata Dei eſſe omnibus juſtis impoſſibilia, ſenſus Calvini cum reſtrictione & mitigatione ſumptus circa eandem primam propoſitionem, eſt mandata Dei quibusdam juſtis eſſe impoſſibilia, ſic Janſenius. 2do Senſus Calvini primo modo ſumptus circa tertiam propoſitionem, eſt gratiam neceſſitare hominem ad agendum, ſed ipſum nihil mereri cum gratia. Senſus Calvini ſecundo modo ſumptus circa eandem propoſitionem eſt, hominem quidem à gratia neceſſitari ad agendum, ſed aliquid cum hac gratia mereri. Sic Janſenius. 3tio Senſus Calvini in ſua latitudine ſumptus circa quintam propoſitionem eſt, Chriſtum eſſe mortuum pro ſolis prædeſtinatis, nec ullam gratiam pro reprobis meruiſſe. Senſus Calvini cum reſtrictione & mitigatione ſumptus eſt, Chriſtum pro ſolis prædeſtinatis mortem ſubiiſſe, ſed quasdam gratias temporales & fugitivas reprobis procuraſſe. Sic Janſenius. Quibus conſtat ſenſum Calvini cum reſtrictione ſumptum, eſſe verum Janſenii ſenſum. Equidem in cenſura, quâ Eccleſia tres

sia tres præfatas propositiones notavit, proscripsit hasce mitigationes, ut novos errores, quorum Jansenius est faber: sed sicut error Pelagii à Semi-Pelagianorum errore valde distat, quàmvis hic Semi-Pelagianorum error sit erroris Pelagii mitigatio; ita doctrina Calvini differt à Jansenii doctrina circà tres dictas propositiones, licèt hæc sit, quod attinet ad tria isthæc puncta, emollita atque mitigata istius Hæresiarchæ doctrina. Quapropter ubi quidam inter orthodoxos Theologos scribunt tres prænominatas propositiones scil. in sensu Calvini esse damnatas, ibi sensum Calvini cum restrictione & mitigatione, non verò tota sua latitudine usurpant. Ubi autem alii scribunt illas non fuisse proscriptas in sensu Calvini, per sensum Calvini intelligunt doctrinam ejus in tota sua latitudine.

Similiter qui dicunt secundam & quartam propositiones non esse condemnatas in sensu Calvini, per sensum Calvini intelligunt eum, quem ipsi in scripto trium columnarum affinxere Janseniani; non verò illum, qui est Calvino naturalis & proprius; nam juxta præfatum tricolumne scriptum Calvinus docuit in secunda propositione *voluntatem humanam non agere cum gratia, sed esse instrumentum inanime*, docuit & circa quartam propositionem, quòd *gratia voluntatem cogit*: at quis præter Jansenianos hæc errorum portenta circà secundam & quartam propositiones imposuit Calvino? Vidimus enim supra voluntatem juxta Calvini doctrinam reipsa agere & operari cum gratia, eamque sub gratia constitutam esse ab omni coactione, etsi à non necessitate liberam. Quare Jurieu Minister Calvinianus concludit in libello *Esprit de Monsieur Arnaud*, gallicè:

Conclu-

Concludo nullam inesse eis sinceritatem ac bonam fidem, cùm nobis dogmata à nobis prorsùs aliena ascribant, ut se ipsos á Calvinianis longè recedere buccinent.

Je conclus delà qu'ils n'ont ny sincerité, ny consciente, puisqu'ils nous attribuent des sentimens, que nous n'avons pas, pour nous faire paroistre dans un grand éloignement d'eux.

Qui inter Catholicos scribunt secundam & quartam propositiones Jansenii damnatas esse in sensu Calvini, per sensum Calvini intelligunt illum, sicut revera talis est circa secundam & quartam propositiones, quæ veram Calvini doctrinam continent. Quamobrem nulla est discordia inter Theologos Catholicos contra quinque propositiones, sed omnes conveniunt, imo: quòd propositiones prima, tertia, & quinta proscriptæ sint in sensu Jansenii, qui est sensus limitans atque mitigans sensum Calvini, ut dictum est, & quod secunda & quarta sint damnatæ in sensu Calvini, non qui affingitur illi in scripto trium columnarum, sed qui verus ac realis est Calvini sensus; igitur Janseniani ex prætensa Theologorum adversús Jansenii propositiones scribentium discordia colligere non possunt ignotum esse sensum, iuxta quem labefactatæ sunt Jansenii propositiones.

2do Neque meritò effutire queunt non posse designari sensum, in quo illas proscripserit Ecclesia. Tum quia quoties Ecclesia propositionem aliquam absque sensuum distinctione expungit, toties illa expunctio, juxta regulam nemini imperviam, supra sensum proprium & naturalem cadit, seu in sensum, quem termini, ex quibus

componitur juxta vulgarem hominum usum, significant. Tum quia propositiones damnatæ sunt in illo sensu in quo illas ante censuram defendebant & quatuor supra nominati consultores, & Abbas de Bourzeis, & P. Thomasin Oratorius qui etsi doctrina & pietate conspicuus, S. tamen Augustinum tunc nonnisi in libro Jansenii ab ejusque discipulis didicerat.

At hi omnes propositiones non tutabantur in sensu alieno & intorto, hic enim sensus erat sensus hæreticus Protestantium, quem ipsi Janseniani respuebant, proindèque censura non alienum sed naturalem sensum propositionum feriit, alióquin summus Pontifex sententiam definitivam ac peremptoriam de sensu, quem nemo defendebat & de quo nullum erat inter litigantes dissidium, tulisset, quæ profectò agendi rationon Jesu-Christi Vicario, sed etiam minimo inter judices omnino indigna est, & in nullius mentem de tanto Pontifice venire potest.

Quapropter P. Wadingus, qui ante censuram acerrimus fuerat propopositionum in sensu suo naturali consideratarum vindex, statimatque lata est ceusura, animo verè Catholico dixit. [„ Si quis ante definitionem aliter censuerit, „ratione aliquâ, vel alicujus eximii Theologi authoritate „ ductus, tenetur nunc suum intellectum captivare in obsequium fidei, quod me ex toto corde & animo præstare „omnibus significo damnando & anathemate percutiendo „omnes prædictas propositiones in omni sensu, juxta quem „ illas damnare intendit sua Sanctitas, etsi existimaverim, „ priusquam condemnarentur, eas posse defendi.“]

Abbas de Bourzeis qui ante Innocentii constitutionem plures

plures in quinque propoſitionum defenſionem libros ſcripſerat, ſolemnem retractationem, in qua ſe prædictas propoſitiones ſcriptis ſuis docuiſſe agnoſcit, poſt cenſuram emiſit.

P. Thomaſſin, qui in propoſitionum errorem candidè ierat, á die latæ cenſuræ publicam ſuæ ignorantiæ & inconſiderationis confeſſionem edidit, adeò ut plures, quos ſuis Janſenianis dogmatibus in privatis congreſſibus imbuere potuerat, convenerit, eis ſe cum Janſeniana doctrina repudium factitare ſignificaturus, equidem ſuam ſcripto retractationem non commendavit, quia ſcripto Janſenii errores non ſparſerat, ſicut fecerat Abbas de Bourzeis, nihilominus ejus poſt Bullam Innocentianam opera, ipſum Janſeniſmo æquè infenſum fuiſſe, ac illi anteà addictus fuerat, comprobant; ſemper enim illum totis viribus & in facto & in jure debellavit.

Inſuper inter Janſenianos celeberrimi non dubitavere, quin á vibrato Conſtitutionis Innocentii X. fulmine propoſitiones in ſuo ſenſu naturali damnatæ ſint. Oportet, inquit auctor Epiſtolæ Epiſcopi ad Epiſcopum pag. 8. 27. 107. condemnare propoſitiones in ſuo ſenſu naturali & proprio, ac quo conſtat Innocentium eas reprobaſſe.

2do Effugium percelebre excogitaverunt Janſeniani. Cum enim propoſitiones & in ſenſu naturali & ſecundùm ſe, ſeu quoad quæſtionem juris eſſe damnatas inficiari non poſſent, ad quæſtionem facti ſuum verſatile dogma transtulerunt, oggerendo nempè nullibi præfatas propoſitiones in Janſenii libro legi ac reperiri, adeòque Janſeniſmum merum eſſe phantaſma, non in rerum natura, ſed in ſola Moli-

niſtarum mente exiſtens. Sic Arnaldus in ſua ſecunda Epiſtola ad unum Ducem & Parem Franciæ pag. 49 gallicè ſcribit.

Se eſſe paratos ad Conſtitutioni obtemperandum, ſtatimatque ipſis legendæ oſtenſæ fuerint Propoſitiones in libro, ex quo excerptas eſſe fertur & pag. 152.... *quo jure quis prætendere poſſet... ſuſpectam eſſe religionem Catholici declarare renuentis propoſitiones à Conſtitutione ſummi Pontificis uni Prælato Eccleſiæ poſt ejus mortem attributas, eſſe germanum ipſius fœtum, cum in ejus libro illas reperire non potuerit &c.*

Eſtant preſt de ſe rendre auſſitoſt qu'on leur aura fait lire ces propoſitions dans le livre, d'où l' on dit quelles ont eſté tirées. Et pag. 152... Avec quelle juſtice pourroit-on prétendre.. que la retenuë d'un Catholique à déclarer, que des propoſitions, qui ſont attribuées dans la Conſtitution d'un Pape à un Prélat de l' Egliſe aprés ſa mort, ſoient veritablement de luy, n'ayant pû les y trouver &c.

Sic Dominus Paſcal in ſuis Provincialibus, ſub ementito Ludovici de Montalte nomine literis, quæ Sanctioris Concilii decreto flammis ultricibus traditæ ſunt, ex ſententia 13. Doctorum Sacræ Facultatis Pariſienſis Cenſorum á Rege pro examinandis prædictis Epiſtolis Deputatorum, inter quos aderant quatuor Epiſcopi ſcil. Illuſtriſſimi Henricus de la Motte Rhedonenſis Epiſcopus; Harduinus de Perefixe Epiſcopus Rhodienſis; Franciſcus Faure Epiſcopus Ambianenſis ex Ordine Minorum aſſumptus; Carolus de Bour-

Bourlon Epiſcopus Sueſionenſis, qui ſententiâ datâ 2. Septembris 1660· declaravere propoſitiones Janſenii rejectas ab Eccleſia ut hæreticas, non ſolum contineri & propugnari in præfatis literis, ſed etiam in notis Guilielmi Wendrochii & in diſqviſitionibus Pauli Irenæi, quæ hiſce Epiſtolis annexæ ſunt.

Auctor verò harum notarum & diſquiſitionum ſub fictitiis nominibus wendrochii &c. deliteſcens eſt D. Nicole. Sic, inquam, gallicè ſcribit præfatus Paſcal.

Semper denegatum eſt indicare quinque propoſitiones in libro Janſenii &c.	On a toûjours refuſé de montrer dans le livre de Ianſenius les cinq propoſitions &c.

His patet eam eſſe inſtabilem hæreticorum ſortem ut modo taliter, modo aliter ſe præbeant, nec uſquam ſibi conſtent, tantâ enim certitudine ante Innocentii Conſtitutionem exiſtimabant Janſeniani quinque propoſitiones ex Janſenii libro excerptas eſſe ejusdemque genuinam de gratia doctrinam referre ut Magiſter Arnaldus & Abbas de Bourzeis, nec non alii omnes nov-Auguſtiniani illas tanquam ſanam & Catholicam Janſenii & S. Auguſtini doctrinam publicis ſcriptis, ut ſupra oſtenſum eſt, defenderint.

Nihilo tamen minùs illis omni buccarum ſtrepitu ubique vociferantibus quinque Propoſitiones ab Innocentio X. profligatas in Janſenii libro non jacere, ſubindèque qui eas tanquam in toto libro jacentes proſcripſerat laboraſſe errore facti, multis hac dere libellis ac ſcriptis Clero Gallicano

licano die 9. Martii anni 1654. Parisiis congregato oblatis, post varias inter propositiones & textus libri Jansenii commissiones ac collationes judicavit Clerus 1mo: Quinque propositiones veram esse doctrinam, quam Jansenius in suo libro ex animo tradit, explicat ac probare nititur objectionibus in oppositum allatis respondendo, quòd non obscurè ex verborum serie & probationũ antecedentiũ & subsequentium, quibus refertus est liber, texturâ colligi potest. 2. do: S. Augustinum docuisse quidem quod in hac materia regulam fidei spectabat, sed nonnullas quæstiones adjecisse, quæ nec ad fidem pertinent, nec á Papa Celestino decisæ fuerint. 3tio: Opiniones Jansenianas quas quinque propositiones complectuntur, non esse de numero quæstionum indecisarum, sed inter illas connumerari, quæ antiquæ fidei regulæ, á S. Augustino fortiter ac prævalidè propugnatæ adversantur. 4to. Nullum è Catholicis auctoribus S. Doctorem in sensu Jansenii explicuisse præter unum Baïum, quem eam ob rem summi Pontifices Gregorius XIII. & Pius V. condemnavere

His omnibus die 28. Martii in eodem Cleri conventu addidit Eminentissimus Cardinalis Mazarinus omnes in Gallia ante Pontificiam definitionem, & in Belgio extra omnem dubietatis formam censuisse quinque propositiones summam doctrinæ Jansenii continere. Quinque Sacræ Facultatis Parisiensis Doctores è Gallia Romam hujusce veritatis tuendæ gratiâ delegatos esse, nec veritatem illam nisi post latam Constitutionem in dubium á viris turbulentis ac rebellibus adductam fuisse, ut hoc pacto eluderentur Sedis Apostolicæ definitiones, Jansenium ipsum ambegisse,

an

an ſua dogmata Auguſtinianæ doctrinæ conſonarent, quippe qui illa, ut in ſuo Teſtamento ſignificat, ſanctæ Sedis cenſuræ ex animo permittit: Sancti autem Auguſtini doctrinam nullius erroris in Eccleſia ſuſpectam ſubjicere non intendebat, ſed ſingularem duntaxat explicationem, quam tanti viri doctrinæ adhibebat, quamque á quingentis annis imperviam ac ignotam fuiſſe Theologis Scholaſticis, auſus eſt affirmare.

Ex quibus evidens eſt illam ſectæ Janſenianæ circá quinque propoſitiones ante & poſt Innocentii Bullam mutationem á ſolá Janſenianorum ſinceritate originem habere. Quippé poſt cenſuram longé aliter judicaverunt quam ante, nam anteá Arnaldus cum aliis coveniebat quinque propoſitiones in Janſenii libro jacere, poſteá vero dixit non, quaſi illas cenſuræ fulmen á præfato Janſenii libro avolare feciſſet. Anteá negabat jus, & factum concedebat, poſteá jus admittens, factum negavit. Ita quód aſſeruerit hanc propoſitionem: an quinque famoſæ propoſitiones jaceant in libro Janſenii? pertinere ad quæſtionem facti, non veró ad quæſtionem juris; ſed quia ad hoc effugium recurrit, ut Janſenianam hæreſim, quam profitebatur, occultaret, Deo permittente, ita contigit, ut ſe eſſe hæreticum palám ſignificaverit, quod doctiſſimus P. du Boſc veritatis Catholicé ad versús hæreſim Janſenianam vindex acerrimus probat in opere inſcripto gallcé * *La decouverte d'une nouvelle hereſie cachée ſous la negation du fait de Janſenius*

ITAQUE IMO.

Prædictus auctor ſic probat eos, qui negant factum Janſenii, ſeu quinque propoſitiones jacere in libro Janſenii, eſſe veré hæreti-

hæreticos. Ille eſt hæreticus qui negat hæreticam eſſe doctrinam, quam Eccleſia ut hæreticam damnavit: ſed qui negat factum Janſenii, ſeu quinque propoſitiones jacere in libro Janſenii, negat hæreticam eſſe doctrinam, quam Eccleſia ut hæreticam damnavit. Etenim qui negat quinque propoſitiones jacere in libro Janſenii, negat ſummam ſeu ſuccum Janſenii libri ſubtiliſſimum eſſe doctrinam hæreticam, quam Eccleſia ut hæreticam damnavit. Nam quinque propoſitiones ſunt veluti ſumma ac ſuccus libri Janſenii ſubtiliſſimus, quippe Eccleſia declarat illas eſſe excerptas ſeu elicitas & expreſſas ex libro Ianſenii; ergo qui negat quinque Propoſitiones jacere in libro Ianſenii, negat hæreticam eſſe doctrinam, quam Eccleſia ut hæreticam damnavit; undè ſicut qui negaret hæreticam eſſe doctrinam, quæ jacet in libris Arii, Macedonii, Neſtorii, Pelagii, Eutychis &c. verè hæreticus eſſet. Johannes Antiochenus dictus eſt hæreticus, quia nolebat Neſtorium eſſe hæreticum. Theodoretus in Concilio Chalcedonenſi dictus eſt hæreticus, quod recuſaret dicere anathema Neſtorio. Multò magis ille eſt hæreticus, qui negat quinque propoſitiones legi in libro Ianſenii, quia longe certiùs detegitur heterodoxia libri quam hominis, nam liber idem ſemper manet; homo autem non.

Reponit auctor apologiæ Monialium Portûs Regii illum verè appellari hæreticum, qui negabat Neſtorium à fide alienum eſſe, quia error Neſtorii tam evidens, certus & manifeſtus erat, ut de eo dubium nullum eſſet, neque ſine amentiâ & malitiâ Catholicæ veritati infensâ negari poſſet; errores autem Ianſenii libro aſcripti eâ non clarent evidentiâ, imo plures inſignioris notæ Theologi illos nuſquam deprehenderunt; ergo &c. Con-

Contra: si talem præ se ferebat evidentiam Nestorii error, 1mo: quorsùm ergo de mente & sensu ipsius, tanquam de sensu obscuro & complicato tandiu ad schisma usque certatum est ab iis, qui eum in verbis duntaxat incautè lapsum esse contendebant, non veró in fide, quem idcircò immeritò ab Ephesina Synodo errore facti damnatum affirmabant, ejus scil. sensu non satis cognito, & explorato? Si verba, quibus vafer ille hæresiarcha suum obvolvebat virus attentè perpendantur, vix ullus alter error detectu difficilior apparebit.

Reponit idem auctor apologiæ cap. 23. clamores illos adversús Theodoretum à solis Ægyptiis ipsi infensis excitatos fuisse; jure enim ille vocari non potest hæreticus, qui fidem suam jam ante, eamque sanam & orthodoxam exposuerat.

Contra 1mo: Ægyptii octavæ actioni Concilii non interfuerunt, ut ex actis Concilii patet; igitur præfatus auctor suis lectoribus imponit. 2do: Illi Theodoretum appellaverant hæreticum, qui eum postquam dixit Nestorio anatema, dignum esse sede suâ dixerunt, at non solum Ægyptii, sed & omnes istiusce Synodi Patres dixerunt, Theodoretum dignum esse, qui suæ sedi restitueretur, ubi Nestorio anathema dixit; ergo &c. Adde Concilium quintum generale expressè affirmasse Theodoretum, unâ totius Synodi voce compulsum fuisse dicere Nestorio nominatim anathema, quod ante generatim duntaxat & sub conditione dixerat.

Nec replicare valet cum auctore defensionis Theologorum &c. contra decertum Episcopi Carnotensis clamores illos Patrum Concilij Ephesini adversùs Theodoretum, non á Spiritu Sancto movente, sed ex animorum motibus

processisse. Id, inquam, non valet, nec replica aliò tendit, quàm ut constantem auctoritatem Conciliorum subvertat. Quid enim frequentiùs hisce repentinis clamoribus in Conciliis, in quibus Patres eodem spiritu ferventes, animo concordi, unanimi voce in pravum dogma & perversé dogmatisantem insurgunt: sic tantus in Concilio Nicæno tumultus inter Patres subortus est contra formulam, quam, qui partes Arii tuebantur, Concilio obtulerant, ut offerentes hoc clamore attoniti statim Ario dixerint anathema, demptis Secundo & Theona.

Reponit supradictus apologiæ auctor unum Theodoretum Nestorii factum omninò evidens ac certum tunc in dubium revocasse, adeòque mirum esse non debere, quod Patribus suspectus meritò quidem fuerit, atque compulsus, ut communi sententiæ subscriberet.

Contra; docent certissima monumenta multos alios præter Theodoretum denegasse Chalcedonensis Concilii tempore subscriptionem damnationi & depositioni Nestorii. Extant in Synodico quàmmultæ Orientalium Epistolæ quibus adhuc propensum suum in Nestorium animum significant. Lege Epistolam Eutherii & Helladii ad Sixtum summum Pontificem, cap. 117: lege Epistolam Theodoreti ad Alexandrum, cap. 168. ubi ait, Isauros cum Ioanne Antiocheno adunatos quidem, sed depositioni Nestorii acquiescere noluisse &c. vel has Epistolas auctor apolologiæ non legerat, vel illas malâ fide siluit.

Respondent 1mo: Ianseniani illam quæstionem, an quinque propositiones jaceant in libro Iansenii? esse quæstionem facti, Ecclesia autem, inquiunt, non est infallibilis

in

in decidendis ejusmodi factis ; igitur nemo censeri potest hæreticus, qui negat factum Iansenii, quippe Ecclesia errare potuit declarando quinque propositiones esse in libro Iansenii.

Contra: 1mo: Infra videbimus præfatam quæstionem esse quæstionem juris, non facti. 2do: Dato, non concesso, quòd sit quæstio facti, dico Ecclesiam necessarió infallibilem esse, dum judicat de factis dogmaticis; alióquin potuisset falli damnando scripta Arii, Nestorii, Pelagii, & aliorum hæreticorum; potuisset etiam falli aprobando scripta SS. Cyrilli, Leonis, Augustini, & aliorum SS. Patrum; ex quo hoc absurdum consequeretur, nimirùm quòd quilibet citra fidei periculum sustinere posset scripta Arii, aliorumque hæreticorum esse Catholica, scripta veró SS. Cyrilli, Leonis, &c: hæreses continere; sicque nemo teneretur credere Ecclesiam á Christo ad nos usque infallibiliter condemnasse libros hæreticos aut propositiones hæreticas.

Respondent 2do: Janseniani Ecclesiam esse circá dogma infallibilem, non veró circá factum: quòd autem hoc dogma jaceat in tali libro aut tali propositione, est factum, ac proinde Ecclesia circá hæc decidenda non est infallibilis.

Contra: Hæc infallibilitas Ecclesiæ circá dogma nullius esset auctoritatis & ponderis, nisi sese extenderet ad libros, & ad propositiones, quia nullum est dogma, quod non contineatur vel in libro, vel in propositionibus, dogma enim, circá quod concessa est Ecclesiæ infallibilitas, existit alicubi, dogma quippe hæreticum nullibi existens non nocet, atque adeo Ecclesia non accepit infallibilitatem ad

illud perstringendum. Præterea si illud perstringere & damnare vellet, alicubi existere deberet, nam quod nullibi occurit, nullibi damnari potest; ergo dogma, de quo Ecclesia infallibiliter judicat, existere debet in libris aut in propositionibus, ac consequenter Ecclesia infallibiliter judicat dogma, ut iacet in libris, & propositionibus. Sicque judicium, quod Ecclesia tulit de quinque famosis propositionibus ut jacentibus in libro Jansenii infallibile est; quocircà quemadmodum qui negaret scripta Arii, Pelagii, &c. ut jam dictum est, propositiones hæreticas continere, meritò hæreticus esset; sic Janseniani, qui negant quinque propositiones contineri in libro Jansenii, hæretici sunt; & eò magis quòd hæc quæstio, an quinque propositiones extent in Jansenii libro? non est quæstio facti, ut obganniunt Janseniani, sed vera quæstio juris.

Namque quæstio facti transit in præteritum. * [„Facta propriè in actu vel momento consistunt, adeò ut „non existant, nec sint in rerum natura, nisi tunc quando „actu fiunt sicut habetur in lege 1mo: ff. *de operis servor.* "] Undè enuntiatur de Petro v. g. an vendiderit agrum; an mortuus sit; an scripserit hunc librum? hæc facta etsi consistant in actu, ut fiant, brevi transeunt in præteritum: quæstiones verò juris nunquam, sed de illis semper fit sermo in præsenti. Sic tam veré enuntiabatur quarto seculo de doctrina Arii: Hæc Arii doctrina jacet in illo libro, quàm nunc anno 1715. dicitur doctrina Arii jacet hoc in libro. Jam veró tam rectè enunciabatur seculo proximè elapso de quinque propositionibus Jansenianis: Quinque famo-

* Discrimen inter quæstionem facti, & quæstionem juris.

famosæ propositiones jacent in libro Jansenii, quám de illis dicitur pro præsenti : Nunc quinque famosæ propositiones Jansenii jacent in libro Jansenii ; ergo illa quæstio, an quinque propositiones jaceant &c. licét appelletur factum dogmaticum, non desinit esse quæstio juris quippequæ non transit in præteritum. Porró Ecclesia infallibiliter judicat de quæstione juris ; igitur infallibiliter judicavit quinque propositiones jacere in libro Jansenii, sed de his plura alibi &c.

Ex dictis constat quinque propositiones esse damnatas in sensu naturali Jansenii, non quidem interno ac delitescente in ejus mente, sed in sensu naturali, quam propositionum verba significant. Duplex est Jansenii & cujuslibet alterius auctoris sensus, primus in mente ejus delitescit ; secundus est ille, quem verba hujusce auctoris præ se ferunt : Ecclesia quidem quinque famosas propositiones in naturali Jansenii sensu, quem verba referunt, proscripsit, non vero in sensu delitescente in ejus mente, Ecclesia enim, ut dictum est supra, non judicat de internis, quia mens auctoris potest esse verbis suis dissona.

Quód autem in sensu Jansenii, non veró in sensu Calvini, ut anteá observatum est, illas propositiones summus Pontifex proscripserit, planum est ; quippe Innocentius X. primam propositionem damnavit, ex eo quód asserat mandata Dei esse impossibilia quibusdam justis &c. Tertiam ex eo, quód dicat ad rationem meriti non requiri libertatem á necessitate &c. Quintam, ex eo, quód per illam docuerit Jansenius, Christum non esse pro reproborum salute mortuum, quámvis quibusdam ex illis fugitivas & insta-

inſtabiles gratias meruerit ; multi enim inter reprobos per gratiam baptiſmalem regenerati ſunt, aliasque gratias accipiunt, illas veró nonniſi mortis Chriſti beneficio habent : ſed quia tales gratiæ eis ad æternam ſalutem non proſunt, Chriſtus, dicit Janſenius, pro æterna illorum ſalute non eſt mortuus ; quibus patet, purum Janſeniſmum eſſe verum cenſurarum, quibus Eccleſia errores libri Janſenii labefactavit, objectum, non veró purum Calviniſmum. Quâ ergo mentis faſcinatione auctor *Inſtitut. Theologic.* ſuſtinere auſus eſt, Eccleſiam condemnaſſe Janſenii deliria, ut purum Calviniſmum ? Hinc Eccleſia non immerito præfatas *Inſtitut. Theolog.* anathemate percuſſit, ſic Clemens XI. die 25. Septembris, 1708.

ALEXANDER VII.

Conſtitutioni Innocentii X. magnum pondus acceſſit ex conſtitutione Alexandri VII. datâ, die 16to Octobris 1656. quâ publicæ tranquillitatis perturbatores ac filios iniquitatis appellat ; qui factum Janſenii in dubium revocare auſi ſunt, & quâ claris & conceptis verbis ſignificat ſe damnare quinque illas propoſitiones excerptas ex ipſo libro Janſenii, cui nomen, *Auguſtinus*, & in ſenſu ab eodem Janſenio intento. Hujus Bullæ ſive Conſtitutionis fulmine attoniti Janſeniani, ſpecioſis quidem verbis promiſerunt ſe omni cultu, obſequio, & obſervantiâ, quam exigit á fidelibus Eccleſia in ſimilibus cauſis & in ejusmodi naturæ rebus proſecuturos deciſionem facti, quæ continetur in Conſtitutione Alexandri VII.

Verum

Verùm antiſtites Gallicani ſub illa magnifica Jaſenianorum promiſſione fraudem occultam, eosque omnem ſuam, quam ergo Alexandri Conſtitutionem pollicebantur, obſervantiam, in religioſo ſilentio collocare ſubodorantes, ad eundem Papam conquesti ſunt: Pontifex autem, ut omnem Janſenianorum effugiis ac fraudibus vim præcluderet, formulam definitionis ab omnibus ſubſcribendam direxit ad Epiſcopos Galliæ, anno 1665. ſub his verbis conceptam: *Ergo Conſtitutioni Apoſtolicæ Innocentii X. datæ die* 16. *Octobris* 1656. *me ſubjicio, & quinque propoſitiones ex Cornelii Janſenii libro, cui nomen,* Auguſtinus, *excerptas, in ſenſu ab eodem auctore intento, prout illas Sedes Apoſtolica damnavit, ſincero animo rejicio ac damno, ita juro, ſic Deus me adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.*

Nota Eccleſiam perpetuo uſu á fidelibus exegiſſe, nedum hæreſum, ſed & illarum auctorum, ac librorum, in quibus continentur, condemnationis ſubſcriptionem. Sic in Concilio Nicæno. Imo: Euſebius Nicomedienſis & Theognis Nicænus, qui Arianæ hæreſeos damnationi ſubſcripſerant, renuentes ipſius Arii perſonæ condemnationi ſubſcribere, in exilium pulſi ſunt. Sic univerſa Eccleſia Epiſtolæ Decretali Innocentii I. & alteri Epiſtolæ Zozimi damnanti Pelagianam hæreſim ſubſcripſit, ut teſtatur Epiſtolæ Præſulum Gallicanorum anni 1653. ad Innocentium X. his verbis. („ Enim veró vetuſtæ illius ætatis Eccle-„ ſia Catholica, ſola Cathedra Petri communione & aucto „ ritate fulta, quæ in Decretali Epiſtola Innocentii ad Africanos data, elucebat, quamque dein Zozimi altera ad uni-„ verſos orbis Epiſcopos Epiſtola ſubſecuta eſt, Pelagianæ,„

hæreſis

hæresis damnationi absque cunctatione subscripsit "] Qui autem Pelagii & Celestii damnationi subscribere recusabant Episcopi, deponebantur, & communione in perpetuum privabantur, ut testatur Aurelius Carthaginensis, in Epist. ad universos Episcopos, per Bisasenam provinciam constitutos. Sic in Concilio Ephesino Ecclesia Nestorii personam cum ejus errore damnavit, nullâ facta distinctione quæstionis juris, á quæstione facti; undè omnes in Synodo dixerunt sine ulla restrictione. [„ Nestorii Episto„lam & dogmata anathematizamus; quicumque hunc non „anathematizat, anathema sit. "] Sic in Concilio Chalcedonensi subscripserunt omnes, non solùm damnationi erroris Eutychis, sed & ipsius Eutychis personæ. Ante Synodum Chalcedonensem jusserat Flavianus eidem damnationi subscribendum esse, eos veró qui subscribere recusabant, ex eo quòd Eutychem arbitrarentur innocentem, cnmmunione privaverat; nndè post mortem Flaviani Anatolius factione Dioscori in ejus locum suffectus, eâque de causâ suspectus, literas communionis á S. Leone obtinere priùs non potuit, quám subscriptione datâ tum Epistolæ ipsius Leonis ad Flavianum, tum sententiæ contra Eutychem pronuntiatæ, quare actione 4ta ejusdem Synodi Chalcedonensis habetur, quód qui non subscribit prædictæ Epistolæ, cui omnis Synodus consensit, hæreticus est. Atque parúm abfuit, quin Ægyptii moras ad subscriptionem eo prætextu trahentes, quòd sibi absque suo Patriarcha subscribere non liceret, tanquam hæretici à Synodo ejicerentur.

Non solùm Ecclesiastici, sed & Laici subscribere tenebantur-

nebantur; undé in Concilio Constantinopoli habito, anno 45ↄ. non tantùm Abbates, Presbyteri, & Diaconi, verùm etiam & Laïci ipsi subscribunt damnationi Eutychis, sicut videre est ex ipso titulo libelli, quem defensores ipsius obtulerunt Marciano, actione 4ta. Concilii Chalcedonensis, pag, 524: non desunt alia Laïcorum subscribentium exempla ut patet, tum ex Synodo 8va. act. 3tia. tum ex S, Gregorio, Epist. ad Constantinum Mediolanensem.

Porrò quando qui subscribere adigebantur, separare volebant errores ab auctoribus, eorumque libris, damnando quidem errores, non verò auctores, hæretici denuntiabantur, quapropter cúm illi, qui personæ Eutychis favebant, decrevissent Eutychem damnare sub conditione, his verbis: [„ Si quis, *inquiebant*, præter ista sapit, sive Eutyches, sive alter aliquis, anathema sit. „] Synodus hac relictâ restrictione absolutam & simplicem postulavit subscriptionem ; [„ Manifestè, *aiunt Patres*, anathematizate dogma Eutychis. „] „ Ex quibus duo inferuntur contra Jansenianos, 1mo: subscriptiones simplices & absque ulla restrictione, non solùm errorum proscriptionibus sed & auctorum, librorumque eorum, seu factorum doctrinalium condemnationibus usu perpetuo in Ecclesia viguisse; atque adeo Jansenianæ hæreseos sectatores perperàm ad distinctionem juris á facto restrictivâ confugere , hanc enim nunquam recepit nec recipiet Ecclesia. 2do: Unum ex præcipuis momentis, quæ probant Ecclesiam infallibilem esse in factis doctrinalibus decidendis, est subscriptio, quam á suis subditis exegit: etenim subscribere damnationi factorum doctrinalium est, jurare se certò credere talem doctrinam esse hujus auctoris, vel contineri

in hoc libro: at Ecclesia non posset ejusmodi subscriptiones præcipere, nisi se esse infallibilem crederet, nam si fallibilis esset, perjuria præciperet; jurare enim falsum, est perjurium: atqui si Ecclesia posset falli in decisione factorū dogmaticorū, quibus jubet subscribi, posset præcipere jurare falsum, ac proinde perjurium committere: sed Ecclesia non potest præcipere perjuria, quia sancta est; à sanctitate autem perjuria præcipiendo deficeret. Sed de his plura alibi.

Nota 2do: Eos, qui subscribunt formulæ Alexandri VII. jurare sincerè se quinque propositiones non solùm ut in se spectatas damnare, verùm etiam damnare ut ex libro Jansenii excerptas, ut in eodem libro contentas, & juxta sensum ab eodem intentum: sed qui jurat sinceré damnare quinque propositiones &c. credit sincere illas esse Jansenii, ex ejus libro extractas & juxta sensum naturalem ab ipso Jansenio intentum, nemo enim sincero animo jurat se condemnare pravas alicujus auctoris propositiones, nisi sincerè & interna mentis adhæsione existimet illas á tali auctore esse prolatas, alias non candido, sed ficto ac doloso animo illas damnaret, & mendacii ac perjurii reus esse convinceretur.

Quamobrem sicut plures diversæ sortis reperiuntur Janseniani, sic omnes non eodem modo Alexandri VII. formulam recipiunt, Janseniani, quibus superstes est aliqua religio prædictæ formulæ subscribere noluerunt, quia persuasum habent subscriptionem externam signum esse interioris assensûs, volebant quidem harum propositionum, juxtá se spectatarum, non veró ut ex Jansenio excerptarum, damnationi subsignare, id est, cum jus à facto distinguerent, volebant formulam damnationis in quæstionem juris cadere,

re,

re,silentium veró religiosum erga quæstionem facti observandum esse, quocircá eos cum Arnaldo è suo gemio evomuit Sacra Facultas Parisiensis.

2do: Alii Janseniani, ne temporalibus suorum beneficiorum fructibus ac commodis privarentur, existimarunt se simpliciter & sine ulla calami & manûs restrictione Alexandri VII. formulæ quæ dogma simul & factum continet, subsignare posse, cum illa tamen mentis restrictione, ut interio eorum approbatio ac consensio in unicum quinque propositionum dogma caderet, silentium veró obsequiosum factum spectaret. Hinc præfati Janseniani, qui magno ejulatu restrictiones mentales in aliis explodunt, illarum tamen pestiferum in seipsis usum comprobare non reformidant, quod enim manu & calamo probare videntur, hoc & animo rejicere profitentur, verum in istius agendæ rationis fraudem & laxitatem totis nervis insurrexerunt priores Janseniani, & præsertim Arnaldus auctor apologiæ Monialium Portûs Regii parte 4ta. cap. 2do. ubi probat hanc simplicem subscriptionem interiori mentis ac judicii assensu destitutam verum esse perjurium ac mendacium.

3tio. Alii Janseniani eandem videntur abire viam cum eo discrimine, quód post redditam, ut loquuntur, pacem per Clementem IX. existimavêre subscriptionem simplicem, quæ Alexandri formulæ data hactenus fuerat, non cadere deinceps nisi in solum dogma cum exclusione facti; cui Religiosum duntaxat præstandum est silentium, quia,

 inqui-

inquiebant, prædictus Pontifex nonnihil de priori ſeveritate in exigenda ſubſcriptione remiſerat.

CLEMENS IX.

Nota, quód cùm omnes Galliæ Epiſcopi mandata ſua edi curaſſent pro exigenda à ſuis ſubditis Eccleſiaſticis purâ ec ſimplici ſubſcriptione formularii Alexandri VII. ſine ulla diſtinctione & reſtrictione juris & facti; 4. Epiſcopi ſcil. Andegavenſis, Bellovacenſis, Apamienſis, & Aletenſis idem præſtare detrectabant, docentes in ſuis mandatis pro ſubſcriptione formularii ſufficiens eſſe erga facta definita religioſum ſilentium &c; ſed quia cogitabatur de futura eorum in rebellionis pœnam ab Epiſcopalibus ſoliis deturbatione, vel timore perciti, vel aliorum præſulum ſuaſione adducti, vel ſibi meliùs conſulti formulario ſinceré & ſine ulla juris á facto diſtinctione ſubſcripſerunt, quamobrem illos ad pacem admiſit Clemens IX. ſequitur tenor ſubſcriptionis Epiſcopi Bellovacenſis.

Nos Nicolaus Epiſcopus Bellovacenſis vice Dominus de Gerberoy, Par Franciæ omnibus ad quos pertinet ſigni„ficamus, quód congregatâ die 14. Septembris 1668. noſtrâ „Synodo in Eccleſia noſtri Oppidi & Caſtelli de Bresle ſin„cerè ſubſcripſimus, & Eccleſiaſticos huc convocatos ſub„ſcribere curavimus fidei formulæ in Conſtitutione Ale„xandri VII. contentæ, & hoc congruenter Epiſtolæ, quam ad „SS. D. N. Papam ſcripſimus. In ejus rei fidem, præſen„tem edimus teſtificationem &c.

Acce-

Acceptis ſubſcriptionum 4. contumacium Epiſcoporum teſtimoniis hos Clemens IX. Eccleſiæ paci reſtituere voluit certò ratus eos ſincero animo & ſine reſtrictione formulario Alexandri VII. in ſuis verbalibus actis ſubſcripſiſſe, ut apertè ſignificat prædictus Pontifex imo: in Brevi ad Regem Chriſtianiſſimum hac de re ſcripto. ["Tantâ, inquit, ſanè cum lætitiâ cognovimus in ſimplici ac pura ſubſcriptione formularii 4. illorum Epiſcoporum obedientiam. 2. In Brevi ad 4. Epiſcopos, quo declarat ſe eis ſuæ paternæ benevolentiæteſtimonium dare ob Epiſtolam [" in qua, inquit, cum ingenti obſequii nobis & huic Sancتæ Sedi per vos debiti teſtificatione ſignificabatis vos juxta præſcriptum literarum Apoſtolicarum á felicis recordationis prædeceſſoribus noſtris Innocentio X. & Alexandro VII. emanatarum, ſincerè ſubſcripſiſſe & ſubſcribi feciſſe formulario in ejusdem Alexandri VII. literis edito ...." nam dictorum prædeceſſorum noſtrorum conſtitutionibus firmiter adhærentes, nullam circá illud exceptionem aut reſtrictionem admiſſuri unquam fuiſſemus. "]

3tio: Idem colligitur ex relatione Cardinalis Roſpiglioſi qui ſcribit, quòd ſi aſſeruiſſent Epiſcopi nolle ſe pro hæreticis agnoſcere quinque propoſitiones in ſenſu Janſenii, quemadmodum à Sede Apoſtolica fuerant damnatæ, id ſanè nullatenùs ferret Clemens IX. nec in re tanti momenti quidquam conniveret, quinimó acerrimè obviam ire ſtatuerat; relatio autem præfati Cardinalis eſt maximi ponderis apud Janſenianos, quippe poſtremum illius articulum in ſua defenſione contra Leyddekert ut teſtimonium locupletiſſimum eorum, quæ hac de re in arcano Clementis IX. conſilio peracta ſunt, produxêre. Unde

Undé autem tam firmam de nuda & ſimplici 4. Epiſcoporum ſubſcriptione concepit perſvaſionem Clemens IX. id ex 4. capitibus accepit. 1mo: Ex Epiſtola Regis Chriſtianiſſimi ad ipſum Pontificem maximum, nam Rex acceptâ communi á quatuor præſulibus Epiſtolâ datâ 11. die Septembris anni 1668. quâ ſe ſincerè Apoſtolicis conſtitutionibus ſubſignaſſe denuntiabant, Clementem IX. hac de re quám citiùs potuit certiorem fecit. Regi verò pro tanta celeritate gratulans Pontifex, ſic per breve reſpondet. [„ Tanta ſanè cum lætitia cognovimus in ſimplici ac pura „ſubſcriptione formularii 4. illorum Epiſcoporum obedien„tiam & obſequium ...... quare Majeſtatis tuæ in ea re „ſtatim nuntianda & inſigni gratulatione proſequenda ſtu„dium & amore incomparabili cum gaudio animique grati „mutuâ reſponſione pervidimus. “]

2do: Hanc perſuaſionem ab Epiſtola ipſorum 4. præſulum hauſerat Pontifex, in qua ſe ſincerè & ſimpliciter aliorum Epiſcoporum ſecutos eſſe inſtitutum declarant. 3tio: Ex Epiſtola Laudunenſis Epiſcopi primi ex pacis mediatoribus, in qua præfatus Epiſcopus exponit 4. præſules ſuam puram ac ſimplicem ſubſcriptionem aliorum Epiſcoporum ſubſcriptioni conformaſſe, affirmatque prædictos 4. præſules ſuam ſimplicem ſubſcriptionem communi Epipiſtolâ ſummo Pontifici declaraſſe. [„ Illud in communi ad Beatitudinem veſtram Epiſtolâ diſertis verbis profeſſi ſunt. “] 4to: Ex eorum teſtificationibus ac Epiſcopi Catalaunenſis declaratione. Hæc ſunt præcipua capita, quæ Pontifici perſuaſerant 4. Epiſcopos ſine diſtinctione ac reſtrictione formulario ſubſignaſſe.

Ad

Ad præſentis rei pleniorem intelligentiam obſervandum eſt nonnullas ad pacem Clementem IX. inter & contumaces Epiſcopos conciliandam appoſitas fuiſſe conditiones. Namque jam dudum ſummus Pontifex præfatos Epiſcopos á pace quam petebant repulerat, quia formularium ſubſignare, & á ſuo Clero ſubſignari renuebant abſque diſtinctione juris quod credere dicebant, á facto cui ſilentium duntaxat religioſum præſtabant: id eſt, volebant ſuam ſupſcriptionem cadere in jus, ſeu in quinque propoſitiones ſecundúm ſe ſpectatas, non autem in factum, ſen in propoſitiones ut Janſenii libro attributas ſive ex illo excerptas. Clemens veró hanc diſtinctionem proſcribebat, ab eisque puram & ſimplicem ſine ulla diſtinctione, aut reſtrictione ſubſcriptionem tam conſtanter exigebat, illâ denegatâ, nullus eis ſperandæ pacis relinqueretur locus.

Itaque prima pacis conditio hæc eſt, ut Epiſcopi hucusque rebelles, mandata ſua publica, in quibus jus á facto diſtinguebant non revocarent, quod Pontifex prudente œconomiâ, ac diſpenſatione egit, ut nimirùm diuturnam illorum contumaciam paulatim frangeret, eoſque ad pacem faciliùs adduceret, ſimili prudentiâ uſus eſt S. Cyrillus erga Joannem Antiochenum, & Theodoretum. 2do: Ut quilibet illorum in ſuä reſpectivè Diœceſi Synodum haberet in quâ ad actorum verbalium calcem attexeret formulam Alexandri ſeptimi, cui & ipſi ſine reſtrictione ſubſcriberent, & ſuos Eccleſiaſticos ſic ſubſignare curarent; hæc autem clanculùm & abditè peragenda erant, ut cum minori pudore palinodiam recantarent quatuor Epiſcopi, & hoc pacto eorum honori conſuleretur, & pudori.

Hæc

Hæc tamen palinodia etsi clandestina eis adeò molesta visa est, ut de illa conquesti sint in suâ ad maximum Pontificem Epistolâ ; *Arduum*, inquit, *id nobis ac perdifficile fuisse non diffitemur*, *&c.* Ob suorum scil. inimicorum dicteria, quibus hæc suæ sententiæ mutatio eos exponebat, etenim obstinaté statuerant, se nusquam subsignaturos absque restrictione, summus verò Pontifex hanc restrictionem absolutè rejiciebat, eosque à pace Ecclesiastica arcebat, nisi purè simpliciter subscriberent ; at maluerunt quatuor Episcopi decretum pervicax mutare, quod non sine magna difficultate præstiterunt, quam extra Ecclesiæ pacem vivere & mori ; undè Clemens IX. acceptis ab illis quas exigebat subscriptionibus, sic loquitur in Brevi ad Episcopos pacis sequestres, dato die 19. Januarii anni seqentis ; non „sine lætitiæ sensu, ait, pervidimus ex literis Fraternitatum „vestrarum de perfecta & integra obedientia nobis & Apo„stolicæ Sedi præstita, per Episcopos Andegavensem, Bello„vacensem, Appamiensem, & Aletensem subscriptione for„mularii sincero animo & juxta præscriptum literarum „Apostolicarum ab eis facta. "] Certe horum Brevium tenore liquidò constat 4. prædictos Episcopos sine ulla juris à facto distinctione & exceptione nomen formulario Alexandri VII. propriâ manu ascripsisse.

Ex quibus sic conficio argumentum. Illi subscripserunt verè & simpliciter, necnon absque ulla juris & facti distinctione quos Clemens IX. declarat subscripsisse formulario juxta constitutionum Apostolicarum præscripta, & quos testatur idem summus Pontifex ad Ecclesiæ pacem nusquam admittendos fore nisi purè & simpliciter subscripsissent,

fissent, *nam prædecessorum nostrorum constitutionibus firmissimè inhærentes*, ait idem maximus Pontifex in rescripto ad eosdem 4. Episcopos dato, anno 1669. die 19. Januarii *nullam circa illud exceptionem aut restrictionem admissuri unquam fuissemus*: atqui testatur Clemens IX. 4 antea rebelles Episcopos purè & simpliciter formulario subscripsisse &c.

EFFUGIA JANSENIANORUM VANA.

Objiciunt Janseniani illa, quam ægrè experti sunt difficultas 4. Episcopi, non ex sententiæ mutatione procedit, ab illa enim nunquam recesserunt, sed ex eo quòd in summi Pontificis gratiam mandata sua publica in acta verbalia arcana mutaverant, id est distinctionem juris à facto ex mandatis suis publicis, in quibus inserta erat, ut summo Pontifici placerent & quasi ex indulgentia expunxerunt, illamque in suis duntaxat actis verbalibus clàm inscripserant.

Contra hæc replica merum est versipellis illius Janseniani auctoris libelli cui nomen Gallicè, *Paix de Clement IX.* effugium, sed nullo fulcitum fundamento. Tum quia testificatur Pontifex se constitutionibus suorum prædecessorum firmissimè inhærere: at constitutiones Innocentii X. & Alexandrii VII. prædecessorum Clementis IX. ita jus & factum complectuntur, ut internum mentis obsequium respectu utriusque postulent.

Porrò Clemens multùm de prædecessorum constitutionibus remisisset, si publicè puram ac simplicem subscriptionem postulans, clàm & occultè mentis obsequium respectu juris, religiosum verò silentium respectu facti permisisset,

misisset. Tum quia alii Episcopi pacis mediatores summo Pontifici significant se non aliter sentire, quám 4. Episcopos: sed illi mediatores Episcopi jam simpliciter & nudè absque distinctione & restrictione formulario subsignaverant, mandataque, ut similis à suo respectivè Clero daretur subscriptio, edi curaverant; ergo &c.

Instat Arnaldus præfatos Episcopos in suis verbalibus actis exposuisse quidquid mente conceperant & animo gestabant: at in his actis non simpliciter & absque restrictione subscripserunt; ergo &c.

Resp. Dist. Et illud quod in actis subscripserunt 4. Episcopi summum Pontificem latuit, Conc. secùs, Nego. Si hæc acta Pontifici comperta fuissent & illa silentio vel voce, vel scripto comprobasset in 4. præsulum gratiam, proferri posset nihil in eorum subscriptione voluntati Pontificiæ dissonum crepare; sed notum est omnibus acta hæc verbalia arcana fuisse & 4. Episcopos suam, majori quâ potuerant astutiâ & calliditate, Clementi IX. occultasse subscriptionem, quam si cognovisset, illam nova anathemate percussisset, nihil de prædecessorum suorum constitutione remittere nolens, quid exin Arnaldus inferre potest? nisi quod 4. rebelles Episcopi clám ejuraverunt fidem, quam verbis & scriptis publicis professi sunt.

Instat in suo Jansenismi phantasmate: subscribere sincerè, est subscribendo exponere quod in corde geritur; sed 4. Episcopi exposuere subscribendo in actis verbalibus id omne, quod circa factum Jansenii in corde gerebant; ergo significando summo Pontifici se sincerê subsignasse à vero non recesserunt.

Re-

Resp. Dist. Subſcribere formulario ſinceré, eſt ſubſcribendo exponere quod corde geritur, ſi quod corde geritur ſit formulario conforme, Conc. ſecùs, Nego. Secundùm doctrinam ab Arnaldo in apologia Portûs Regii traditam, ſinceré alicui actui ſubscribere, quale eſt formularium, eſt illi subscribere, non juxtà particularem sensum, quem quis in mente habere poſſet, mutando aut reſtringendo vulgarem terminorum ſignificationèm, ſed juxta intentionem publicam & cognitam iis, qui talem imperant & exigunt ſubſcriptionem: hæc enim publica intentio eſt norma conſcientiæ eorum, qui ſubſignant: ſed publica intentio Eccleſiæ imperantis & exigentis formulæ Alexandri VII. ſubſcriptionem, eſt ut ſinceré ſubſcribentes nedum jus, ſed etiam factum in formulario claré expreſſum agnoſcant, id eſt, quod non ſolùm quinque propoſitionum damnationi, ſed illarum damnationi juxta ſenſum á Janſenio intentum ſubſcribant.

Noverant 4. Epiſcopi hanc eſſe Clementis IX. intentionem; quare ipſum Pontificem per Epiſcopos pacis mediatores & per Regis Epiſtolam monitum voluerant, ſe ad ipſius placitum ſinceré & ſine reſtrictione ſubſignaſſe; ergo dum dixere vel ſcripſere formulario ſubſcripſiſſe non aliter intelligi potuerunt, ſubſcripſiſſe, quám ſine reſtrictione, qualemcumque juris á facto diſtinctionem mente revolverint; ſubindéque Clemens IX. per ſubſcriptionem ſinceram 4. Epiſcoporum nonniſi ſubſcriptionem integram & ab omni reſtrictione abſolutam concipere potuit.

Quare cum Eccleſiâ & ſummi Pontifices jubeant, ut qui formulario ſubſcribunt, credere profiteantur quinque propoſitiones, non ſolùm in ſenſu in quo damnatæ ſunt,

esse hæreticas, sed & juxta eundem sensum in Jansenii libro reperiri; subscriptio 4. Jansenianorum Episcoporum, qui subscripserunt formulario in suis actis clandestinis cum restrictione furtiva, ementita ac fraudulenta erat, ut poté ab intentione Ecclesiæ aliena, nec illam passus fuisset Clemens, si Sanctitati suæ comperta fuisset.

Opponit Nicolius intrepidus hæreseos Jansenianæ propugnator in sua de imaginaria hæresi Epistola, multi Cleri Gallicani antistites vivâ voce declararunt factum Jansenii & alia similia facta nullam promereri internam fidem; adeóque notum esse illos, qui suum formulario Chirographum præbent, credere id duntaxat quod est juris, at veró quod est facti religiosum deferre silentium, quia, inquit, subscriptio facti cum jure annexi ex ipsius facti natura determinatur ad designandum fidem erga jus, & silentium erga factum absque ulla restrictionis & distinctionis, quæ semper subauditur, explicatione.

Resp. Dist. Id dixere multi antistites in privatis colloquiis, transeat; in Conventibus, in quibus erant conciliariter congregati, Nego. non interest quid nonnulli dixerunt antistites, sed quid conciliariter aut conventualiter egerunt, quia ex actis ubi antistites locuti sunt, & loqui intenderunt tanquam Ecclesiæ pastores, non veró ex privatis confabulationibus, quæ juridicis eorum testimoniis adversari possent, de veró Ecclesiæ sensu judicandum est, alióquin nemo certam ac ratam alicujus Concilii œcumenici decisionem haberet, nisi sibi compertum foret, omnes, qui huic subscripsere Patres, interiùs fuisse de illa re persuasi, quapropter scire satis est illos synodaliter subsignasse, quia eorum

eorum concors & ſolemne ſuffragium, Eccleſiæ ſuffragium eſt, & ſi intús & privatim contrarium quid ſenſerint.

Porrò omnes Eccleſiæ Gallicanæ præſules, demptis 4. aut 5. formularium Cleri Gallicani aut ediderunt aut editum approbavere, omnes etiam, demptis hiſce 4. aut 5. Alexandri VII. formulæ ſubſignaverunt; igitur ubi illud proponunt â ſuis Diœceſanis ſubſcribendum, ab eis fidem circa factum interiorem exigunt, nam in hanc fidem adornatum eſt formularium, ut qui illi ſubſignant teſtentur publicè ſe jus & factum, Janſenii credere, licèt contrarium in mente opinionem revolvant, quia non ex privata ſubſcribentium intentione, non ex facti natura, ſed ex intentione publica & ex formularii fine determinatur ſubſcriptio.

Inſt: Dum fidei formulæ Chirographum ſubjicio, factum Janſenii hoc meo Chyrographo profiteri non intendo; ergo illi ſubſcribendo cum mentis reſtrictione perjurus non fio.

Reſp. Neg. ant. Qui enim jurat, juxta naturalem formulæ, cui nomen apponit, ſenſum, jurat conſentire ſimpliciter, niſi ipſe ſubſcribens publicè denuntiet, ſe alium formulæ ſenſum adhibere, id autem ſubſcribendo Alexandri VII. formulario non contingit.

Inſt. Eccleſia non alia in facto Janſenii poteſtate gaudet, quam ſilentium obſequioſum exigendi; ergo meritò ſupponere poſſum, illam in ſubſcriptione ad quam me aſtringit, hoc duntaxat exigere ſilentium.

Reſp. Neg. ant. Conſtat enim ex ante dictis Eccleſiam ſemper ejusmodi ſubſcriptiones exegiſſe & conſequenter eam habere illas exigendi poteſtatem ; undè qui exiſtimat unum ſolùmmodo penès Eccleſiam jus eſſe ſilentium nempé religioſum imperandi, á ſubſignanda fidei formula, ne perjurii crimine contaminetur, abſtinere debet. Quámvis enim ſolâ ſilentium obſequioſum in facti quæſtione exigendi auctoritate polleret Eccleſiia, perjurii tamen reus eſt ille, qui Janſenii facto fidem abnuens formulæ hoc factum exprimenti ſubſignat, quia Deum ſuâ ſubſcriptione teſtem fidei, quam facto non habet, appellat.

Nam ſicut licèt Pagani Reges nullo jure Chriſtianos à veræ religionis actu deficere juberent nihiloſeciús Chriſtiani, qui coram Regibus fidem, quam intùs retinent ore aut veſte aut alio ſigno ejurare profiterentur, idololatriæ noxam ac perjurii ſcelus perpetrarent, quia externa iſtiuſmodi ſigna ad falſæ religionis profeſſionem & veræ abjurationem deſignandam inſtituta ſunt. Sic qui factum Janſenii non credens, tamen formulæ Alexandri VII. nomen aſcribit, falſi juramenti conſcius eſt; quippe qui formulæ ad fidem facti Janſenio deſignandam fabricatæ ſubſcribit.

Inſt. Si hæc doctrina vera eſt, ſequitur Baccalaureos & Doctores, qui poſt ſubſcriptum á ſe formularium fidem facto Janſenii abrogant & Arnaldi cenſuram, ejurant, falsó dejuraſſe & perjurii labe inquinatos eſſe.

Reſp. Conc. totum.

Objiciunt 2do: Janſeniani, ne novem commiſſarii antiſtites in quatuor Epiſcopos juxta Papæ & Regis pronuntiata

tiata inquirerent, 19. Galliæ Episcopi scripserunt communem Eistolam ad Clementem IX. quæ incipit: *Cum exordio Pontificatus vestri &c.* in qua quatuor Episcoporum sententiæ se adhærere his verbis professi sunt; ita sentire. [„ Si criminosum existimetur, non hoc proprium ipsorum, sed omnium nostrorum, imò totius Ecclesiæ crimen fuerit. „] aliam similem ad Regem Christianissimum misere Epistolam iidem Episcopi, quæ cum ipsi valde displicuisset supremus Parisiensis Senatus jussit illam supprimi.

Hanc Epistolam, quam in quatuor Episcoporum defensionem arripiunt Janseniani, mirum in modum extollunt. Novemdecim Episcopi, inquiunt, per illam communem Epistolam approbant quatuor Episcoporum circá factum Jansenii doctrinam, aiuntque illam esse universalis Ecclesiæ doctrinam: igitur vel summus Pontifex admisit ad Ecclesiæ pacem quatuor Episcopos absque prioris suæ de Jansenii facto opinionis ejuratione, vel novemdecim Episcopos ad ejurandam suam Epistolam damnavit; vel tandém illos ab Ecclesiæ pace segregavit, quia testati sunt se idem cum quatuor Episcopis sentire; atqui summus Pontifex non segregavit à pace Ecclesiæ novemdecim Episcopos, nec illas ad suæ Epistolæ condemnationem coëgit; ergo quatuor præfatos Episcopos ad Ecclesiæ pacem sine rejecta priori opinione admisit. Idem dicendum de Arnaldo, qui ad Ecclesiæ pacem cum quatuor Episcopis absque suorum dictorum & scriptorum adversùs Jansenii factum revocatione.

Resp. Neg. maj. Dist. Epistolæ verba: Idem sentiunt novemdecim Episcopi ac quatuor rebelles quoad factum

ctum personale, Conc. Idem sentiunt quoad factum doctrinale, Nego. 1mo: Quod quinque propositiones damnatæ iisdem omninó verbis expressæ sint, ut in Jansenii libro continentur. 2do: Quod sensus propositionum damnatus, sit internus ac latens Jansenii sensus; sunt duo facta personalia non revelata de quibus, quilibet prout voluerit sentire potest, de iis enim nec pronuntiavit Ecclesia, nec infallibiliter pronuntiare potest; hinc novemdecim Episcopi arbitrantes Clementem IX. Ecclesiæ pacem quatuor rebellibus, Episcopis denegare, ex eo quód internæ mentis obsequio nollent definitioni Pontificiæ in personali facto Jansenii acquiescere, unanimi consensu ad maximum Pontificem scripserunt nullam sibi denegandæ pacis á sua Sanctitate firmam ac solidam rationem affulgere, cum se & ipsi in eadem cum quatuor Episcopis opinione versari profiterentur.

[„ Quidam, inquiunt, in hac Epistola, apud nos novo „ & inaudito dogmate ausi fuerant disseminare] Ecclesiæ „decisionibus ergà facta quotidiana á Deo non revelata eandē „ habendam esse fidem ac dogmatibus à Deo in Scriptura, „ & traditione revelatis, & hoc dogma, quod ab omnibus „priscis & modernis Theologis reprobatum est, ut suffultum vestri prædecessoris constitutione evulgabant: quatuor autem Episcopi, de quibus agitur, huic manifestissimo errori communem, sed veram ac certam doctrinam suis in mandatis opposuerunt, scil. Ecclesiæ definitionem non esse in humanis factis & à Deo non revelatis infallibilem &c.

His aut æquivalentibus verbis (hæc enim è Gallico in Latinum converti) conjicere licét novemdecim. Episco-

Episcopos de solis personalibus factis, non autem de doctrinali facto Jansenii mentionem facere.

1mo. Loquuntur de errore manifestissimo, de dogmate recenti & inaudito ab omnibus Theologis proscripto; at Ecclesiam esse infallibilem in factis doctrinalibus & interiorem à fidelibus mentis assensum circà hæc facta exigere, nec est 1mo: error manifestissimus, nec inauditum dogma, aliàs quinta Synodus generalis spuria & non œcumenica foret, 2do: nec dogma ab omnibus Theologis priscis & modernis explosum, noverant enim prædicti Episcopi, & Clementem IX. & ejus prædecessores & Cardinales ac Theologos, qui congregationibus pro re Janseniana habitis, interfuerant, illud idem dogma tenuisse; igitur Epistola novemdecim Episcoporum non de factis doctrinalibus, sed merè personalibus intelligenda est.

2do: Omnes vel ferè omnes novemdecim Episcopi adfuerant generalibus Cleri Gallicani comitiis, ubi adornata est fidei formula, cui subscripsère omnes & testati sunt se sincerè ore & corde rejicere quinque propsitiones in sensu Jansenii, subscripsère pariter formulæ Alexandri VII. sine ulla restrictione. 1mo: Illustrissimus Dominus de Gondrin Senonensis Archiepiscopus, cujus nomen in fronte supradictæ Epistolæ scriptum est, declaraverat 1mo: coram Cleri Gallicani cœtu anni 1656 in conscientia teneri se Innocentii X. constitutioni juxtà verum sensum â Clero Gallicano, die 28 Martii anni 1654. expositum & per Breve Alexandri VII. confirmatum acquiescere, id est, declaraverat se sine conscientiæ labe non posse nondamnare in quinque propositionibus doctrinam Jansenii, in libro, cui titulus *Augustinus* contentam.

2do: Anno 1661. nedum in Epistola ad Nuncium Apostolicum scripta, sed etiam in mandato pro subsignanda Cleri Gallicani formula, cui ipse subscripsit, significaverat quinque propositiones esse hæreticas & in sensu Jansenii damnatas. Illustrissimi Franciscus Faure Ambianensium, & Carolus Suessionensium Episcopi, qui præfatæ communi Epistolæ nomen & consensum dedere, judices pro *Literarum Provincialium* cognitione & examine delegati fuerant, & cum aliis deputatis juridicé pronuntiaverant die 7. Septembris anni 1660. hæreses Jansenii ab Ecclesia condemnatas in præmemoratis provincialibus Literis legi, easque acriter sustineri ac defendi.

Ista omnia non latebant Clementem IX. qui fuerat de congregationibus & á Consilio summi Pontificis sui prædecessoris, dum hæc agebantur; igitur necessum est antistites illos, doctrinâ ac virtute nobiles, ea de repugnatia fuisse locutos, ac pernegasse id, quod antea jurejurando asseruerant , & consequenter eos esse mendacii & perjurii reos, quod de tantis viris cogitare nefas est, vel in opinionem quatuor Episcoporum non abiisse, nisi ratione factorum personalium. Sed esto, idem reverâ novemdecim Episcopi in sua Epistola senserint, ac quatuor rebelles in suis mandatis, ex hoc tamen inferre non licet Clementem IX. illam in sensu personali ab authoribus intento approbasse, hæc enim Epistola æquivoca est, & per facta quotidiana de quibus loquitur, & quorum definitionibus volebant aliqui eandem habendam esse fidem ac dogmatibus revelatis, intelligi possunt vel facta doctrinalia, vel personalia, & non revelata; probabilius veró est summum Pontificem, prædi-

prædictam Epistolam de factis personalibus intellexisse.

Namque sic intellecta conformis est formulariis, quibus publicè subscripserant novemdecim Episcopi, nec aliter de illis judicare poterat Pontifex, quin eos fide-fragos & perjuros diceret, á quo sanè Pontificis mentem charitas & publica suæ internæ, quam Apostolicis constitutionibus dederant, obedientiæ testimonia, removebant; nec dicas etiam librum Jansenii hoc pacto in bonum sensum explicari posse; id, inquam, ne dixeris, quia hic liber á fronte ad calcem pravam doctrinam sapit & insonat, nisi autem novemdecim Episcoporum Epistola de factis non revelatis & personalibus intelligenda sit, doctrina, quam antea palám voce & scripto professi sunt, omnino dissona erit.

3tio: Scribunt Episcopi in hac Epistola suam opinionem, si crimen sit, esse crimen seu opinionem totius Ecclesiæ; at opinio quæ fidem internam aut internum mentis obsequium decretis Ecclesiæ circá facta doctrinalia abjudicat, non est totius Ecclesiæ opinio, ut videbitur, & ut constat in quinq; propositionibus Jansenianis ; constitutiones enim Apostolicæ à quibus proscriptæ sunt, ab universa Ecclesia acceptæ fuerunt, quippe quæ non minori obedientiâ binas Alexandri VII. Bullas, quæ factum spectant, accepit Ecclesia, quàm Innocentii X. Bullam, quæ ad jus pertinet.

Sed nisi communis fidelium sententia teneret Ecclesiam posse in factis doctrinalibus, seu in suis circa sensum librorum & authorum definitionibus internam mentis adhæsionem â fidelibus exigere, omnes omnium regionum Catholici nec præfatas constitutiones accepissent, nec iis ob-

temperassent, sed illis contigisset simile quid illi, quod decretis quinti Concilii generalis contigerat, quidam enim huic Concilio fidem abrogavèrunt, quia arbitrabantur Ecclesiæ deesse authoritatem in ferendo de sensu quorumdam Scriptorum, quæ Concilium anathemate ferierat, judicio.

Idem sané respectu Pontificiarum in facto Jansenii Constitutionum evenisset, si totus orbis Christianus persuasum non habuisset, Ecclesiam & summos Pontifices, per quos sua fundit oracula, tam infallibili authoritate in factis doctrinalibus pollere, ut non solùm illa revereri, illis parere debeamus, sed & illis fide internâ, & interiori mentis obsequio assentiri teneamur; proindeque opinio, quæ infallibilitatem Ecclesiæ in censura librorum & authorum, & summorum Episcoporum decisionibus ab universa Ecclesia receptis denegat, non est totius Ecclesiæ opinio.

Undé sequitur, Epistolam novemdecim Episcoporum de factis personalibus non revelatis intelligendam esse, aiunt enim opinionem, quæ factis, de quibus agunt, interiori judicio non acquiescit, esse totius Ecclesiæ opinionem. At clamant ad unum omnes, rem ita respectu factorum personalium se habere. Addidi decisionibus Pontificum á tota Ecclesia receptis, quia docent Galliæ Theologi summorum Pontificum decreta non esse infallibilia, nisi accedente totius Ecclesiæ consensu, sicuti accessit constitutonibus circa propositiones Jansenii.

Quod exterarum nationum antistites formularium nec quoad factum, nec quoad jus á suis Diœcesanis subsignandum non tradiderunt; hoc accidit, quia eos Janseniana hæresis non fœdaverat, nec proinde ullo, ut ab ejus purgarentur

tur contagione, egebant remedio.

Resp. 2do: Dist. Novemdecim Episcopi idem cum quatuor Episcopis sentiunt, dato quód perfectè mentem quatuor Episcoporum assecuti fuerint, Conc. Secùs, Nego. Porrò probabile est novemdecim Episcopos mentem quatuor non fuisse omninò assecutos, quippe qui hi unum silentium obsequiosum erga factum Jansenii admittebant, illi verò internum mentis obsequium ei exhibuerant, ut ex eorum mandatis, quæ sine juris á facto distinctione concepta erant, & ex illorum Alexandri VII. formularii subscriptione evincitur.

Insuper viderant Episcopum Alectensem per quatuor aut quinque annos strenuè & prudenter contra Arnaldum summi Pontificis jura tueri, qui Pontifex, aiebat Alectensis, authoritate sibi à Christo Domino collatâ, ubi conciliariter Ecclesia congregata non est, potest in factis Janseniano facto similibus, interiorem animi consensum á fidelibus exigere & omnes fideles ex conscientiæ proscripto summo Pontifici in ejusmodi facti quæstionibus decidenti teneri hoc mentis obsequium præstare.

Testes hujus Alectensem inter & Arnaldum concertationis fuerant novemdecim Episcopi; undè poterant suspicari illum Alectensem, qui trium aliorum præsulum erat veluti Dux, non tam leviter & inverecundè mutasse sententiam; quare ex præmemorata Epistola haud obscurè colligitur sensum quatuor Episcoporum non rectè intellexisse; alióquin hac in sua ad Papam Epistola non simularent se in quatuor sententiam descendere, vel dicunt verisimile esse eos integram quatuor Episcoporum mentem exponere no-

 luisse,

luiſſe, ſed diſſimulaſſe, ut Pontificis animum ad pacem faciliùs inflecterent.

Namque ex illorum novemdecim Epiſtola planum eſt, quatuor Epiſcopos non aliam rejeciſſe opinionem, quàm quæ aſſerit humana & perſonalia facta non revelata, non minùs quàm quæ in Scripturis & traditione revelata ſunt. eſſe fide tenenda, cui malo, inquiunt novemdecim, ut occurrerent quatuor prædicti Epiſcopi, ſimul ut quorumdam ſcrupulis mederentur, oppoſitam huic manifeſtiſſimo errori doctrinam, ſimul & certiſſima in mandatis ſuis expoſuerunt.

Sed quia certum eſt quatuor Epiſcopos non tantùm ſtam', ſed & aliam opinionem, quæ mentis obſequium exigit ergà definitiones facti doctrinalis, rejeciſſe, de qua tamen prudenter ſilent novemdecim Epiſcopi, vel quia, ut dictum eſt, mentem quatuor accuratè non conceperant, vel integram eorum mentem exponere nolebant, quò faciliùs animum Pontificis, ad pacis negotium inflecterent, quod haud dubiè ad optatum finem nuſquam deduxiſſent, ſi germanam præfatorum quatuor Epiſcoporum opinionem circà facta doctrinalia ſummo Pontifici apertè retuliſſent, ut teſtatus eſt Clemens IX. in ſuo Brevi ad quatuor illos Epiſcopos dato, die 28. Septembris anni 1668.

Opponunt 2do: Janſeniani novemdecim Epiſcopos mentem quatuor Epiſcoporum perfectè concepiſſe, nec illam ſummo Pontifici ullatenùs occultaſſe, ſed ſe cum illis in omnibus conſentire apertè ſignificarunt; namque quatuor Epiſcopi in Epiſtola, quam ad Clementem IX. pacis

cis obtinendæ gratiâ ſcripsêre, teſtantur ſe eandem amplecti ſententiam, quam ſecuti ſunt illi præſules, quos novemdecim Epiſcopi in Epiſtola ſua commemorant, dicunt enim quatuor Epiſcopi [„Cum multi Gallicani Epiſcopi" nobiſcum ſenſibus conjunctiſſimi eam diſciplinæ formam" amplexi ſint ; quam Sanctitati veſtræ acceptiorem in-" telleximus. Nos ...... non piguit inſtitutum eorum " imitari &c. "]

At illi Epiſcopi, quos quatuor contumaces imitati ſunt & qui commemorantur in Epiſtola novemdecim antiſtitum, diſtinxêre in ſubſcribenda formula quæſtionem juris á quæſtione facti, illi fide interna acquieverunt, huic autem obſequioſo ſilentio. [„ Multi, inquiunt novemdecim" Epiſcopi, ex inſignioribus inter nos, non ſecùs ac quatuor illi" (rebelles ſcil.) ſive in mandatis publicis, etſi typo non" conſignatis, ſive in actis verbalibus quæ in ipſorum tabli-" nis leguntur, præſtiterunt. "] Porró iſti præſules, de quibus loquuntur novemdecim Epiſcopi, ſunt Archiepiſcopus Senonenſis, Epiſcopus Lucienſis, & quidam alii ; ergo &c.

Reſp. Neg. maj. Si enim novemdecim Epiſcopi perfecté mentem quatuor rebellium aſſecuti eſſent, etſi ſic aſſecuti nihil de illa ſummo Pontifici ſimulatione velaſſent, exortes pacis ſemper remanſiſſent, ut claré & diſtinctè ſignificavit Clemens Pontifex in ſuo ad illos Brevi, de quo ſuprá nullam reſtrictionem ſe fuiſſe admiſſurum.

Ad prob. Neg. Legi in Epiſtola quatuor rebellium ad ſummum Pontificem, illud nomen *multi*, quaſi per hoc nomen, *multi*, intelligantur Epiſcopi, quos ſubſignaſſe cum diſtin-

diſtinctione & reſtrictione Janſeniani prædicant, nam in autographa Epiſtola talem, qualem Archiepiſcopus Senonenſis & Epiſcopus Catalaunenſis á quatuor præſulibus accepere, & Nuntio Apoſtolico, qui eam poſtridiè Romam direxit, tradiderunt, non habetur illud nomen, *multi*.

[„ Nam cum, inquiunt quatuor illi, in exequenda „deceſſoris veſtri de ſubſcribenda fidei formula conſtitutio„ne Gallicani Epiſcopi nobiſcum ſenſibus conjunctiſſimi „&c. hîc ſiletur nomen, *multi*,] item Epiſcopus Laudunenſis, poſtà Cardinalis Eſtrius, unus è pacis ſequeſtribus in ſua ad Clementem IX, in quatuor Epiſcoporum gratiam Epiſtola, illius nominis, *multi*, non meminit [„ Novâ necnon ſincerâ ſubſcriptione aliis Epiſcopis, ait Cardinalis præfatus, conſentiunt Illuſtriſſimi Alectenſis, Apamienſis, Andegavenſis, & Bellovacenſis, á quibus in ſubſcribenda fidei formula aliquatenùs receſſerant &c. „] quibus verbis indicat Epiſcopus Lauduenſis quatuor Epiſcopos conſenſiſſe in ſubſcribenda formula illis Epiſcopis, á quibus in ſuis prioribus mandatis alieni fuerant.

Sed quatuor refractarii præſules alieni non fuerant à multis illis Epiſcopis, de quibus novemdecim Epiſcopi in ſua Epiſtola ſermonem texunt, imò illos imitati fuerunt; igitur juxta viam illorum in nova formularii ſubſcriptione non abierant, ſed omnes alios Galliæ Episcopos, qui ſine reſtrictione ſubſcripſerant, ſecuti ſunt.

Quòd ſi dicas illud nomen, *multi*, ſcriptum fuiſſe in autographa Epiſtola & adhuc ſuperſtes eſſe in multis apographis.

Reſp.

Resp. Id unum nobis constare, nempé quòp in Epistola Romam missa, per quam rebelles Episcopi pacem obtinuere non legitur, nec etiam in superstite diurnorum præfati Nuntii Apostolici actorum codice habetur, sicut nec in multis aliis apographis apud celebresParisiorum comunitates reperiundis, nec pariter Episcopus Laudunensis, ut dictum est, scribit: quód si alicubi reperiatur, id ex prava Janseniánorum fide contigit.

Inst. Subscriptio restrictiva quatuor Episcoporum fuit summo Pontifici honorifica, ipsis veró Episcopis ardua & difficilis. 1mo: Fuit summo Pontifici honorifica, inquiunt, quia per illam mandata sua publica in acta privata converterunt, quod hactenus præstare detrectaverant, & sic illa subscriptione fassi sunt, se á summo Pontifice esse victos. 2do: Mutatio, quam hæc arcana subscriptio in mandata ipsorum inducebat, res illis ardua & difficilis visa est, quippe quæ illustre exibuit levitatis & inconstantiæ specimen, quod eos in ludibrium adducebat.

Resp. Subscriptionem distinctivam juris à facto summum Bontificem pinguis mendacii, ut dictum est, arguere, si illam permisisset; igitur illa subscriptio in Pontificis dedecus non in honorem resiluisset, quia mendacium suo architecto probrum, non gloriam conciliat.

2do: Hæc distinctiva subscriptio laudi & gloriæ quatuor Episcoporum verteret, suæ enim in summum Pontificem victoriæ insigne esset monumentum; quorsúm ergo illam ut rem sibi arduam & difficilem concinnunt?

3tio: Si idcirco illam cum distinctione subscriptionem arcanam apud se servassent quatuor præsules, ne de victa á

ſe Apoſtolica Sede triumphum agere, ut geſtiunt, viderentur; quare igitur illam ad ſummum Pontificem non miſere? Timere non poterant, ne illam ipſe Pontifex in apertam lucem proderet, & in vulgus diſſeminaret, quia ſi eo annuente peracta hoc modo fuiſſet, ejus maximé intererat hanc ex omnium notitia ſubducere, & ſilentii arcano æternum comittere.

Nec etiam vereri debebant illam non fuiſſe á ſummo Pontifice deſideratam & poſtulatam; namque ſummus Pontifex acceptis á Rege Chriſtianiſſimo, ab Epiſcopo Lauduenſi, & á quatuor Epiſcopis literis teſtimonium ſimplicis ac nudæ ſubſcriptionis formulario Alexandri VII. adjectæ perhibentibus, Breve gratulatorium de pretenſa ſimplici ſubſcriptione Regi Chriſtianiſſimo ſcripſit.

Sed poſt datum Breve Epiſtolam é Gallia accepit, quâ ſignificabatur quatuor Epiſcoporum ſubmiſſionem dolo ac ſimulatione eſſe refertam, nec eorum ſubſcriptionem ſincerâ mente editam fuiſſe, hac ſignificatione retardatus eſt Pontifex, ait in ſua relatione Cardinalis Roſpiglioſus ipſius Pontificis ex patre nepos, ne ſtatim quatuor Epiſcopis reſcriberet, ſed ab iiſdem novam petiit teſtificationem eorum ſyngrapho firmatam, quâ fidem facerent ſe ſinceré prorsùs & ad ſenſum in conſtitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. expreſſum formulâ ſubſcripſiſſe.

Summo Pontifici paruerunt quatuor Epiſcopi, & eorum quiſque propriam teſtificationem propriâ manu ſignatam Nuntio Apoſtolico tradidit, ſed quia omnes ſunt ſimiles, unam ſcil. Epiſcopi Bellovacenſis retulimus ſupra: *Nos. Nicolaus &c* Verum ſi illorum reſtrictiva ſubſcriptio actis verbalibus

de

de summi Pontificis & Regis Christianissimi consensu abdita fuisset summo Pontifici, nedum suam testificationem, verùm etiam & subscriptionem lubenter misissent, maximè enim curabat Pontifex, ait idem Cardinalis, ritè cognoscere quid contineret subscriptio actis verbalibus adjuncta, quam tamen mittere renuerunt. Quo liquidó apparet hanc subscriptionem contra summi Pontificis & Regis propositum conflatam esse.

Inst. Episcopus Catalaunensis unus é pacis sequestribus seu meditatoribus in declaratione eorum, quæ in actis quatuor Episcoporum verbalibus continentur, Nuntio Apostolico expressis verbis retulit præmemoratos Episcopos formulario, nonnisi cum restrictione syngraphum adjunxisse, adhibitâ juris á facto distinctione [„ Quoad Pontificiam, inquit, sententiam de facto pertinet, videri eam ab" Episcopis cum reverentiâ excipiendam, sed intrá eos fines," quos in ejusmodi causis Cardinales Bellarminus, Richrius," Palavicinus, & PP. Sirmondus ac Petavius declarant, nimirúm ne quid pronuntietur, scribatur, doceatur, quod ipsi" contrarietur; de formula verò eos profiteri de sinceritate &" fide ei subscripsisse, & quinqq; propositiones tum damnavisse, tum damnandas curasse sine ulla exceptione aut limitatione, in quolibet sensu, in quo ab Ecclesia damnatæ fuissent &c."]

Resp. Neg. Sed quia Janseniani ex illa declaratione inferunt quatuor Episcopos etsi Ecclesiæ reconciliatos, nihil tamen de sua circà obsequiosum silentium sententia retractasse, illam per partes expendere operepretium duxi. Itaque ex illa declaratione duo comperta habemus 1mo: quatuor Episcopos damnationi quinque propositionum

juxta ſenſum á Janſenio intentum ſubſcripſiſſe.

2do: Eos tamen non aliter huic facto ſubſcripſiſſe, quám Bellarminus, Baronius, & alii de ejusmodi factis ſentiunt. In primo duæ continentur partes. 1ma: ſpectat factum Janſenii ſeu attributionem quinque propoſitionum libro Janſenii. 2da: Damnationem ſensûs Janſenii erronei illarum quinque propoſitionum.

Quantùm ad primam, ſcitè obſervat Cardinalis Roſpiglioſus in ſua relatione illam attributionem quinque propoſitionum libro Janſenii, in qua tota facti quæſtio continetur, triplici omnino ſenſu intelligi poſſe. 1mo: Ita ut propoſitiones conceptis omnibus verbis expreſſæ ſint, ut in libro Janſenii jacent. 2do: Ut talis fuerit internus Janſenii ſenſus. 3tio: Ut talis ſit totius libri doctrina aut ſenſus. Duo priores modi attribuendi propoſitiones Janſenii pertinent ad quæſtionem facti merè perſonalis, de quo non pronuntiavit Eccleſia, & circá quod infallibile judicium dicere nequit.

Poſtremus veró modus, in quo continetur ſecunda pars dictæ declarationis Epiſcopi Catalaunenſis, pertinet ad factum doctrinale, circa quod pronuntiavit Eccleſia. Cum ergo in ea declaratione dicitur quatuor Epiſcopos cum reverentia excipere Pontificiam de facto Janſenii definitionem, ſed intrà eos fines, quos declarant Cardinalis Bellarminus & alii: potuit non immeritò ſummus Pontifex intelligere Epiſcopos illos lucutos eſſe de facto merè perſonali juxta duplicem priorem ſenſum adductum, atque quantùm ad hoc illorum ſententiam diſſimulare.

At circà ultimum ſenſum, nimirùm damnatas eſſe legitimè quinque propoſitiones in ſenſu Janſenii, ſtatuerat,

ait

ait idem Cardinalis Rospigliosus, nihil connivere, cum quatuor Episcopi illi in declaratione adducta apertè profiterentur, se damnare quinque propositiones in eo omni sensu, quo damnavit eas Ecclesia, convenienter in sensu Jansenii, in quo reverâ eas damnavit, se quoque illas damnare significabant, & sic definitioni facti acquiescere, quod Bellarminum, Baronium &c. spectat, ostendetur suo loco, illos docere Ecclesiam circà facta doctrinalia esse infallibilem.

INNOCENTIUS XII.

Innocentius XII. duo Brevia Jansenismum spectantia edidit, primum anno 1694. die 6. Februarii emisit, quo, ne quid adderetur aut detraheretur formulario Alexandri VII. prohibebat; ad privatos enim Episcopos non attinet aliquid immutare circa formularium à Sede Apostolica compositum; sed sufficit, inquit Pontifex quinque propositiones in sensu obvio quem verba præ se ferunt damnare: [„ *Præ*-" cipimus, inquit, ut . . . . . . qui ad juramentum adigendi sunt" illud præstare debeant sinceré, absque ulla distinctione, re-" strictione, seu expositione damnando eas propositiones ex" libro Jansenii axcerptas in sensu obvio, quem ipsamet pro-" positionum verba præ se ferunt, prout sensum illum da-" mnarunt SS. Pontifices prædecessores nostri, damnatumque" haberi voluerunt à Christi fidelibus. „]

Reponunt Janseniani præfati Brevis verba derogare Alexandri VII. formulario, quo quinque propositiones in sensu Jansenii damnandas esse jubetur: Innocentius autem XII, declarat quemlibet ipsas damnare in sensu obvio teneri:

at obvius ille ſenſus non eſt Janſenii ſenſus, aliòquin nomen Janſenii non magis, quàm Alexander VII. ſiluiſſet. Quis ſit autem ille ſenſus obvius? Eſt Calvini ſenſus juxta quem, aiunt Janſeniani, Sedes Apoſtolica quinque propoſitiones, famoſas damnavit, & nos identidem damnamus.

Reſp. Neg. Diſerté enim declarat Innocentius ſenſum hunc obvium, juxta quem damnandas eſſe quinque propoſitiones ex libro Janſenii excerptas jubet, eſſe ſenſum illum quem damnavere ſummi Pontifices prædeceſſores ejus, inter quos unus erat Alexander VII.: at ſenſus ille, quem damnavit ſummus Pontifex Alexander VII. eſt naturalis Janſenii ſenſus, naturalis enim alicujus propoſitionis ſenſus, is eſt, quem verba præ ſe ferunt; ſubindeque jubens Innocentius quinque propoſitiones in ſenſu obvio præſcribendas eſſe, jubet & illas in ſenſu Janſenii proſcribi debere.

Quamobrem ut Janſeniani nullum circa prædictum Breve habeant ſubterfugii locum, aliud die 24. Novembris 1696. diploma dedit his verbis: [„ Non ſine admiratione" intelleximus nonnullos ..... reperiri qui ...... auſi fuerint," affirmare ſupradicto noſtro Brevi alteratam ſeu reformatam" eſſe conſtitutionem Alexandri VII. necnon formularium ab" ipſomet pronuntiatum; cum dicto brevi utrumque ſpecifiè" confirmetur, & omninò intenderimus & intendamus" iiſdem adhærere, & nequaqum ſinere, ut" aliquid addatur vel dematur à prædicto formulario, illud" quovis modo alterando in aliqua ejus minima parte, ſed" quod in omnibus & ſingulis ejuſdem partibus uti mandavimus," mandamus etiam adamuſſim obſervari. „]

Quod ſi Cardinales, D. Hennebel Janſeniano Lovanienſi

cauſam

causam silentii religiosi provehere conanti, nullam dedere responsionem, hâc agendi ratione significant Eminetissimi satis superque silentii obsequiosi causæ per postrema duo Innocentii XII. diplomata satisfactum fuisse. Namque nullus unquam & quærendi & respondendi finis adesset, inquiunt," si hominum inquietorum novas in dies circà rem definitam" expositiones postulantium, desideriis cedendum esset.

CLEMENS XI.

PONTIFEX re & nomine MAXIMVS

Sub hoc Pontifice, qui tam feliciter, tam sanctè, tam prudenter, tam digné universalis Ecclesiæ ac totius Christianæ reip. gubernacula impræsentiarùm tenet, Jansenianæ turmæ procella, quæ sub Clemente X. Innocentio XI, & Alexandro VIII. sedata, non extincta, quadantenus fuerat, recrudescere cœpit, ex libello, cui Gallicè titulus, *Cas de conscience* &c. Latinè *Quæstio moralis*, à quodam Sacerdote confessario proposita &c. Utrùm homini Catholico & Clerico, qui subscripsit formulæ Alexandrii VII. non sufficiat obsequium, quod vocant, silentii & reverentiæ.

Huic quæstioni responderunt quadraginta magistri Sacræ Facultatis Parisienlis, sufficere. Ex qua responsione sequitur, licere aliter de Jansenii facto sentire, quam ab Ecclesia definitum sit; intùs credere Ecclesiam ea in re definienda, nempè in damnando Jansenii libro & sensu errasse; falsò hæresim

resim tribuisse Jansenio, pugnare ab annis 50. & ampliùs adversùs umbram; sine causa ipsam tantopere conqueri; immeritò sanctos Sacerdotes, piosque veritatis defensores ab ea vexari, quæ omnia factiosæ opinionis consectaria exhorrent aures, ut loquitur Sacræ Facultatis Parisinæ deliberatio facta, die lunæ primâ Septembris 1704. in Sorbona.

At tam acriter & promptè compressa est illa Jansenismi iterata defensio, ut hoc scandalosæ & exitiosæ quæstionis libello, nullo alio fine ad tempus restaurari visa fuerit Janseniana pravitas, nisi ut lapsu graviore rueret, & veritas Catholica nobiliores triumphos ageret. Non enim solùm præmemorata Sacra Parisiensis Facultas, quæ è suo sinu foras ejecit eos, qui suam hujusce quæstionis perjuram subscriptionem revocare detractarunt, non solùm Episcopi omnes, & maximè Eminentissimus Cardinalis Noallius Archiepiscopus Parisiensis, qui statim præfatam propositionem censorio gladio, ut par est, confodit, tuendæ religionis ergo adversùs doctrinæ tam exitiosæ virus, ejusque defensores insurrexere, verùm etiam Clemens XI. Bullâ sua quæ incipit: *Vineam Domini Sabahot*, datâ die 16 Julii anni 1705. Dum silentium obsequiosum, quo inquietorum Jansenianorum Schola, tanquam firmissimo suæ hæreseos munimine & integumento à sexaginta annis & ampliùs utebatur, subvertit & funditùs eradicat.

Namque Clemens in hac Bulla refert & confirmat Constitutiones & Innocentii X. quæ quinque famosas propositiones anathemate percutit, & Alexandri VII. qui filios iniquitatis apellat eos, qui prædictas propositiones vel in libro Iansenii non reperiri, sed fictè & pro arbitrio composi-

tas

tas esse, vel non in sensu ab eodem intento damnatas fuisse, se asserere non reformidant &c. hâc facta declaratione apertè judicat idem Pontifex Jansenianos Clementis IX. & Innocentii XII. diplomata in pravam partem, quasi suo errori patrocinaretur, detorsisse.

Et quod deterius est, *ait*, ipsamet Apostolicæ Sedis decreta redarguendis eorum pravis sensibus condita, ac præsertim " quasdam piæ memoriæ Clementis Papæ IX. die 19. Januarii" 1669. ad quatuor Episcopos Galliæ, necnon binas similis" memoriæ Innocentii Papæ XII. etiam prædecessorum no-" strorum, die 6. Februarii 1694. & die 24. Novembris 1696." ad Episcopos Belgii in forma Brevis respectivè datas literas," in erroris sui patrocinium advocare temerario planè ausu " non erubescunt.

Perindè ac si memoratus Clemens prædecessor, qui " eisdem suis literis se Innocentii X. & Alexandri VII. præ-" decessorum constitutionibus supradictis firmissimè inhære-" re, ac á dictis quatuor Episcopis veram & totalem obedien- " tiam, adeoque formulæ á præfato Alexandro prædecesso-" re, sicut præmittitur, editæ sincerè per eos subscribi voluisse" declaravit, aliquam in tam gravi negotio exceptionem seu " restrictionem, quam nullam prorsùs se unquam admis- " surum fuisse protestatus fuit, reipsâ admisisset; dictus ve-" ró Innocentius XII. &c. "]

His & aliis hujusce Bullæ verbis patet, Clementem XI. post recensita Jansenianorum diverticula, eorumque enarratam per prædecessores suos condemnationem, tandem ipse antecessorum suorum decreta suâ constitutione confirmans & corroborans silentium obsequiosum, quod erat ul-

timum Jansenianæ hæreseos azylum, Apostolico fulmine penitùs contrivit, & omnia Jansenianis interclusit effugia, quibus huc usque elabi moliti fuerant. Nunc uindicanda occurrit Bulla : *Vnigenitus*, ejusdem Sanctissimi universalis totius Orbis Christiani, Pastoris vigilantissimi super gregem suum; ac explicatio genuina, juxta mentem S. Romanæ Ecclesiæ, centum unius, propositionum Quesnellii, condemnatarum.

SANCTISSIMI D. N. DOMINI

CLEMENTIS
DIVINA PROVIDENTIA
PAPÆ XI.

Damnatio quamplurium propositionum excerptarum ex Libro Gallico idiomate impresso, & in plures Tomos distributo, sub Titulo -- *Le nouveau Testament en François avec des reflexions morales sur chaque verset &c. A Paris* 1699 Ac aliter --- *Abbrege de la morale de l' Evangile, des Actes des Apostres, des Epistres de S. Paul, des Epistres Canoniques, e de l' Apocalypse, ou Pensees Chretiennes sur le Texte de ces Livres Sacrez &c. A Paris* 1693. *&* 1694.

Cum prohibitione ejusdem Libri, & aliorum quorumcunque in ejus defensionē tam hactenus editorum, quàm in posterum edendorum.

ROMÆ, MDCCXIII.
Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

CLEMENS EPISCOPVS

Servus Servorum DEI.

Universis CHRISTI Fidelibus salutem & Apostolicam Benedictionem.

VNIGENITUS DEI Filius pro nostra, & totius Mundi salute filius hominis factus, dum Discipulos suos doctrinâ veritatis instrueret, universamque Ecclesiam suam in Apostolis erudiret, præsentia disponens, & futura prospiciens, præclaro, ac saluberrimo documento Nos admonuit, ut attenderemus á falsis Prophetis, qui veniunt ad Nos in vestimentis Ovium, quarum nomine potissimùm demonstrantur Magistri illi mendaces, & in deceptione illusores, qui splendidâ pietatis specie prava dogmata latenter insinuantes, introducunt sectas perditionis sub imagine Sanctitatis: utque faciliùs incautis obrepant, quasi deponentes lupinam pellem, & sese Divinæ legis sententiis, velut quibusdam Ovium velleribus obvolventes, Sanctarum Scripturarum, adeoque etiam ipsius novi Testamenti verbis, quæ multipliciter in suam, aliorumque perditionem depravant, nequiter abutuntur; antiqui scilicet, á quo progeniti sunt, mendacij Parentis exemplo, ac ma-

gisterio edocti, nullam omninò esse ad fallendum expeditiorem viam, quàm ut ubi nefarij erroris subintroducitur fraudulentia, ibi divinorum verborum prætendatur authoritas.

His Nos verè divinis monitis instructi, ubi primùm, non sine intimá cordis nostri amaritudine, accepimus Librum quendam Gallicò idiomate olim impressum, & in plures Tomos distributum, sub titulo -- *Le Nouveau Testament en Francois, aves des reflexions morales sur chaque verset &c. A' Paris* 1699 ; Aliter verò *Abbregé de la morale de l Evangile des actes des Apostres, des Epistres de S. Paul, des Epistres Canoniques, e de l Apocalypse ou Pensees Chretiennes sur le Texte des ces Liures Sacrez &c. A' Paris* 1693. & 1694. tametsi aliàs à Nobis damnatum, ac revera Catholicis veritatibus pravarum doctrinarum mendacia multifariam permiscentem, adhùc tamen tanquàm ab omni errore immunem, á pluribus haberi, CHRISTI fidelium manibus passim obtrudi, ac nonnullorum nova semper tentantium consilio, & operâ studiosè nimis quaquaversùm disseminari, etiam Latinè redditum, ut perniciosæ institutionis contagium, si fieri possit, pertranseat de gente in gentem, & de Regno ad Populum alterum: versutis hujusmodi seductionibus, atqué fallaciis creditum Nobis Dominicum Gregem in viam perditionis sensim abduci summoperè dolumus: adeóque Pastoralis non minus curæ nostræ stimulis, quàm frequentibus Orthodoxæ Fidei Zelatorum querelis, maximè verò complurium Venerabilium Fratrum, præsertim Galliæ Episcoporum, literis ac precibus excitati, gliscenti morbò, qui etiam aliquandò posset in deteriora

teriora quæque proruere, validiori aliquo remedio obviam ire decrevimus.

Et quidem ad ipſam ingruentis mali cauſam providæ noſtræ conſiderationis intuitum convertentes, perſpicuè novimus ſummam hujusmodi Libri perniciem ideò potiſſimum progredi, & invaleſcere, quòd eadem intus lateat, & velut improba ſanies, nonniſi ſecto ulcere foras erumpat; cùm Liber ipſe primo aſpectu legentes ſpecie quadam pietatis illiciat; molliti enim ſunt ſermones ejus ſuper oleum: ſed ipſi ſunt jacula; & quidem intento arcu ità ad nocendum parata, ut ſagittent in obſcuro rectos corde. Nihil propterea opportuniùs, aut ſalubriùs præſtari à Nobis poſſe arbitrati ſumus, quàm ſi fallacem Libri doctrinam generatim ſolummodò à Nobis hactenùs indicatam, pluribus ſingillatim ex eo excerptis Propoſitionibus, diſtinctiùs, & apertiùs explicaremus, atque univerſis CHRISTI fidelibus noxia zizaniorum ſemina è medio Tritici, quo tegebantur, educta, velut ob oculos exponeremus. Ità nimirùm denudatis, & quaſi in propatulo poſitis, non uno quidem, aut altero, ſed plurimis, graviſſimisquè, tùm pridem damnatis, tum etiam novè adinventis erroribus, planè confidimus, benedicente Domino, fore ut omnes tandem apertæ jam, manifeſtæque veritati cedere compellantur.

Id ipſum maximè è re Catholica futurum, & ſedandis præſertim in florentiſſimo Galliæ Regno exortis ingeniorum variè opinantium, jamque, in acerbiores ſciſſuras protendentium diſſidiis apprimè proficuum: Conſcientiarum deniquè tranquillitati perutile, & propemodum necessa-

 ceſſa-

cessarium, non modò præfati Episcopi; sed & ipse inprimis Charissimus in CHRISTO Filius Noster Ludovicus Francorum Rex Christianissimus, cujus eximium in tuenda Catholicæ Fidei puritate, extirpandisque erroribus Zelum satis laudare non possumus, sæpiùs Nobis est contestatus; repetitis propterea verè piis, & Christianissimo Rege dignis officiis, atque ardentibus votis à Nobis efflagitans, ut instanti animarum necessitati prolatâ quantotius Apostolici censurâ Judicii consuleremus.

Hinc adspirante Domino, ejusque cœlesti ope confisi, salutare opus sedulò, diligenterque, ut rei magnitudo postulabat, aggressi sumus; ac plurimas ex prædicto Libro, juxta supra recensitas respectivè editiones, fideliter extractas, & tùm Gallico, tùm Latino idiomate expressas Propositiones à compluribus in Sacrâ Theologiâ Magistris, primò quidem coram duobus ex Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus accuratè discuti, deindè verò coram Nobis, adhibito etiam aliorum plurium Cardinalium consilio, quàm maximâ diligentiâ, ac maturitate, singularum insuper Propositionum cum ipsomet Libri Textu exactissimè facta collatione, pluries iteratis Congregationibus, expendi, & examinari mandavimus, hujusmodi autem Propositiones sunt, quæ seqvuntur, videlicet---

1. *QVid aliud remanet animæ, quæ DEUM, atquè ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?*

2. *Jesu*

2. *IESV CHRISTI gratia, principium efficax boni cujuscunque generis, necessaria est ad omne opus bonum; absque illa, non solùm nihil fit, sed nec fieri potest.*

3. *In vanum Domine præcipis, si tu ipse non das, quod præcipis.*

4. *Itá Domine; Omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo.*

5. *Quando DEVS non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ suæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum.*

6. *Discrimen inter Foedus Iudaicum & Christianum, est, quod in illo DEVS exigit fugam peccati, & implementum legis á peccatore, relinquendo illum in sua impotentia: in isto veró DEVS peccatori dat, quod jubet, illum suâ gratiâ purificando.*

7. *Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo DEVS illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipsi suam legem? Quæ veró felicitas non est admitti ad fœdus, in quo DEVS nobis donat, quod petit á nobis.*

8. *Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi inquantum participes sumus ipsius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod DEVS nobis præcipit.*

9. *Gratia CHRISTI, est gratia suprema, sine qua confiteri CHRISTVM nunquam possumus, & cum qua nunquam illum abnegamus.*

10. *Gratia est operatio manus Omnipotentis DEI, quam nihil impedire potest, aut retardare.*

11. *Gratia non est aliud, quám voluntas Omnipotentis DEI, jubentis, & facientis, quod jubet.*

12. *Quando DEVS vult salvare animam, quocumqué tempore*

pore, quocumque loco effectus indubitabilis sequitur Voluntatem DEI.

13. *Quando DEUS vult animam salvam facere, & eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit.*

14. *Quantumcunque remotus à salute sit peccator obstinatus, quando IESUS se ei videndum exhibet lumine salutari suæ gratiæ, oportet, ut se dedat, accurrat sese humiliet, & adoret Salvatorem suum.*

15. *Quando DEUS mandatum suum, & suam æternam locutionem comitatur unctione sui Spiritus, & interiori vi gratiæ suæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit.*

16. *Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil resistit Omnipotenti.*

17. *Gratia est vox illa Patris, quæ homines interiùs docet, ac eos venire facit ad IESUM CHRISTUM; quicumque ad eum non venit, post quam audivit vocem exteriorem Filij, nullatenùs est doctus á Patre.*

18. *Semen verbi, quod manus DEI irrigat, semper affert fructum suum.*

19. *DEI gratia nihil aliud est, quám ejus Omnipotens voluntas: hæc est idea, quam DEUS ipse Nobis tradit in Omnibus suis Scripturis.*

20. *Vera gratiæ idea est, quod DEUS vult sibi á nobis obediri, & obeditur; imperat, & omnia fiunt; loquitur tanquam Dominus, & omnia sibi submissa sunt.*

21. *Gratia IESU CHRISTI est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quæ est operatio voluntatis Omnipotentis, sequela, & imitatio operationis DEI incarnantis, & resuscitantis Filium suum.*

22. Con-

22. *Concordia Omnipotentis operationis DEI in corde hominis, cum libero ipsius voluntatis consensu, demonstratur illicó nobis, in Incarnatione, veluti in fonte, atqué Archetypo omnium aliarum operationum misericordiæ, & gratiæ, quæ omnes itá gratiæ, atque ita dependentes à DEO sunt, sicut ipsa originalis operatio.*

23. *DEVS ipse nobis ideam tradidit Omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, quâ Creaturas é nihilo producit, & mortuis reddit vitam.*

24. *Iusta idea, quam Centurio habet de Omnipotentia DEI, & IESV CHRISTI, in sanandis Corporibus solo motu suæ voluntatis, est imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus á cupiditate.*

25. *DEVS illuminat animam, & eam sanat æque ac corpus sola sua voluntate, jubet, & ipsi obtemperatur.*

26. *Nullæ dantur gratiæ, nisi per Fidem.*

27. *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum.*

28. *Prima gratia, quam DEVS concedit Peccatori, est peccatorum remissio.*

29. *Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.*

30. *Omnes, quos DEVS vult salvare per CHRISTVM, salvantur infallibiliter.*

31. *Desideria CHRISTI semper habent suum effectum; pacem intimo cordium infert; quando eis illam optat.*

32. *IESVS CHRISTVS se morte tradidit ad liberandum pro semper suo sangvine Primogenitos, idest Electos, de manu Angeli exterminatoris.*

33. *Proh quantum oportet bonis terrenis, & sibimetipsi renuntiasse, ad hoc ut quis fiduciam habeat sibi ut itá dicam, appropriandi CHRISTVM IESVM, ejus amorem, mortem, & mysteria, ut*

 facit

facit Sanctus Paulus dicens: Qui dixerit me, & tradidit semetipsum pro me.

34. *Gratia Adami non producebat, nisi merita humana.*

35. *Gratia Adami est sequela creationis, & erat debita naturæ sanæ, & integræ.*

36. *Differentia essentialis inter gratiam Adami, & status innocentiæ, ac gratiam Christianam, est, quod primam unusquisqwê in propria persona recepisset: ista verô non recipitur, nisi in persona IESV CHRISTI resuscitati, cui nos uniti sumus.*

37. *Gratia Adami, sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata; gratia Christiana nos sanctificando in IESV CHRISTO, est omnipotens, & digna Filio DEI.*

38. *Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia Liberatoris.*

39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum, ardoris, nisi ad se præcipitandum, virium, nisi ad se vulnerandum; est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.*

40. *Sine gratia nihil amare possumus, nisii ad nostram condemnationem.*

41. *Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philosophis Ethnicis, non potest venire, nisi á Deo, & sine gratia non producit, nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum DEVM, loco affectuum adorationis, gratitudinus & amoris.*

42. *Sola gratia CHRISTI reddit hominem aptum ad Sacrificium Fidei; sine hoc nihil, nisi impuritas, nihil, nisi indignitas.*

43. *Primus effectus gratiæ baptismalis est facere, ut moriamur peccato; adeó ut Spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus Mundi.*

44. Non

44. *Non sunt, nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur; Amor* DEI; *qui omnia, agit propter* DEUM; *quemque* DEUS *remuneratur, & Amor, quo nos ipsos, ac Mundum diligimus, qui quod ad* DEUM *referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.*

45. *Amore* DEI *in corde Peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.*

46. *Cupiditas, aut charitas, usum sensuum bonum vel malum faciunt.*

47. *Obedientia legis profluere debet ex fonte; & hic fons est Charitas. Quando* DEI *amor est illius principium interius, &* DEI *gloria ejus finis, tunc purum est quod apparet exterius, alioquin non est, nisi hypocrisis aut falsa justitia.*

48. *Quid aliud esse possumus, nisi tenebræ nisi aberratio, & nisi peccatum sinè Fidei lumine, sine* CHRISTO, *& sine charitate.*

49. *Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est opus bonum sine amore* DEI.

50. *Frustra clamamus ad* DEUM, *Pater mi: si Spiritus Charitatis non est ille qui clamat.*

51. *Fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur, nisi per Charitatem.*

52. *Omnia alia salutis media continentur in fide, tanquam in suo germine, & semine; Sed hæc Fides non est absque amore & fiducia.*

53. *Sola Charitas Christiano modo facit (actiones Christianas) per relationem ad* DEUM, *&* IESUM *Christum.*

54. *Sola Charitas est quæ* DEO *loquitur, eam solam* DEUS *audit.*

55. DEUS non coronat, nisi Charitatem; qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo, in vanum currit.

56. DEUS non remunerat nisi Charitatem, quoniam Charitas sola DEUM honorat.

57. Totum deest Peccatori, quando ei deest spes, & non est spes in DEO, ubi non est amor DEO.

58. Nec DEUS est, nec Religio, ubi non est Charitas.

59. Oratio Impiorum est novum peccatum, & quod DEUS illis concedit, est novum in eos judicium.

60. Si solus supplicij timor animat pœnitentiam, quó hæc est magis violenta, eó magis ducit ad desperationem

61. Timor non nisi manum cohibet, cor autem tamdiú peccato addicitur, quamdiú ab amore justitiæ non ducitur

62. Qui á malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & iam est reus coram DEO.

63. Baptizatus adhuc est sub lege sicut Iudæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.

64. Sub maledicto legis, nunquam fit bonum, quia peccatur sive faciendo malum, sivé illud non nisi ob timorem evitando.

65. Moyses, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis mortui sunt, absque eo quod ullum DEO dederint filium, cum non effecerint nisi mancipia per timorem.

66. Qui vult DEO appropinquare, nec debet ad ipsum uenire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem, sicuti bestiæ, sed per fidem, & per amorem sicuti filij.

67. Timor servilis non sibi repræsentat DEUM, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.

68. DEI bonitas abbreviavit viam salutis claudendo totum in Fide, precibus.

69. Fides

69. *Fides, usus, augmentum, & præmium Fidei, totum est donum puræ liberalitatis* DEI.

70. *Nunquam* DEUS *affligit innocentes, & afflictiones semper serviunt, vel ad puniendum peccatum vel ad purificandum peccatorem.*

71. *Homo ob sui conservationem potest sese dispensare ab ea lege, quam* DEUS *condidit propter ejus utilitatem.*

72. *Nota Ecclesiæ Christianæ est, quod sit Catholica: comprehendens. & omnes Angelos Cœli, & omnes Electos, & justos terræ, & omnium sæculorum.*

73. *Quid est Ecclesia, nisi cætus Filiorum* DEI *manentium in ejus sinu, adoptatorum in* CHRISTO, *subsistentium in ejus persona, redemptorum ejus sangvine, viventium ejus spiritu, agentium per ejus gratiam & expectantium gratiam futuri sæculi.*

74. *Ecclesia, sivé integer Christus, incarnatum verbum habet ut Caput, omnes veró Sanctos ut membra.*

75. *Ecclesia est unus solus homo, compositus ex pluribus membris, quorum* CHRISTUS *est Caput, Vita, subsistentia, & persona; Unus solus Christus, compositus ex pluribus Sanctis, quorum est Sanctificator.*

76. *Nihil spatiosius Ecclesiâ Dei, quia omnes Electi, & Iusti omnium Sæculorum illam componunt.*

77. *Qui non ducit vitam dignam Filio Dei & membro Christi, cessat interius habere Deum pro patre, & Christum pro capite.*

78. *Separatur quis á Populo Electo, cujus figura fuit Populus Iudaicus, & Caput est Iesus Christus, tam non vivendo secundum Evangelium, quám non credendo Evangelio.*

79. *Utile, & necessarium est omni tempore, omni loco, & omni personarum generi studere, & cognoscere spiritum, Pietatem, & Mysteria Sacræ Scripturæ.*

 80. Le-

80. *Lectio Sacræ Scripturæ est pro omnibus.*

81. *Obscuritas Sancta verbi Dei non est Laicis ratio dispensandi se ipsos ab ejus lectione.*

82. *Dies Dominicus á Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, & super omnia Sanctarum Scripturarum, damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere.*

83. *Est illusio sibi persvadere, quod notitia Mysteriorum Religionis non debeat communicari fœminis, lectione sacrorum Librorum. Non ex fæminarum simplicitate, sed ex superba Virorum scientia, ortus est scripturarum abusus, & natæ sunt hæreses.*

84 *Abripere é Christianorum manibus novum Testamentum, seù eis illud clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare.*

85. *Interdicere Christianis lectionem Sacræ Scripturæ, præsertìm Evangelij, est interdicere usum luminis filijs lucis, & facere ut patiantur speciem quandam excommunicationis.*

86. *Eripere simplici Populo hoc solatium, jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, est usus contra jus praxis Apostolicæ, & intentionis Dei.*

87. *Modus plenus sapientiâ, lumine & Charitate, est dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi, adminus, satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur.*

88. *Ignoramus qvid sit peccatum, & uera pœnitentia quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, & detrectamus separationis istius ferre confusionem.*

89. *Quartus decimus gradus conversionis Peccatoris est, quod, cum sit jam reconciliatus, habet jus assistendi Sacrificio Ecclesiæ.*

90. *Ecclesia authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores, de consensu saltem præsumpto totius Corporis.*

91. *Excommunicationis injustæ metus, nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro: Nunquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia, videmur ab ea expulsi, quando Deo, Iesu Christo, atque ipsi Ecclesiæ per Charitatem affixi sumus.*

92. *Pati potiùs in pace excommunicationem, & anathema injustum, quám prodere veritatem, est imitari Sanctum Paulum: tantum abest, ut sit erigere se contra Authoritatem, aut scindere unitatem.*

93. *Iesus quandoque sanat, vulnera quæ præceps Primorum Pastorum festinatio infligit, siné ipsius mandato; Iesus restituit, quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt.*

94. *Nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerit ejus inimicis quám videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium, & foveri divisiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.*

95. *Veritates eò devenerunt, ut sint lingua quasi peregrina plerisque Christianis, & modus eas prædicandi est veluti idioma incognitum: adeó remotus est á simplicitate Apostolorum, & supra communem captum fidelium; neque satis advertitur, quod hic defectus sit unum ex signis maximé sensibilibus senectutis Ecclesiæ, & iræ Dei in filios suos.*

96. *Deus permittit, ut omnes potestates sint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit, nisi Divinæ gratiæ.*

97. *Nimis sæpe contingit membra illa, quæ magis sanctè ac magis strictè unita Ecclesiæ sunt, respici, atque tractari tanquam indigna, ut sint in Ecclesia, vel tanquam ab ea separata; sed Iustus vivit ex fide, & non ex opinione hominum.*

98. *Status*

98. Status persecutionis, & pœnarum, qvas qvis tolerat, tanquam Hæreticus, flagitiosus, & impius, ultima plerumque probatio est, & maximé meritoria, utpotè qvæ facit hominem magis conformem Iesu Christo.

99. Pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo, aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidie qvoad multos in odorem mortis id, qvod Deus in sua Ecclesia posuit, ut in ea esset odor vitæ: V. G. bonos libros, instructiones, sancta exempla &c.

100. Tempus deplorabile, qvo creditur honorari Deus, persequendo veritatem, ejusqve discipulos. Tempus hoc advenit ----- Haberi, & tractari á Religionis Ministris, tanquam impium, & indignum omni commercio cum Deo, tanquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in societate Sanctorum, est hominibus pijs morte corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate, & zelo quodam Religionis, persequendo flammâ, feroque viros probos, si propriâ passione est excæcatus, aut abreptus alienâ, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus sacrificare Deo impium, & sacrificamus Diabolo Dei Servum.

101. Nihil spiritui Dei, & doctrinæ Iesu Christi magis opponitur, quàm communia facere juramenta in Ecclesia, quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & Idiotis, & efficere, ut nomen, & veritas Dei aliquando deserviant consilio Impiorum.

Auditis itaque tum voce, tum scripto Nobis exhibitis præfatorum Cardinalium, aliorumquè Theologorum suffragiis, divinique inprimis luminis, privatis ad eum finem, publicisque etiam indictis precibus, implorato præsidio; omnes

omnes & singulas Propositiones præinsertas, tanquam falsas, captiosas, malè sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, perniciosas, temerarias, Ecclesiæ, & ejus praxi injuriosas, neque in Ecclesiam solùm, sed etiam in Potestates sæculi contumeliosas, seditiosas, impias, blasphemas, suspectas de hæresi, ac hæresim ipsam sapientes, nec non hæreticis, & hæresibus, ac etiam schismati faventes, erroneas, hæresi proximas, pluriès damnatas, ac demum etiam hæreticas, variasqué hæreses, & potissimùm illas, quæ in famosis Jansenii propositionibus, & quidem in eo sensu, in quo hæ damnatæ fuerunt, acceptis, continentur, manifestè innovantes, respectivè, hâc nostrâ perpetuó valiturâ Constitutione declaramus, damnamus, & reprobamus.

Mandantes omnibus utriusque sexûs CHRISTI Fidelibus, ne dictis Propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quàm in hac eadem Nostra Constitutione continentur; ita ut quicunque illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis, etiam disputativè, publicè, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, Ecclesiasticis censuris, aliisque contra similia perperrantes à Jure statutis pœnis ipso facto, absque alia declaratione subjaceat.

Cœterùm per expressam præfatarum Propositionum reprobationem, alia in eodem Libro contenta nullatenûs approba re intendimus; cum præsertim in decursu examinis complures alias in eo deprehenderimus propositiones illis, quæ, ut supra, damnatæ fuerunt, consimiles, & affines, iisdemque erroribus imbutas: nec sanè paucas sub imaginario quodam, veluti grassantis hodie persecutionis obtentu, inobedientiam, &

pervicaciam nutrientes, easque falsò Christianæ patientiæ nomine prædicantes; quas propterea singulatim recensere, & nimis longum esse duximus, & minimè necessarium; ac demùm, quod intolerabiliùs est, Sacrum ipsum novi Testamenti Textum damnabiliter vitiatum comperimus, & alteri dudùm reprobatæ versioni Gallicæ Montensi in multis conformem; á vulgata verò editione, quæ tot sæculorum usu in Ecclesia probata est, atque ab Orthodoxis omnibus pro authentica haberi debet, multipliciter discrepantem, & aberrantem, pluriesque in alienos, exoticos ac sæpè noxios sensus, non sinè maxima perversitate detortum.

Eundem propterea Librum, utpotè per dulces sermones, & benedictiones, ut Apostolus loquitur, hoc est, sub falsa piæ institutionis imagine, seducendis Innocentium cordibus longè accommodatum, sive præmissis, sive alio quovis titulo inscriptū, ubicunq; & quocunq; alio idiomate, seu quavis editione, aut versione hactenus impressum, aut in posterum (quod absit) imprimendum, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium iterum prohibemus, ac similiter damnamus; quemadmodum etiam alios omnes, & singulos in ejus defensionem, tam scripto, quàm typis editos, seu forsan (quod DEUS avertat) edendos libros, seu libellos, eorumque lectionem, descriptionem, retentionem, & usum omnibus, & singulis CHRISTI Fidelibus sub pœna excommunicationis per contra facientes ipso facto incurrenda, prohibemus pariter, & interdicimus.

Præcipimus insuper Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis; nec non hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ut contradi-

traditores, & rebelles quoscunque per censuras, & pœnas præfatas, aliaquè Juris, & facti remedia, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachij sæcularis auxilio, omninò coërceant, & compellant.

Volumus autem, ut earundem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides prorsùs adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis & interdictionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam MARIAM Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo septingentesimo decimo tertio, sexto Idus Septembris, Pontificatûs Nostri Anno Decimo tertio.

I. Card: Prodatarius.
F. Oliverius

Visa de Curia L. Sergardus,

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

L. Martinettus.

Anno à Nativitate Domini Nostri IESU CHRISTI millesimo septingentesimo decimotertio, Indictione sextâ, die verò decimâ Septembris, Pontificatûs Sanctissimi in CHRISTO Patris, & Domini Nostri Domini CLEMENTIS, Divinâ providentiâ Papæ XI. Anno decimo 3tio supradictæ Literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad Valvas Ecclesiæ Lateranen: Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citatorio, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Vrbis per me Petrum Romulatium Apostolicum Cursorem.

Antonius Placentinus Magister Cursorum

VINDICATIO

CONSTITUTIONIS CLEMENTIS XI.

Vnigenitus Dei Filius &c.

Quæ centum & unam propositiones excerptas ex P. QUESNELLI libro, sub titulo: *Le Nouveau Testament en françois, avec des reflexions morales sur chaque verset &c. à Paris* 1699. proscribit.

Si petulanti Jansenianorum gregi fides habenda sit, Bulla *Vnigenitus &c.*

Dat

Dat locum timendi, ne solidiora religionis fundamenta concutiantur ... quia anathemati subiicit plusquam centum propositiones, quæ necessario ac essentiali vinculo connexæ sunt maioribus regulis maioribus religionis veritatibus, & regulis maioris momenti ad animarum regimen necessariis. Idæa generalis novæ Constitutionis, pag. 4. & 5.

Cette Bulle donne lieu de craindre de voir ébranler les fondemens les plus solides de la religion... parcequ'elle condamne plus de cent propositions, qui ont des liaisons essentielles & necessaires avec les plus grandes veritez de la religion, & les maximes les plus importantes de la conduite des ames. *Idée generale de la nouvelle Constitution. pag. 4. & 5.*

Verum inquieti homines *trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Quæ enim sapientior, æquior ac opportunior á S. Sede emanare poterat Constitutio illa, quæ proscribit librum, in quo gratia Dei destruitur, libertas hominis extinguitur, pœnitentia & omnes virtutes morales eradicantur, ac Jesu Christi Redemptoris omnium qualitas adimitur, &c. Talis autem est celeberrima Constitutio *Vnigenitus &c.*

Ut perspicuum est ex naturali illius expositione, quam, in communis Pastoralis documenti formam, sub initium anni 1714. Clerus Gallicanus in suis comitiis sapienter edidit, ut qui in unam eandemque Romanæ Ecclesiæ, quæ est unitatis centrum, fidem, indivulso inter se vinculo concordes cohærescunt, eadem ipsi palam loquantur & doceant. Omnes damnatas propositiones hic subjicio: sed quia illarum damnatio, quâ justior nulla, Jansenianorum calculis non

probatur, imò in illam hostiliter deblaterant, ac mulierculárum, quarum credulitati scité insidiari jampridem norunt, suffragia in circulis præcipuè venari solent, ut incautis persuadeant, vix ullam ex Quesnelli propositionibus posse erroris notâ meritò compungi, singulas lucidè imperitis explanandas commune Præsulum Gallorum Pastorale documentum sequens aggredior, ut sicut hæc nostra brevis, sed ponderosa expositio claré demonstrabit, nullam esse ex his propositionibus, quæ vel aliquâ novi erroris fuligine fœdata non sit, vel ex priscis wiclefistarum, Lutheristarum, Calvinianorum, Baïanorum, & Jansenianorum hæresibus non sit conflata, ita justam Sedis Apostolicæ censuram magnificè commendatura sit.

Advertendum ante omnia P. Quesnellum textus Scripturæ, ex quibus suas excerpit propositiones, in alienum prorsùs sensum detorquere: sic scopus Christi Domini in parabola villici dissipatoris, *Lucæ* 8. unicè tendit ad suadendum divitibus, ut pauperes apud Deum mediatores suos efficiant, eleemosynarum ope ac distributione bonorum, quorum Deus eos in subsidium & in gratiam egenorum administros constituit, sicut villicus, de quo Evangelium verba facit, qui ex boniş Domini sui amicos sibi pro futuro conciliavit. Ecce unicus parabolæ scopus; alium commentus est P. Quesnellus, non minùs à bonitate Dei, quàm ab illo Evangelii fine alienum, dicendo quòd sicut Dominus, cujus fit mentio, loco cit. *Lucæ* 8. omnem abstulit villicationem ab infideli villico, sic Deus omne donum Christiano in peccatum mortale labenti, in infidelitatis pœnam, eripit; at certum est neminem nostrûm omni dono privari, propter gratiæ abusum,

ut demonstrabit sequentis Quesnellianæ primæ propositionis expositio.

Ima: PROPOSITIO.

Quid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, & peccati consecutiones superba paupertas, & segnis indigentia, hoc est, generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum: Lucæ 16. 3.

Perdere gratiam Dei, est amittere gratiam sanctificantem, quia nemo proprié amittit, nisi id quod possidet. Anima justi possidet Deum, possidendo gratiam sanctificantem, quam perdendo Deum amittit. At imo: falsum est nihil remanere in anima, quæ Deum & gratiam amittit, nisi peccatum &c. In illa quippe remanent dona Dei naturalia & supernaturalia; naturalia quidem, ut facultates naturales, intellectus, memoria, voluntas, immortalitas, liberum arbitrium, ratio, lumen naturale, virtutes acquisitæ, & capacitas recipiendi gratiam; dona etiam supernaturalia, nempè indelebilis caracter sacramentorum, quibus participavit, fides, spes &c. hæc omnia non sunt peccata neque peccati consecutiones, quæ tamen omnia remanent animæ, quæ Deum atque ipsius gratiam amisit. 2do: Hæc propositio significat animam nullum opus bonum facere posse absque gratia sanctificante, sed hæc propositio quæ erat una inter errores Johannis Hus, damnata est in Concilio Constantiensi, art. 16.

Jesu

II.

Jesu-Christi gratia, principium efficax boni cujuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum; absqué illa non solùm nihil fit, sed nec fieri potest. Joann. 15. 5.

Hæc propositio, 1mo: falsa est, nam falsum est hominem non posse bonum operari absque gratia efficaci, quippe solâ gratiâ sufficiente adjutus potest bonum præstare & mandata Dei servare. 2do: Hæretica est; prima enim Jansenii propositio damnata est ut hæretica, quia asserit quædam Dei præcepta esse quibusdam justis impossibilia per gratiam sufficientem, fieri verò duntaxat possibilia per solam efficacem gratiam.

III.

In vanum, Domine, præcipis, si tu ipse non das quod præcipis. Act: 16, 10.

Deum dare quod præcipit, est dare gratiam efficacem, quæ facit quod præcipit. Unde sensus naturalis hujusce propositionis is est, *in vanum, Domine, Præcipis,* si per gratiam efficacem non das adimplere *quod præcipis.* Hæc propositio sicut & præcedens jam damnata fuerat, ut hæretica, quippe statim atque sine gratia efficaci nullum opus bonum fieri potest, consequens est nullum Dei præceptum sina illâ adimplere posse, ac proindè DEUM in vanum præcipere, nisi gratiam efficacem tribuerit ad divinæ ejus voluntati obtemperandum. In principiis P. Quesnelli omnis gratia est efficax.

Ita

IV.

Ita, Domine, omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo. Marc. 9. 22.

Verba hujusce propositionis eandem doctrinam continent ac præcedentium verba, propterea quód denotant, *omnia esse possibilia ei, cui* Deus *omnia possibilia facit*, largiendo gratiam efficacem, ac proindè significat in principiis Quesnelli nihil prorsús esse possibile, nisi virtute gratiæ efficacis.

V.

Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ suæ, exhortationes & gratiæ exteriores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum, Rom. 9. 18.

In præsenti propositione omnia sunt injuriosa Verbo Dei, quod est una ex præcipuis gratiis exterioribus, ipso fatente Quesnello, qui in caput 7. Epist. ad Rom. recenset verbum Dei inter præcipuas exteriores gratias. Quis autem potest affiirmare verbum Dei, quod est verbum vitæ æternæ, spiritus & vita; quod est sermo vivus efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti ad pungendum & emolliendum cor peccatoris; quod est scriptura inspirata, ac proindè utilis ad instruendum, arguendum, corrigendum, & ad conducendum hominem ad justitiam? Quis, inquam, asserere potest talem gratiam exteriorem ab interiori sejunctam, non valere, nisi *ad magis obdurandum* peccatorem! Id tamen affirmat P. Quesnellus in recensita propositione. Certè si verbum Dei,

Incarnatio Verbi, cæteraque nostræ religionis mysteria, quæ idem Quesnellus loco cit. appellat nobiliores gratias exteriores, inservirent duntaxat ad obdurationem cordis; talis obduratio fieret vel positivè, vel negativé; positivé, inspirando malitiam; negativè, substrahendo gratiam: atqui gratiæ exteriores neque positivè, neque negativé obdurant cor hominis, non positivè, quia solum peccatum inspirat malitiam, non etiam negativé, quia solus DEUS substrahit gratiam; ergo gratiæ exteriores non obdurant neque positivè, neque negativè. Equidem gratiæ exteriores sejunctæ à gratiæ interioris unctione conversionem peccatoris non operantur, attamen ipsum á præconceptis & falsis opinionibus avertunt, ejus cœcitatem minuunt; ad officium suum revocant; stimulos conscientiæ relevant, impediuntque, ne in sceleribus suis abdormiscat. Praetereá gratiæ exteriores, fatentibus omnibus Orthodoxis, excitant nos ad nonnullas actiones moraliter bonas, præsertim si faciles sint, & ad leves vincendas tentationes, quámvis sine ullo respectivè ad salutem merito. Quis veró dixerit hominem obdurescere & á conversione suâ recedere, dum actionibus moraliter bonis, jus v. g. cuique tribuendo, pauperi subveniendo, amico officium præstando, &c. dat operam.

VI.

Discrimen inter fœdus Judaicum & Christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis á peccatore, relinquendo illum in sua impotentia: in isto verô Deus peccatori dat quod jubet, illum suâ gratiâ purificando. Rom. II. 27.

VII.

VII.

Quæ ultilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipsi suam legem? Quæ verò felicitas non est admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat quod petit à nobis? Hebr. 8. 7.

VIII.

Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi in quantùm participes sumus ipsius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcepit. Hebr. 8. 10.

Juxta prædictas sextam & septimam propositiones discrimen inter veterem & novam legem in eo situm est, quòd in nova lege Deus det hominibus præcepta & gratias efficaces ad illa servanda, hominibus verò sub veteri lege constitutis præcepta quidem imposuerit nullam ad illa custodienda gratiam eis impertiendo, sed relinquendo illos suæ impotentiæ & propriæ infirmitati, quæ sanè contraria sunt pluribus scripturæ textibus, in quibus laudantur inter Judæos nonnulli, ut perfecti mandatorũ observatores legis sic Ps. 118. de Davide dicitur. *servavi mandata tua, viam mandatorum tuorum cucurri.* de Zacharia & Elizabeth, Lucæ 1. *erant autem justi ambo ante Deum incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini.* Sic de Ezechia, de Josia &c. Undè sic conficio argumentum. Vel isti omnes antiquæ legis homines gratiâ adjuti sunt ad mandatorum legis observationem, vel non: si primum; ergo falsæ sunt præfatæ Quesnelli propositio-

nes. Si ſecundũ; ergo ſine gratia ſervaverunt mandata quibus ſalvi facti ſunt, ac proinde vera eſt Pelagianorum ſententia aſſerens nullo opus eſſe homini gratiæ auxilio ad obſequendum legi & ad ſalutem acquirendam; ſed hæc ſententia eſt hæreſis Pælagiana; igitur Queſnellus dum ex una parte ultrá verum extollit gratiam Chriſti, illam ex altera funditùs evertit ac Pelagianiſmum ex orco revocat. Scio neq; antiquam legem, neq; opera legis habuiſſe ex ſeipſis vim juſtificandi, ſed totam virtutem, quam habebant á fide in JEſum Chriſtum & á gratia ejus accepiſſe; ſed nec me pariter latet mandata, quæ Judæis tradita ſunt obſervanda, non fuiſſe impoſſibilia, tum quia multi illa ſervaverunt, tum quia Deuteron. 3tio. dictum eſt eis: *Mandatum quod ego præcipio tibi non ſupra te eſt*: fuerunt autem illis ſervatu poſſibilia vel per gratiam, vel per naturam ſolam, non per naturam ſolam, alioquin vincerent Pelagiani; igitur per gratiam; ac proindè Judæi non ſunt relicti propriæ infirmitati & impotentiæ.

Si Queſnello credatur ex VIII. propoſitione, qui labuntur in peccatum mortale inter Chriſtianos, non pertinent ampliùs ad novum fœdus, id eſt, ad Eccleſiam, ad religionem Chriſtianam & conſequenter non ſunt amplius Chriſtiani, quia ſic labentes non ſunt *participes novæ gratiæ* (efficacis ſcil.) *quæ operatur in nobis*; ſed hæc propoſitio proſcripta fuit in Concilio Trident. Seſſ. 6 can. 28. his verbis: [„ Si quis dixerit ...... eum, qui fidem ſine charitate habet, non eſſe Chriſtianum, anathema ſit. "] Ex quo patet Queſnellum non ſolùm Janſenianum, ſed & Calvinianum, & Zuinglianum eſſe; Calvinus enim & Zuinglius ex ſolis electis, qui ſemper juſti ſunt, Eccleſiam componunt; Lutherus autem

cum

cum Jansenio admittit in Ecclesia quosdam ad tempus justos cum electis: at si in novâ lege non dantur nisi gratiæ efficaces, semel justificatus esset semper justus, sicque gratia esset inamissibilis, qui est alter Calvini error, nam non posset amittere gratiam, nisi ipsi obluctando, & obluctando deserere Deum, *Deus enim non deserit, nisi deseratur*: Sed nemo obluctatur gratiæ efficaci; ergo gratia non posset amitti, quare semel justificatus, semper justus remaneret. Quod est hæreticum.

IX.

Gratia Christi est suprema, sine qua confiteri Christum nunquam possumus, & cum qua nunquam illum abnegamus 1. *Corinth.* 12. 3.

Asserere in genere gratiam Christi esse supremam, *cum qua nunquam Christum abnegamus*, est imo: asserere gratiam Christi in genere esse gratiam, cum qua semper agimus: asserere gratiam Christi in genere esse gratiam supremam, cum qua semper agimus, est asserere nunquam gratiæ Christi resisti, non enim resistitur gratiæ cum qua agimus: sed asserere non resisti gratiæ Christi, est innovare 2dam propositionem Jansenii, quæ damnata est ut hæretica, *gratiæ interiori nunquam resistitur*; igitur hæc IX. Quesnelli propositio hæretica est.

2do. Est asserere gratiam sufficientem Thomistarum non esse gratiam Christi, quia neque est suprema, neque reducitur ad actum.

3tio: Asserere gratiam Christi in genere esse talem, ut sine illa confiteri Christum nunquam possimus, est asse-

Negant, quòd hæ tres, contritio, confessio & satisfactio sint partes pænitentiæ: sed quòd sint duæ tantùm, contritio & fides. Philippus in Apologia, in loco de pœnitentia.

In contrariùm asserunt, quòd tres sint partes pænitentiæ, contritio, fides, inchoatio bonorum operum. Philippus in ultima editione locorum communium.

De Contritione.

AFfirmant, quòd contritio ea, quæ præcedit gratiam remissionis, omnino sit peccatum. Lutherus in assertionibus contra Leonem.

In contrariùm jam negant, contritionem esse peccatum, sed quòd sit prima pars pœnitentiæ. Philippus in Apologia & locis.

De Confessione.

AFfirmant, quòd peccata debeant homines sua recensere juxta præcepta decalogi. Philippus in loco communi de confessione.

In contrariùm negant, auricularem confessionem esse necessariam, sed esse carnificinam conscientiarū. Lutherus in Resolutionibus & de decem leprosis. Philipp. in loco de confessione.

De satisfactione.

NEgant ullam esse posse satisfactionem (scilicet pro temporali pœna) sed Christum satisfecisse pro culpa & omni pœna. Lutherus in assertionibus: & Philip. in Apologia.

In contrarium asserunt, quòd Ecclesia sancta Mater piò affectu manum Domini præventura, castigat filios suos satisfactionibus quibusdam, ne incurrant flagella Dei: & quòd sint tres partes satisfactionis, jejunium, oratio, & eleemosyna. Luth. in Resol. 3. conclus. contra Eccium.

De Sacramento Ordinis.

AFfirmant, quòd nullum sit, nequè visibile, nequè externum, neque verum Sacerdotium in novo testamento, nisi quod humanis mendacijs per Satanam erectum. Lutherus in libro de abroganda Missa ad Senatum Pragensem, & libro de captivitate Babylonica.

In contrarium asserunt, quod Sacerdotes honorãdi sint, & quod ordinatio ministrorum sit Sacramentum. Lutherus in libro visitationis. Philippus in ultima editione locorum communium.

Affirmant, quod omnes homines sint Sacerdotes, & possint ligare & solvere, & uti clavibus. Lutherus libro de captivitate Babylonica.

In contrarium asserunt, quod sit ordo in Ecclesia, ut alij doceant & ministrent in Ecclesia, alij obediant ministris Evangelij; Philippus in locis ultimæ editionis.

De Matrimonio.

AFfirmant, quod Matrimonium non sit Sacramentum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, ignorantiâ tam rei quàm verbi adductis. Luth. in libro de captivitate Babylonica, Philippus in locis.

In contrarium asserunt, quod matrimonium verè sit

increata; est substantia in nullo subjecto recepta; igitur gratia Quesnelli adversatur gratiæ scripturæ, & certè si nulla sit alia gratia, quam voluntas Dei, periit omnis gratia Christi.

Dices, Quesnellus in præcedenti propositione gratiam vocat operationem *manus Omnipotentis Dei.* Esto; inde sequitur Quesnellum sibi esse contrarium, ipsumq; de errore in errorem per gradus iisse, *abyssus* enim *abyssum invocat.*

XII.

Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco, effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei. Marci 2. 2.

Hæc propositio damnata est ut impia, blasphema, & hæretica in quinta propositione Jansenii, quæ asserit Christum duntaxat esse mortuum pro prædestinatorum salute. Etenim si quos Deus vult salvare infallibiliter salvi fiunt; consequens est, Deum velle salutem duntaxat prædestinatorum, quia soli prædestinati salvi fiunt; ac proinde Christum pro salute prædestinatorum duntaxat mortuum esse; nam mortuus est pro illis, quos Deus vult salvare.

Dices; hæc propositio nihil est, quam interpretatio duorum carminum latinorum S. Prosperi, *carm. de ingratis*, in duo carmina Gallica, facta á D. de Sacy.

Nam si nemousquam est quem non velit esse redemptum
Hauddubiè impletur quidquid vult summa potestas.

quand

Quand Dieu veut ſauver l'ame en tout tems, en tout lieu,
L'indubitable effet ſuit le pouvoir d'un Dieu.

Reſp. ita eſſe. Queſnelli propoſitio excerpta eſt ex converſione Gallicâ ſupradict. carminum S. Proſperi, ſed hæc converſio infidelis eſt, & ad mentem Janſenianorum elaborata; nam in latino Proſperi legitur *redemptum*, & in gallicâ converſione de Sacy, legitur *ſauver*: at multum diſſident inter *velle redimere*, & *velle ſalvare*. Deus voluit voluntate abſoluta omnes homines redimere, vult autem omnes ſalvare voluntate conditionatá, id eſt, ſi ipſi velint. Quos Deus voluit eſſe redēptos, indubitabiliter redempti ſunt; ſic omnes homines indubitabiliter redempti ſunt, quia eos voluntate abſolutâ redimere voluit: illi autem, quos vult ſalvare, indubitabiliter non ſalvantur, quia ipſi nolunt, Deus verò non vult omnes ſalvare niſi voluntate conditionatâ. Itaque unuſquiſque hominum redemptus eſt, quia Chriſtus totum effudit ſanguinem in pretium redemptionis uniuſcujuſque hominum: ſed omnes & ſinguli homines ſalvati non ſunt, quia ſalus hominum á duplici voluntate Dei ſcil. & hominis pendet; quarum alterutra deficiente homo non ſalvatur; Deus quidem voluntate generali vult omnium ſalutem, ſed quia non omnes effectivé ſalvari volunt; hinc non omnes, etſi redempti ſint, ſalvantur. Quapropter redemptio eſt á ſolo Deo, ſalus vero á Deo & homine.

Eſt ne undè auctor libelli ſub titulo gallico, *idee generale de la Conſtitution*, pag. 19. hæc quaſi in S. Sedis defenſionem ſcribat.

Profecto tam inconsulta doctrinæ SS. Patrum damnatio auctoritatem S. Sedis crasso errori & Hæreticorum ludibrio turpiter committit	En verite, M. c'est bien exposer l'autorité du S. Siege, que de condamner ainsi la doctrine des SS. Peres en propres termes.....

Nonne æquiori jure posset quis Catholicus in Jansenianos sic invehi, siccine, ô Janseniani, doctrinam SS. Patrum in vestræ hæreseos gratiam depravatis, ac in inversum sensum detorquetis?

Sequentes propositiones 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. impetunt gratiam sufficientem.

XIII.

Quando Deus vult animam salvam facere & eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit Lucæ 5. 13.

Falsum est humanam voluntatem non resistere gratiæ; nam resistit gratiæ sufficienti, ut definiit Ecclesia contra secundam propositionem Jansenii.

XIV.

Quantùmcumque remotus à salute sit peccator obstinatus, quando Jesus se ei videndum exhibet lumine salutari suæ gratiæ, oportet ut se dedat, occurrat, sese humiliet, & adoret salvatorem suum. Marci 5. 6.

Christus se exhibet videndum peccatori per lumen gratiæ sufficientis: attamen peccator obstinatus, illustratus hoc lumine non se convertit, nec occurrit ad Christum,

vel

vel si se convertat, hoc nonnisi rarissimè accidit; ergo illa propositio falsa est.

XV.

Quando Deus mandatum suum, & suam externam locutionem comitatur unctione sui Spiritûs, & interiori vi gratiæ suæ, operatur illâ in corde obedientiam, quam petit. Lucæ 9: 60.

Hæc propositio impugnat gratiam sufficientem & solam agnoscit gratiam, quæ obedientiam in corde semper operatur, hæc autem est sola gratia efficax.

XVI.

Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil resistit Omnipotenti. Act. 8. 12.

Si nullæ illecebræ resistunt gratiæ, gratia sufficiens non est gratia, quia ferè semper ei obsistitur.

XVII.

Gratia est vox illa Patris, quæ homines interiùs docet, ac eos venire facit ad Jesum Christum. Quicumque ad eum non venit, postquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenùs est doctus à Patre. Joann 6. 45.

De fide est hominem edoceri à Patre per sufficientem gratiam, per quam tamen non semper venit ad Filium; ergo de fide est, falsam esse propositionem hanc Quesnelli, quæ asserit eum qui non venit, nullatenûs edoctum esse á Patre.

XVIII.

Semen verbi, quod manus Dei irrigat, semper affert fructum suum. Act. 11, 21.

Præsens propositio manifesté gratiam sufficientem proscribit, quia si sola est vera illa gratia per quam est semen verbi irrigatum, semper fructum affert, gratia sufficiens per quam verbum fructum non affert, non est vera gratia.

XIX.

Dei gratia nihil aliud est, quam ejus omnipotens voluntas: hæc est idea, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis Scripturis. Rom. 14. 4.

Vide proposit. XI.

XX.

Vera gratiæ idea est, quod Deus vult sibi à nobis obediri, & obeditur; imperat, & omnia fiunt; loquitur tanquam Dominus, & omnia sibi submissa sunt. Marci 4. 39.

Præsens propositio significat veram gratiæ ideam, illam esse per quam omnia Deo submissa sunt; at omnia non sunt Deo submissa per gratiam sufficientem; ergo gratia sufficiens non est vera gratia, vel propositio ista falsa est; sed gratia sufficiens vera est gratia; ergo &c.

XXI.

Gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpotè quæ est operatio voluntatis omnipotentis,

potentis, sequela & imitatio operationis Dei incarnantis & resuscitantis Filium. 2. Corinth. 5.

XXII.

Concordia omnipotentis operationis Deis in corde hominis, cum libero ipsius voluntatis consensu, demonstratur nobis illicò in Incarnatione, veluti in fonte atque archetypo omnium aliarum operationum misericordiæ & gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes à Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio. Lucæ 1. 38.

XXIII.

Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, qua creaturas é nihilo producit, & mortuis reddit vitam. Rom. 4. 17.

XXIV.

Justa idea, quam Centurio habet de omnipotentia Dei & Jesu Christi, in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis, est imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus à cupiditate. Lucæ 7. 7.

XXV.

Deus illuminat animam, & eam sanat æquè ac corpus sola suá voluntate; jubet, & ipsi optemperatur. Lucæ 18. 42.

In his propositionibus perimitur libertas á necessitate, periit gratia sufficiens, & sola viget gratia necessitans, cui voluntas

voluntas resistere non potest; nam se habet voluntas ad gratiam, ait Quesnellus, sicut natura humana ad actionem Dei Filium incarnantis; extrahentis creaturas è nihilo; revocantis mortuos ad vitam; & sanantis corpora per solam voluntatem: atqui humanitas Christi non potuit resistere actioni Dei incarnantis Filium, nec unioni Verbi liberè cooperata est, neque creaturæ potuerunt resistere actioni Dei creantis, nec huic actioni cooperatæ sunt; neque corpora ad vitam revocata resistere & cooperari potuerunt actioni Dei ad vitam revocantis; neque corpora sanata potuerunt resistere & cooperari actioni Dei illa sanantis; ergo voluntas humana non potest resistere, neque cooperari gratiæ, vel si cooperetur, hæc cooperatio non est libera, sed simpliciter physica, communis omnibus actionibus vitalibus, & quæ sunt nullius meriti. Talis est P. Quesnelli in præfatis propositionibus hæresis, jam proscripta á Concilio Trident. Sess. 6. anathemati subjiciente eos, qui dicunt liberum arbitrium per gratiam motum non posse gratiæ liberé cooperari & resistere, quia Calvinus, contra quem agit Concilium, docebat quidem voluntatem gratiæ cooperari, sed non liberè.

Repones præfatæ Quesnelli comparationes cadunt super gratuitatem, non verò super activitatem gratiæ, id est, tam gratia est gratuita, quam actiones incarnandi; creandi &c.

Contra: Juxta Quesnellum dantur gratiæ secundæ, quæ priores supponunt, quales sunt illæ, quæ fidem sequuntur: hæ autem gratiæ tam gratuitæ, quam creatio, & mortuorum resurrectio non sunt; quia ejusmodi gratiæ alias

supponunt,

ſupponunt, quas exigunt; actiones autem creandi & ad vitam mortuos revocandi, nihil præſupponunt, quod ipſas exigat; undé Præſules Gallicani in actis verbalibus anni 1714, pag. 61. in præfatas propoſitiones ſcribunt gallicè.

Hæc exempla ſignificant, liberum arbitrium non poſſe magis ſe denegare gratiæ, quâm humanitas Jeſu Chriſti unioni hypoſtaticæ &c.

Ces exemples font entendre, que le libre arbitre ne peut pas plus ſe refuſer à la grace, que la nature humaine de Jeſus Chriſt à l'union hypoſtatique &c.

Reponit auctor ideæ Inſtructionis Paſtoralis ſub nomine Illuſtriſſimi Epiſcopi Mirapiſcenſis vulgatæ, & gallicè ſcriptæ ſub hoc titulo, *Projet du Mandement de Monſeigneur l'Evêque de Mirepoix, au ſujet de la Conſtitution,* Unigenitus &c.

Hoc eſt aberrare, quia P. Queſnellus in ſua propoſitione nonniſi de conſenſu, quem Virgo præbuit angeli verbis, loquitur .... cum dicit; Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis, cum libero ipſius voluntatis conſenſu, *demonſtratur illicó nobis in Incarnatione ....*

C'eſt là prendre le change, parceque le P. Queſnel ne parle dans la propoſition, que du conſentement que la Vierge donna aux paroles de l'ange.... lors qu'il dit, que *l'accord de l'operation toute puiſſante de Dieu dans le cœur de l'home, avec le libre conſentement de la volonte, nous eſt montre dabord dans l'Incarnation....*

Contra; Prædictus auctor hallucinatur, evidens enim eſt

est primo intuitu Quesnellum per nomen *Incarnation* intelligere operationem, quæ sit fons omnium aliarum operationum misericordiæ & gratiæ, quam idcircò originalem operationem vocat: at gratiæ operatio, quæ cor Mariæ inclinavit ad dicendum, *Fiat mihi &c.* non est fons & origo aliarum operationum misericordiæ & gratiæ, sed sola Incarnatio; quod ita verum est, ut dixerit Quesnellus, proposit. 21ma: gratia est *sequela & imitatio operationis Dei incarnantis & resuscitantis Filium suum.* Quare sic ratiocinari fas est, illam actionem Quesnellus vocat fontem atque archetypum omnium aliarum operationum gratiæ, cujus actionis dicit operationem gratiæ esse sequelam & imitationem; si enim asserit operationem gratiæ esse sequelam & imitationem actionis Dei incarnantis Filium; consequens est ipsum asserere actionem incarnandi esse fontem & archetypum aliarum operationum misericordiæ &c. atqui asseruit Quesnellus in proposit: 21ma. operationem esse sequelam & imitationem actionis DEI incarnantis Filium; ergo propositio 22da: asserit Incarnationem esse fontem & archetypum omnium aliarum operationum misericordiæ & gratiæ. Quód si Quesnellus ante & post sermonem faciat de consensu virginis, ex eo solúm sequitur, quód inde sumpserit occasionem loquendi de concordia operationis omnipotentis Dei in corde hominis, cum libero voluntatis consensu.

Reponit idem auctor SS. PP. Leonem, Augustinum, Fulgentium contulisse operationem gratiæ cum Incarnatione. Verum est, sed SS. Patrum nullus docuit, gratiam effectum, propter quem datur, independenter á libera coo-

peratione

peratione voluntatis produxisse, sicut Deus solus actionem Incarnationis Filii absque libero consensu ejus humanitatis operatus est. In hoc igitur sistit analogia, quam SS. Patres instituunt operationem incarnandi inter, & operationem gratiæ, quod utraque sit á Deo; Deus autem aliter opetatur in Incarnatione, & aliter in corde, in Incarnatione nihil liberum exigit ab humanitate Christi, ècontra veró operando in corde hominis per gratiam relinquit ipsi libertatem cooperandi,

Prætereá tametsi concordiam liberi consensûs gratiæ nobis in Incarnatione ostenderet consensus Mariæ angelo nuntianti præstitus, semper sequeretur consensum, quem homo largitur gratiæ esse necessitatum, quippe consensus Mariæ necessitatus est in principiis scil. Quesnelli, docentis omnem gratiam esse invincibilem.

XXVI

Nullæ dantur gratiæ, nisi per fidem. Lucæ 8. 48.

XXVII.

Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum. 2. Petr. 1, 3.

Si nulla est gratia nisi per fidem; ergo dispositiones ad fidem non procedunt á gratia, quod sané Semi-Pelagianum est, quodque in Semi-Pelagianis condemnavit Ecclesia, definiendo initium fidei esse à gratia. [„Si quis dixerit, ait " Concilium Trident. Sess. 6. can. 3. absque inspiratione " præveniente Spiritûs Sancti, hominem posse credere anathema sit."] Gratia autem præcedens fidem, non est fides; fides

 est

est assensus datus rebus revelatis; gratia verò necassaria ad habendam fidem, est illustratio in mente & pia motio in voluntate; illustratio autem & pia motio sunt viæ ad assensum, non veró assensus. Cornelius Centurio, Act. 11. priùsquam fidem haberet, gratiis præventus erat; erat enim pius & timens Deum, ut ait Concil. Arausic.

XXVIII.

Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio. Marci II. 25.

Si fides sit prima gratia, ut in præcedente quæstione garriebat Quesnellus, & remissio peccatorum est prima gratia, ut hic asserit; consequens est, fidem & remissionem peccatorum esse unam, eandemque gratiam, ac proindé sicut homo per solam remissionem peccatorum justificatur, sic per solam fidem justificabitur: sed hæreticum est essere, ait Trident. Sess. 6. can. 9. hominem solâ fide justificari; igitur fides & remissio peccatorum non sunt una & eadem gratia; sed fides est prima gratia, ait Quesnellus; ergo remissio peccatorum non est prima gratia. Deinde si remissio peccatorum esset prima gratia, omnes pii motus, quos infidelis ante conversionem suam ad fidem experitur, non essent gratiæ, neque dispositiones ad justificationem, de quibus Concilium Trident. Sess. 6. & 14. loquitur, essent gratiæ.

XXIX.

Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia. Lucæ. 10. 35. 36.

Si extra Ecclesiam nulla sit gratia, ante fidem nulla

est

eſt gratia, quia nemo, niſi per fidem, eſt in Eccleſia : ſed pauló ante oſtendimus, fidem non eſſe primam gratiam, ſed gratiam prævenientem præcedere fidem, hoc fide conſtat; ergo fide conſtat extra Eccleſiam eſſe gratiam, quia nullus eſt in Eccleſia, niſi per fidem, ut dictum eſt.

Reponit auctor Ideæ generalis novæ Conſtitutionis, extra Eccleſiam reverâ non eſſe gratiam ſanctificantem. P. Queſnellus enim de gratia ſanctificante ibi loquitur; unde pag. 22. ſic ait gallicè.

Error facti eſt, damnare hanc eamdem propoſitionem, tanquam fideliter extractam è libro REFLEXIONUM MORALIUM, *ubi duntaxat de gratia juſtificante mentio habetur.....*

C'eſt une erreur de fait, que de condamner cette même propoſition, comme *fidellement extraite* du livre des REFLEXIONS MORALES, où il n'eſt parlé, que de la grace juſtifiante....

Contra : allatæ propoſitionis damnatio eſt veritas juris ac facti; 1mo : juris, quia eſt hæretica; hæreticum enim eſt aſſerere nullam dari gratiam actualem ante & extra fidem, ut mox ſupra dictum eſt; ergo hæreticum eſt dicere nullam eſſe gratiam actualem extra Eccleſiam, quia nemo eſt in Eccleſia niſi per fidem: 2do: Veritas facti, quia P. Queſnellus docuit ante & extra fidem nullam dari gratiam actualem; igitur dum ait, *extra Eccleſiam nulla eſt gratia*, intelligit non ſolúm gratiam habitutalem, ſed & actualem; ac proinde damnatio præfatæ propoſitionis, non eſt ſolûm veritas juris, ſed & facti.

XXX.

Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter. Johann. 6. 40.

XXXI.

Desideria Christi semper habent suum effectum; pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat. Johann. 20. 19,

XXXII.

Jesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine primogenitos, id est, electos, de manu angeli exterminatoris. Galat. 4. 5. 6. 7.

XXXIII.

Proh! quantum oportet bonis terrenis, & sibimet ipsi renuntiasse, ad hoc ut quis, fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Jesum, ejus amorem, mortem, & mysteria, ut facit S. Paulus *dicens:* Qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me Galat. 2. 20.

Quatuor istæ propositiones docent Christum Dominum esse mortuum pro solis prædestinatis. 1mo: Deus vult salvare omnes illos, pro quibus Christus mortuus est; ergo si velit solúm salvare eos, qui infallibiliter salvantur, seu prædestinatos, hi enim soli salvantur; consequens est Christum pro salute duntaxat prædestinatorum mortuum esse: jam veró hæc propositio damnata est ut hæretica in quinta Jansenii propositione. 2do: Si *desideria Christi semper habent suum effectum*, sequitur ipsum solúm desiderasse salutem eorum

rum, qui ſalvantur,ſeu prædeſtinatorum, ac proinde hanc propoſitionem reduci ad quintam Janſenii. 3tio: Si Chriſtus ſe morti tradidit pro ſolis primogenitis; ergo non eſt mortuus pro natu minoribus, id eſt,, reprobis: ſed hoc falſum eſt, ut Eccleſia damnavit in præfata quinta propoſitione. 4to: Si quilibet Chriſtianus animum à bonis terrenis tam divulſum habere debet, quám S. Paulus habebat, ut confidenter cùm ipſo dicere poſſit, *dilexit me & tradidit ſemetipſum pro me*; vix ullus Chriſtianus hanc ſpem & fiduciam habere poteſt, quare vix ullus Chriſtianus eſt, qui in ſalutis ſuæ deſperationem venire non debeat? quia vix eſt ullus Chriſtianus, cujus cor à rebus caducis ita avulſum ſit, ac cor S. Pauli. Nihilominùs jubet Eccleſia, ut omnes ad unum Chriſtiani intrá ſacram Myſteriorum noſtrorum celebrationem hoc ſymbolum recitent, *qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis.*

Reſpondet Queſnellus in libro inſcripto; *idee generale de la conſtitution*, pag. 31. ſe mentionem facere in 30ma propoſitione de voluntate Dei abſoluta & conſequente, ut conſtat ex 6. cap. Joan. *Hæc eſt autem voluntas ejus, qui miſit me Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo.*

Contra: hæc Evangelii verba, unde prædictaQueſnelli propoſitio excerpta eſt, intelligenda ſunt de voluntate Dei antecedente, alias omnes Apoſtoli, quos Pater dedit Filio, ſalvi fuiſſent, attamen non omnes ſalvi facti ſunt, Judas enim damnatus eſt; undè cap. 17. hæc eadem fere cap. 6. verba Chriſtus repetens ait: *nemo ex eis periit, niſi filius perditionis*, præterea allata propoſitio eſt univerſalis, ac proinde univerſaliter falſa,

XXXIV.

Gratia Adami non producebat, nisi merita humana 2. Corinth. 5. 21. edit. 1693. & Joann. 1. 16. edit. 1699.

XXXV.

Gratia Adami est sequela creationis, & erat debita naturæ sanæ & integræ. 2. Corinth 5. 12.

XXXVI.

Differentia essentialis inter gratiam Adami & statûs innocentiæ, ac gratiam Christianam, est, quod primam unusquìsque in propria persona recepisset, ista verò non recipitur, nisi in persona Jesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus. Rom. 7. 4.

XXXVIII.

Gratia Adami, sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata: gratia Christiana nos sanctificando in Iesu Christo, est omnipotens, & digna Filio Dei. Ephes. 1. 6.

Ex his propositionibus nulla est, quæ non sit in fide erronea. Prima quidem; hæc enim asserere nequit gratiam Adami solùm producere *merita humana*, nisi duabus de causis, vel quia imo: omne meritum hominis procedens á gratia, cui resisti potest, qualis concessa est angelis & Adamo innocenti, est purum meritum humanum; propterea quod hujusmodi gratia non determinat voluntatem, ita docet Jansenius; at si propter istam rationem scripsit Quesnellus allatam primam pro-

propoſitionem, ejus propoſitio eſt erronea in fide; quippe de fide eſt, gratiam, cui poteſt reſiſti, eſſe gratiam ſupernaturalem, & meritum, quod inde naſcitur, eſſe ſupernaturale. Vel quia 2do: gratia primo homini conceſſa erat ſolummodó gratia & ſupernaturalis, nomine tenùs, quod plané aſſerere videtur Queſnellus in ſequenti propoſitione; *gratia Adami*, inquit, *eſt ſequela creationis, & erat debita naturæ ſanæ & integræ*: quod autem debitum eſt naturæ humanæ ante peccatum, non eſt propré gratia; igitur gratia Adami non erat propriè gratia, nec illius gratiæ effectus erant propriè ſupernaturalis. Jam verò docere gratiam Adamo conceſſam, eſſe debitam naturæ, eſt renovare 21mam propoſitionem Baïi, quæ ſic habet: *Humanæ naturæ ſublimatio, & exaltatio in conſortium divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda eſt, & non ſupernaturalis.* Haucpropoſitionem Baïus hauſerat á Luthero, *Com. in Genes. cap.* 4. ubi ait, tam eſſe congruum naturæ Adami cognoſcere Deum; ipſius verbo credere; ipſúmque amare, quam naturale eſt oculis recipere lumen.

Dices; nunquid gratia aliquo ſenſu debita erat Adamo; nunquid S. Auguſtinus, lib. de Prædeſt. ſanct. cap. 15. dicit; [„ Humana hîc merita conticeſcant, quæ perierunt in“ Adam. “]
“

Reſp. Ad 1mum: gratiam debitam eſſe Adamo eo ſenſu, quod ad finem ſupernaturalem deſtinatus erat ex ſapientia & fidelitate Dei, qui ſemper dat media proportionata ad fidem, nec aliquid impoſſibile jubet: at verò Queſnellus aſſerit gratiam eſſe debitam Adamo ſenſu plané contrario; quia, inquit, *erat* ei *debita* ut *ſequela creationis*, id eſt, juxta Lutherum

therum

therum, Baïum, Janſenium & Janſenianos, erat illi debita titulo juſtitiæ.

Ad 2dum dico S. Auguſtinum ſignificare merita ſtatûs innocentiæ fuiſſe *humana*; quia proxima & completa eorum cauſa efficiens, erat natura hominis, id eſt, voluntas ſana cum habituali gratia: nam hæc duo ex S. Auguſtini mente componunt *naturam hominis, in qua primum in ſuo genere inculpabilis factus eſt*, ut loquitur lib. 3. *de libero arbitrio.* cap. 19. quo ſenſu affirmat liberum arbitrium in natura ſana ſibi, ac propria merita peperiſſe. *Unde autem non glorietur* (*poſt lapſum*) *caro coram ipſo, niſi de meritis ſuis: qae quidem potuit habere, ſed perdidit, & per quod habere potuit, per hoc perdidit: hoc eſt per liberum arbitrium* lib. de correp. & grat. cap. 13. Cúm liberi arbitrii nomine habitualem gratiam intelligat, nihil mirum ſi illud ſua ſibi merita comparaſſe pronuntiat; quippe ad bene agendum nulla aliâ voluntatis gratiâ indigebat. Hæc ſunt *humana & liberi arbitrii merita*, quæ S. Doctor primi parentis peccato periiſſe ſæpius ſignificat. Si Queſnellus hoc ſenſu locutus eſſet, non haberet hoc in loco, undé redargueretur, neque erroris poſtulatur, quod excluſerit formaliter omnem gratiam ab innocentiæ ſtatu, ſed quod hoc in ſtatu non aliam agnoverit gratiam, quam quæ naturæ debita erat, & quæ conſequenter ſola humana merita poterat producere.

quod ſpectat 36tam propoſitionem hæc eſt in omni ſenſu erronea, vel enim Queſnellus per gratiam intelligit gratiam ſanctificantem, vel gratiam actualem. Si de gratia ſanctificante loquitur, vult nos illam duntaxat recipere *in perſona Jeſu Chriſti reſuſcitati*, ſicque Queſnellus adoptat

ptat dogma Calvinisticum, docens gratiam sanctificantem in simplici imputatione justitiæ Jesu Christi consistere. Equidem homo per merita Christi justificatus est, sed gratia, quæ ipsum justificat, est in eo; est nostra justitia; est justitia nobis inhærens, ait Concilium Trident. Sess. 6. can. 10, non veró est justitia Jesu Christi nobis exteriùs imputata, ut loquitur Calvinus, quod sané videtur dogma Quesnelli in præfata propositione, ubi proferens discrimen inter utriusque gratiæ receptionem dicit, quòd Adam in statu innocentiæ gratiam in propria persona recipiebat, nos veró in persona Jesu Christi resuscitati. Vel 2do: si loquatur de gratia actuali, quî asserere potest nos illam nunc *in persona Jesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus*, recipere? hoc enim si verum sit, gratiam duntaxat moraliter accipimus, propter nostram unionem cum Christo moralem: at certum est, nos physicé recipere actuales gratias, quas Christus ad bonum operandum nobis promeruit.

37ma Propositio eundem sensum refert, ac propositio immediaté præcedens, quia in ea habetur Adamum fuisse per gratiam in semetipso sanctificatum ex eo, quòd gratia erat illi proportionata; nos veró sanctificatos esse in persona Christi, hoc est, per simplicem Christi meritorum imputationem. Nonne gratia Jesu Christi infirmitati nostræ proportionata est, sicut gratia Adami ejus viribus commensurata erat?

XXXVIII.

Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia liberatoris. Lucæ 8. 29.

XXXIX.

Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum, ardoris, nisi ad præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum. Est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum. Math. 20. 3. 4.

XL.

Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem. 2. Thessal 3. 18.

XLI.

Omnis cognitio Dei, *etiam naturalis, etiam in phylosophis etnicis, non potest venire, nisi á* Deo, *& sine gratia non producit, nisi præsumptionem, vanitatem & oppositionem ad ipsum* Deum *loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris.* Rom. 1. 19.

XLII.

Sola gratia Christi reddit hominen aptum ad sacrificium fidei, sine hoc, nihil nisi impuritas, nihil nisi indignitas. Act 11. 9.

Tria sunt in fide certa circa prædictas propositiones. 1mum: sine gratia nulla actio verè Christiana fieri potest. 2dum: Voluntas humana non accipit á gratia libertatem necessitatis & electionis, neque gratia libertatem perimit. 3tium: Absque gratia potest fieri aliquod opus moraliter bonum. Ecclesia primum definiit contra Pelagianos; secundum adversûs Calvinianos & Jansenianos, tertium contra

Cote-

Cotescalchum, art. 5 & contra Baïum 27. 28. 35. 40. & 65. propositionibus. Jam veró cum omnes mox recensitæ Quesnelli propositiones doceant hominem peccare in omnibus suis actionibus statim atque illas ex impressione & motu gratiæ non facit, consequens est ejusmodi propositiones fuisse damnatas in Baio & Gotescalcho asserentibus nihil nisi malum sine gratia fieri, ac proinde Clementem XI. illas meritó eidem anathemati subjecisse. Sufficienter in prima parte ostendimus posse fieri actiones ordinis naturalis moraliter bonas absque gratia

XLIII.

Primus effectus gratiæ baptismalis, est facere, ut moriamur peccato, adeo ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus mundi. Rom. 6. 2.

Si per gratiam Baptismalem homo tam esset mortuus peccato quam homo per mortem physicam mortuus est rebus mundi; hæc & similia sequerentur falsa, absurda & veritati Catholicæ absona. 1mo: Hominem baptizatum fore impeccabilem, quia ad peccandum & perdendam gratiam baptismalem datur motus seu transitus á statu gratiæ ad statum peccati, at mortuus, qui non habet spiritum, cor & sensum, talem transitum facere non potest, atque adeo impeccabilis esset: sed fide constat homines baptisatos peccare: *si dixerimus, quia peccatum non habemus ipsi, nos seducimus, & veritas in nobis non est:* Joan. 1. ergo allata propositio hæretica est; nam contraria est verbo Dei. 2do: Sequeretur gratiam sanctificantem esse inamissibilem ; hoc autem damnatum est contra

hæreticos in Concilio Trident. ſupra. 3tio: Homo baptiſatus nulla peccati illecebra alliceretur, quia ad inſtar mortui ſenſu careret: at id fuit à prædicta Synodo reprobatum aſſerente, Seſſ. 5. decreto peccat. orig. concupiſcentiam aut fomitem peccati remanere in baptiſatis.

XLIV.

Non ſunt niſi duo amores, unde volitiones & omnes actiones noſtræ naſcuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor quo nos ipſos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum fit malus. Joann. 5. 29.

Hæc propoſitio 1mo damnata fuit in 38va: propoſit. Baii, quæ ſic habet: *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas, quâ mundus diligitur, quæ à Joanne probibetur: aut laudabilis illa charitas, quâ per ſpiritum Sanctum in corde diffuſâ, Deus amatur.* 2do: Damnata eſt etiam ab Alexandro VIII. in 7ma hac ſequente propoſitione: *Omnis humana actio deliberata, eſt Dei dilectio vel mundi: Si Dei, charitas Patris eſt; ſi mundi, concupiſcentia carnis, hoc eſt; mala eſt.*

Prætereà Queſnellus in allatâ propoſitione nullum admittit medium, charitatem inter & mundanam cupiditatem; ac proinde nullum virtutibus moralibus locum relinquit, ſicque inter peccata recenſet amorem filii ſubvenientis patri ex ſolo naturali motivo debiti & gratitudinis.

XLV.

Amore Dei in corde Peccatorum non ampliùs regnan-

regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat. Lucæ 15. 13.

Hæc propositio jam fuerat proscripta tum in hac 35tâ propositione Baii: *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.* tum in 40ma: *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.*

Objicit Quesnellus in libello, cui titulus gallicè; *Idée generale &c.* verba illius propositionis legi in S. Augustino Enchiridii, cap. 217. *Regnat* inquit, *carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas.*

Resp. Verba illius propositionis reperiri in S. Augustino, non veró sensum. S. Augustinus admittit medium inter charitatem & cupiditatem, non quidem ratione status personarum; omnis enim persona humana est in charitate seu gratia habituali vel in peccato, sed ratione actûs; nam actus fidei & spei &c. qui antecedunt charitatem non sunt á charitate habituali nec à cupiditate. Similiter agnoscit S: Augustinus, actus medios qui non sunt á cupiditate, neque à charitate supernaturali, sed à charitate humana. *Charitas humana*, inquit, *alia licita, alia illicita.* Sermo. 349. novæ edit. de temp. At Quesnellus sicut Baius nullum admittit medium inter chritatem supernaturalem, & cupiditatem; igitur illos meritó damnavit Ecclesia.

Quæres: Nonne Quesnellus incidit etiam hac in parte in sententiam Jansenii?

Resp. Negativè; nam Jansenius putat peccatorem posse cum parva gratia, seu parvâ charitate elicere aliquas supernaturales actiones, licèt non meritorias, sub dominante cupiditate, quas

quæ actiones ſunt veluti gradus, quibus charitas poteſt tandem ſupra cupiditatem auctoritatem reſumere. Tunc peccator juxta Janſenium, Deum ſuper omnia non diligit, & idcircò peccat, illum tamen ſemper diligit; & id quod hujuſce amoris imperfecti motivo præſtat, bonum eſt, ipſumque ad perfectius amandum diſponit; Hinc minus errat Janſenius, quam Queſnellus.

XLVI.

Cupiditas, aut charitas, uſum ſenſuum bonum vel malum faciunt. Matth. 5. 28.

R. Queſnellus per hanc propoſitionem ſignificat cupiditatem, aut charitatem gubernare ſenſus, illorumque uſum reddere bonum aut malum; ex quo ſequitur, malam eſſe actionem, quâ homo ſenſibus uteretur, ex motivo virtutum aliarum & diſtinctarum à charitate, quod ſané falſum & abſurdum eſt: quis enim Catholicus dixerit, eum peccare, qui jejunaret ex motivo pœnitentiæ, & ad Eccleſiæ præcepto optemperandum? quis dixerit, eum qui Miſſæ ſacrificio die Dominicâ ſine charitate intereſſet, male agere? quis dixerit, eum, qui manducaret ac biberet abſque charitate, aut ex temperantiæ, aut conſervandæ vitæ & ſanitatis motivo, toties peccare, quoties manducaret, & biberet? vide ſupra in ima parte, *utrum omnes actiones abſque charitate factæ, ſint peccata?*

Hoc ſané ſi eſſet teneretur quis in ſacro pœnitentiæ tribunali accuſare ſe peccaſſe, quod largiendo eleemoſynam pauperi, & proximum juvando, id ex ſolo miſericordiæ motivo præſtiterit, non verò ex charitate ſupernaturali; quot pecca-

peccatorum Janſenianus, qui moralem tam duram profitetur, quam nec digito attingere vellet; quot inquam, peccatorum conſcius eſſet, quæ viro Catholico ſunt actiones laudibus non indignæ!

XLVII.

Obedientia legis profluere debet ex fonte ; & hic fons eſt charitas. Quando Dei amor eſt illius principium interius , & Dei gloria ejus finis , tunc purum eſt quod apparet exterius, alioquin non eſt niſi hypocriſis, aut falſa juſtitia. Matth. 23. 26.

Si obedientia legis abſque charitate mera eſt hypocriſis, peccator charitatis expers neceſſario peccabit in omnibus ſuis actionibus, etiam obtemperando legibus divinis, Eccleſiaſticis, & regni; namque peccabit non committendo adulterium; non irrogando injuriam proximo ex motivo timoris Dei, & obedientiæ legis; peccabit, inquam, non minus ab hiſce peccatis abſtinendo, quam illa perpetrando; quia quod fit ſine charitate, vera eſt hypocriſis: hypocriſis autem ſemper eſt peccatum. Hæc ſanè Queſnelli propoſitio incidit in propoſitionem 16tam Baii, quæ ſic legitur: *non eſt vera legis obedientia, quæ fit ſine charitate.* Necnon contradicit Concilio Trident. Seſſ. 14. can. 4. ubi loquens de dolore imperfecto de peccato, quæ attritio dicitur, declarat illam ex gehennæ & pœnarum metu conceptam, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ, [„ non ſolum non facere hominem hypocritam, verùm etiam donum Dei eſſe &“ Spiritus Sancti &c. “]

XLVIII.

XLVIII.

Quid aliud esse possumus, nisi tenebræ, nisi aberratio, & nisi peccatum sine fidei lumine, sine Christo, & sine charitate. Ephes. 5. 8.

XLIX

Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est opus bonum sine amore Dei. Marci. 7. 22. 23.

L.

Frustra clamamus ad Deum, Pater mi; si spiritus charitatis non est qui clamat. Rom. 8. 15.

LI.

Fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur nisi per charitatem. Act. 13. 39.

LII.

Omnia alia salutis media continentur in fide, tanquam in suo germine, & semine, sed hæc fides non est absque amore & fiducia. Act. 10. 43.

LIII.

Sola charitas Christiano modo facit actiones Christianas, *per relationem ad Deum & Jesum Christum. Coloss. 3. 14.*

LIV.

Sola charitas est, quæ Deo loquitur, eam solam Deus audit. 1. Corinth. 13. 1.

LV.

LV.

Deus non coronat, nisi charitatem; qui currit ex alio impulsu & ex alio motivo, in vanum currit. 1. Cor. 9. 24.

LVI.

Deus non remunerat nisi charitatem, quoniam charitas sola Deum honorat. Matth. 25. 36.

LVII.

Totum deest peccatori, quando ei deest spes; & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei. Matth. 27. 5.

LVIII.

Nec Deus est, nec Religio, ubi non est charitas. 1. Johan. 4. 8.

Undecim istarum propositionum heterodoxia in eo stat, quod nullam aliam virtutem præter charitatem, nullum opus bonum sine charitate agnoscant, quámvis cœteræ virtutes jubeantur observari, sicut & charitas. *Sectare verò justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem.* 1. Tim. cap. 6. Ibi commendantur charitas & aliæ virtutes, tanquam virtutes inter se distinctæ, undè 48va: propositio innovat 27. propositionem Baii, quippe si nihil nisi peccatum absque charitate sumus, *liberum arbitrium sine gratiæ adjutorio, non nisi ad peccandum valet.* 49na propositio contraria est Concil. Trident. supra laudato asserenti dolorem de peccato conceptum ex timore gehennæ esse bonum, non tamen fit ex motivo charitatis, ut constat, neque procedit á

charitate tanquam à principio, nam præcedit justificationem, quæ fit per gratiam sanctificantem aut charitatem. Ad 50mam: non solum verbo Dei, sed etiam contradicit S. Augustino, qui lib. ad Simpl. 1. scribit: *hanc fidem volumus, habeant, qua impetrent charitatem*; ergo fides independenter á charitate habet aliquem meriti & perfectionis gradum, quo impetratur charitas. Ad 51mam: quoties fidelis, qui in peccato mortali existit, recitat Symbolum, toties actum fidei elicit, tunc autem in eo operatur fides, ipsum tamen non justificat, nunquid fides absque charitate non captivat intellectum? Ad 52dam propositionem quæ asserit non esse fidem sine amore & fiducia, docet non posse amitti charitatem sine fide, & eum qui habet fidem, habere & charitatem; quod ab Alexandro VIII. reprobatum est in sequente propositione. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides; & etiamsi videantur credere, non est fides divina sed humana.* Ad 53tiam: nonne actio Christiana est illa, quæ à Jesu Christo præcepta & ejus spiritu ducta, fit in honorem ipsius, etsi is, qui illam præstat, sit adhuc mortalis peccati conscius? Ecquid actiones fidei in Christum, non erunt actiones Christianæ? Attritio, quæ præcedit justificationem, quæ sané non est ex charitatis motivo, non erit Christiana? Actus spei, justitiæ, religionis, temperantiæ, quos Deus imperat, quique ad Deum referuntur, non erunt Christiani quia non fiunt vel á, vel ex charitate? ergo Christianus sine charitate non est Christianus? En præclara istius propositionis documenta!

Ad 54tam: quando Deus largitur alicui charitatem propter fidem quam habet, nonne Deus audit fidei ejus

vocem

„vocem?[“Unde venit ille amor, ait S. Augustinus, id est, chari-„tas per quam fides operatur, nisi ab eo cujus fides ipsa illam obtinuit.“] lib. de spir. & lit. cap. 13. Non igitur, sicut effutit Quesnellus in hac propositione sola charitas Deum alloquitur, nec Deus solam charitatem audit.

Si verum sit, quod fert 55ta propositio, nimirùm, *Deus non coronat nisi charitatem*; consequens est fidem, spem, humilitatem &c. sine mercede & corona in æternum remansuras esse. Equidem solas Deus remunerat in cœlis actiones, quæ in charitate factæ sunt; sed falsum est ipsum unâ duntaxat charitatem præmio afficere, omnes enim alias virtutes coronat, *omnis qui reliquerit domum &c. vitam æternam possidebit, Qui crediderit & baptisatus fuerit, salvus erit, Beati mundo corde, quoniam Deum videbunt &c. Beati qui patiuntur persecutionem propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Ecce proposita rerum temporalium abdicationi, cordis munditiæ, fidei & patientiæ corona. Nunquit sola charitas Deum honorat ut loquitur 56ta: propositio? Certé fidem illi abrogat S. Augustinus Enchyr. cap. 31. ubi dicit fidem, spem & charitatem Deo honorem deferre. Si 57ma Propositio fidem mereatur: *totum deest peccatori, quando non est spes, & non est spes ubi non est charitas*, quid falsius proferri potest? Fides estne ita cum spe sociata, ut sine ea subsistere non possit? Judas traditor spe cecidit, dum fide plenus erat. Homo in peccatum lapsus amittit charitatem, sed spem conservat.

Vel 58va propositio falsa est, vel in homine, qui peccat mortaliter non *est Deus* neq; *Religio*, id est, nec novit Deum nec Christianus remanet: atqui Christianus peccans mortaliter

taliter non desinit esse Christianus, ut ostendimus supra ex Concilio Trident.; quia semper fidem servat; proindeque falsissima est prædicta propositio.

LIX.

Oratio impiorum est novum peccatum, & quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium. Joann. 10. 25.

Contra: orare est præceptum omnibus omninò hominibus impositum; igitur qui orat præceptum adimplet: at si dum impius orat, novum committeret peccatum, peccaret adimplendo præceptum; atque adeo peccatum non esset amplius transgressio legis aut præcepti, quod sanè hæreticum est. Præterea quot Deus peccatores in scriptura sacra orantes exaudivit, sic exaudivit Manassen, Davidem &c. Nonne Salomoni Deus pollicetur, quod ubi populus Deum offenderit, & deprecatus ipsum fuerit, exaudiet eum de cœlo, & propitius erit peccatis eorum?

LX.

Si solus supplicii timor animat pœnitentiam, quo hæc est magis violenta, eò magis ducit ad desperationem. Matth. 27. 5.

Hæc propositio directè petit Concilium Trid. quod Sess. 4. can. 4. dicit metum gehennæ viam parare gratiæ, ut peccatorem ad Deum conducat, affertque in exemplum Ninivitas, qui hoc metu perciti, ac utiliter concussi pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrarunt. Cui potius credendum, an Quesnello docenti metum supplicii

plicii ad desperationem conducere; an Ecclesiæ definienti hunc metum, si voluntatem peccandi excludat, viam parare ad justitiam?

LXI.

Timor nonnisi manum cohibet; cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore Justitiæ non ducitur. Lucæ 20. 19.

Hæc propositio contradicit eidem Concilio, loco mox cit. Duplex est timor gehennæ, alter timor servilis; alter serviliter servilis. Per timorem servilem peccator tam cor habet mundum, quam manum; hoc enim timore concussus recedit á malo & facit bonum, quia novit se non aliter inferni supplicia declinare posse. Timor serviliter servilis is est, quo peccator ita inferni supplicium formidat, ut si abesset subeunda inferni pœna, á peccato non deficeret. Si Quesnellus de timore serviliter servili sermonem faceret, ejus propositio reprehensibilis non esset, sed quia omnem supplicii metum complectitur, justo judicio proscripta est.

LXII.

Qui á malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo. *Matth. 21. 46.*

Contra: si qui se solum á malo abstinet ex gehennæ metu, peccatum in corde suo comittit; quare ergo S. Augustinus, Epist. 140. alias 120. scribit timorem, qui præcedit charitatem in corde, ab eo consuetudinem agendi perversé

versè expellit, locumque charitati servat, ut sua præsentia foras pellat timorem: Quare Scriptura refert eos, qui timoris motivo concepere spiritum salutis ?

LXIII.

Baptisatus adhuc est sub lege sicut Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore. Rom. 6. 14.

Juxta hanc propositionem baptisatus, qui non servat legem, vel qui illam ex timoris motivo servat, desinit esse Christianus, & fit Judæus, atque adeo semper peccat, quippe Quesnellus asserit in 8va propositione, nos ad novum fœdus non pertinere, nisi per gratiam efficacem, quæ impedit quominus quis peccet, nam sine gratia efficaci, quæ Judæis non dabatur, peccatum vitari non potest. Lugenda sanè Judæorum ad Christi Domini adventum usque conditio ! talis tamen est iuxta Quesnellum conditio Christiani á peccato ob justitiæ divinæ timorem abstinentis.

LXIV.

Sub maledicto legis, nunquam fit bonum, quia peccatur sive faciendo malum, sive illud nonnisi ob timorem evitando. Galat. 5. 18.

Contra: Si *sub maledicto legis* nusquam nisi perversè actum est, omnes Judæi, qui à Moise ad Christum usque vixere, nonnisi perversè egerunt, ac proinde illi omnes, quorum Scriptura sanctitatem laudibus effert, reprobi sunt; & consequenter scripturæ verba, quæ illos in sanctorum numero recensent, fabellæ sunt.

LXV.

LXV.

Moises, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis mortui sunt, absque eo quod ullum Deo dederint Filium, cum non effecerint nisi mancipia per timorem. Marci 12. 19.

Ex hac propositione infertur nullum ex Judæis Deum dilexisse, sed solum timuisse, timore scil. serviliter servili, atque adeo mentitur Scriptura affirmans Davidem, Josiam, & plures alios præceptum de Deo diligendo adimplevisse. Certé filii non sunt servi; attamen Christus, Matth. 8. Judæos vocat filios regni; quorsùm igitur Judæi nominantur servi? Respondeo illos esse servos & filios; servos, ob præceptorum multitudinem, & pœnas temporales, quas lex transgressoribus suis infligebat: filios, ob singularem protectionem, quâ illos custodiebat, & propter amorem, quo ad ipsum revertebantur.

LXVI.

Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus; neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem, sicuti bestiæ; sed per fidem, & per amorem, sicut filii. Hebr. 12. 20.

Contra: si qui per timorem accedunt ad Deum, se habent ad instar bestiarum, Scriptura, quæ multis in locis designat timorem, ut initium sapientiæ Domini, & ut viam ad ipsum quærendum; *Timorem Domini docebo vos: Initium sapientiæ, timor Domini; Beatus vir, qui timet Dominum &c.*

bestiarum

beſtiarum iter nobis delinearet; nos ad agendum beſtiarum more induceret, atque obliviſceretur nos eſſe homines.

Dices; timor nobis eſt cum beſtiis communis. Diſt. timor in genere, Conc. Timor gehennæ æternæ, quæ ſupponit fidem, Nego. Accedere ad Deum metu judiciorum ejus, eſt ne accedere ad ipſum beſtiarum inſtar?

Urgebis. Ergo poteſt quis ad Deum ire plenus beſtiarum affectibus; id enim hac in propoſitione vetat Queſnellus; ſummus autem Pontifex condemnat quod Queſnellus vetat.

Reſp. Neg. maj. Non omne quod hac in propoſitione continetur, falſum ac malum eſt, neque illud Maximus antiſtes damnat; quid ergo Eccleſiæ cenſura ferit? id nempe quod aſſerat Queſnellus neminem poſſe ad Deum accedere, niſi per fidem, & amorem, excludendo metum gehennæ, & timorem Domini, quem Scriptura, Concilia, & Patres declarant eſſe viam ad juſtificationem.

LXVII.

Timor ſervilis non ſibi repræſentat Deum, *niſi ut* **Dominum durum, imperioſum, injuſtum, intractabilem, Lucæ 19. 21.**

Sequitur ex illa propoſitione timorem ſervilem utilem duntaxat eſſe ad peccatorem adducendum in deſperationem, ut jam dixit queſnellus in 60ma propoſitione. Concilium verò Trident. Seſſ. cit.ècontra; ibi enim docet metum gehennæ, peccatori ad miſericordiam conducere, ut probat exemplo Ninivitarum.

LXVIII

Dei bonitas abbreviavit viam salutis claudendo totum in fide, & precibus. Act. 2. 21.

Contra: *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum.* Matth 7. sed *qui dicit Domine, Domine, &c.* habet fidem in Deum & orat; ergo totum salutis negotium non continetur in fide & oratione. In quo ergo continetur? in executione scil. omnium Dei mandatorum, quare subdit Christus, ibid. *sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum,* voluntas autem patris cœlestis est, ut omnis, qui vult salvus esse, obediat omnibus præceptis; *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata,* Matth. 19. Jam veró mandatorum Dei observatio in sola fide & oratione non continetur; igitur propositio Quesnelli erronea, & falsa est, quippe est contraria verbo Dei.

LXIX.

Fides, usus, augmentum, & præmium fidei, totum est donum puræ liberalitatis Dei. *Marci* 9. 22.

Contra: Si hæc propositio vera esset, sequeretur 1mo: hominem Christianum non mereri per actum fidei, nam actus fidei est usus fidei: 2do: Non mereretur augmentum & præmium fidei: atqui fide constat hominem mereri per actum fidei, mereri & augmentum & præmium ipsius fidei, quamvis enim Deus gratia suâ ad actum fidei, aliaque bona opera exercenda nos præveniat, atq; comitetur, qua ratione omnia bona nostra opera, dona sunt Dei; nihilominùs quia ejusmodi bona opera sic præventa & adjuta pendent à libero nostræ

voluntatis usu, idcircò dum gratia bene utimur, meremur augmentum gratiæ, fidei, necnon gloriæ cœlestis possessionem; ait enim Concilium Trident. Sess. 3. can. 22. [„ Si quis dixerit hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita: aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam & Jesu Christi meritum (cujus vivum membrum est)" fiunt, non veré mereri augmentum gratiæ, vitam æter- " nam, & ipsius vitæ æternæ (Si tantum in gratia discesserit)„ consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit. "] Igitur *Fides, usus, augmentum, & præmium fidei totum* non *est donum puræ liberalitis Dei.* Eqidem gtatia sine qua non possumus agere & agimus in ordine ad salutem *Donum est pure liberalitatis Dei*, id enim totum á Deo pendet; usus veró gratiæ, qui est ab homine, meretur augmentum gratiæ, fidei &c. necnon prœmium vitæ æternæ etiam titulo justitiæ: Nam *gloria æterna est corona justitiæ*, ait S. Paulus, 1. Corinth. 9. Quare Deus coronando nostra merita, coronat sua dona, sed non puræ liberalitatis dona.

Dices: Concilium Arausicanum II, can. 5. ait: [„ Si quis dixerit sicut augmentum, ita etiam initium fidei ipsum credulitatis effectum esse á nobis, anathema sit. "] Ubi vides" augmentum fidei esse á Deo, ac proinde esse *donum puræ liberalitatis Dei.*

Resp. Neg. Conseq^am^. quod est donum puræ liberalitalis Dei á solo Deo est; sed augmentum fidei non est á solo Deo, sed partim ab homine, qui illud meretur, licet enim prima gratia non cadat sub ejus meritum; attamen bonus ejusdem gratiæ usus meretur augmentum & gratiæ & fidei.

LXX.

LXX.

Nunquam Deus affligit innocentes; & afflictiones semper serviunt, vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem, Joann. 9. 3.

Contra: B. Virgo, quæ semper fuit immaculata & innocens, fuit tamen tristis & afflicta, ejus enim anima doloris gladio percita est. Infantes baptisati etiam ante rationis usum non sunt peccatores, nihilominus hujus vitæ ærumnis subjacent, horrenda, quæ martyres supplicia sustinuere, erantne ipsorum peccatis debita? quare falsa & erronea est præfata propositio, quam damnavit Clemens XI. sed quam antea condemnaverant S. Pius V. & Gregorius XII. in 72da propositione Baii, cujus tenor est: [„ „ Omnes omninó justorum afflictiones sunt ultiones pecca„torum suorum; unde & Job, & martyres, quæ passi sunt, „propter peccata sua passi sunt. „]

LXXI.

Homo ob sui conservationem potest se dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem, Marci 2. 28.

Notum est omnibus neminem 'posse eximi à lege, nisi ab eo, qui est auctor & conditor legis; nihilominùs si fides præsenti propositioni adhibeatur, quilibet erit constitutus judex in propria causa, ad seipsum à quacumque lege dispensandum, quoties de sua conservatione agetur; nulla enim est lex, quæ non sit in proprium hominis commodum, sivè mediaté, ut leges primæ Tabulæ, sivè immedia-

tè, quales ſunt illæ, quæ ad ſecundam Tabulam pertinent; ſicque homo adulterium perpetrare poterit ad ſui conſervationem, dum quis, niſi illud perpetret, ipſi mortem minabitur : ſicque SS. Urſula & ſociæ ejus poterant inculpatè virginitatem ſuam proſtituere ob vitæ conſervationem ; ſicque mulier poterit ſine peccato á jejunio quadrageſimali abſtinere in ſuæ pulchritudinis gratiam, ut viro ſuo placeat. Præclara ſanè Theologia moralis, ſed hucuſque illicita! niſi ita ſit debilis uxor, quin poſſit debitum marito reddere &c. videantur AA. graves in morali.

LXXII.

Nota Eccleſiæ Chriſtianæ eſt, quod ſit Catholica, comprehendens, & omnes angelos cœli, & omnes electos & juſtos terræ, & omnium ſeculorum. Hebr. 12. 22. 23. 24.

LXXIII.

Quid eſt Eccleſia, niſi cœtus filiorum Dei manentium in ejus ſinu, adoptatorum in Chriſto, ſubſiſtentium in ejus perſona, redemptorum ejus ſanguine, viventium ejus ſpiritu, agentium per ejus gratiam & expectantium gratiam futuri ſeculi. 2. Theſſal. 1. 1. 2.

LXXIV.

Eccleſia, ſive integer Chriſtus, Incarnatum Verbum habet, ut caput, omnes verò ſanctos, ut membra. 1. Timoth. 3. 16.

LXXV.

Ecclesia est unus solus homo, compositus ex pluribus membris, quorum Christus est caput, vita, subsistentia, & persona, unus solus Christus, compositus ex pluribus sanctis, quorum est sanctificator. Ephes. 2. 14. 15. 16.

LXXVI.

Nihil spatiosius Ecclesia Dei, quia omnes electi, & justi omnium seculorum illam componunt. Ephes. 2. 22.

LXXVII.

Qui non ducit vitam dignam Filio Dei, & membro Christi, cessat interius habere Deum pro Patre, & Christum pro Capite. 1. Joann. 2. 22.

LXXVIII.

Separatur quis à populo electo, cujus figura fuit populus Judaicus, & Caput est Jesus Christus, tam non vivendo secundum Evangelium, quàm non credendo Evangelio. Act. 3. 23.

Hæretico Joannis Hus, Wiclefi, Lutheri, & Calvini judicio Ecclesia Christi ex solis justis coadunata est, atque ita invisibilis est, quia justi Deo soli noti sunt; cur autem prædicti hæretici Ecclesiam ex solis sanctis conflatam esse volunt, nisi ut suas hæreses, suaque crimina ejus auctoritati subducant; si enim invisibilis est, quomodo severé, ut par est,

est, animadvertet in eos, eorumque errores anathemate feriet? quare fides docet, Ecclesiam Christi esse visibibilem; nam illa est visibilis, de qua Christus Dominus alloquens eum, qui fraterna charitate delinquentem corripit, *Dic Ecclesiæ*, si spretâ monitione tuâ à delicto non abstinet, certé Ecclesia debet esse nota & visibilis, ut ad eam justa de fratre incorrigibili querimonia deferatur. Nihilominùs prædictis propositionibus Quesnellus significat Ecclesiam esse invisibilem; & ex membris soli Deo cognitis compositam esse, quippe docet in 72da illam non complecti peccatores; in 73tia illam esse duntaxat justorum cœtum; in 74ta peccatores non esse Ecclesiæ membra; in 75ta Ecclesiam constare solummodó ex sanctis; in 76ta Ecclesiam é suo sinu peccatores expellere; nam si Quesnellus illos esse de Ecclesiæ gremio agnosceret, neque eos omitteret hac in propositione, in qua meminit omnium, quiá seculo fuerunt & sunt de corpore Ecclesiæ; in 77ma in qua docet Quesnellus, peccatorem non ampliùs habere pro suo Capite Christum; docet consequenter eundem peccatorem non esse partem illius corporis, cujus Christus est Caput; in 78va habetur, peccatorem non minùs esse ab Ecclesia seïunctum, quàm illum, qui á fide defecit.

Dices: Asserit Quesnellus omnes Christianos esse vera Ecclesiæ membra. Verum est, at Quesnellus vultne peccatores esse Christianos? Christianus pertinet ad novum fœdus, at Quesnellus docet in 8va propositione peccatores illius fœderis non esse participes. Christianus Christum ut suum legitimum Caput habet, at quesnellus in 77ma propositione declarat, quod peccator *cessat habere Christum pro Capite.*

LXXIX.

LXXIX.

Utile, & necessarium est omni tempore, omni locó, & omni personarum generi studere, & cognoscere spiritum, pietatem, & mysteria sacræ Scripturæ. I. *Corinth.* 14. 5.

LXXX.

Lectio sacræ Scripturæ est pro omnibus. Act. 8. 28.

LXXXI.

Obscuritas sancta verbi Dei, non est Laicis ratio dispensandi se ipsos ab ejus lectione. Act. 8. 31.

LXXXII.

Dies Dominicus à Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, & super omnia sanctarum Scripturarum. Damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere. Act. 15. 21.

LXXXIII.

Est illusio sibi persuadere, quod notitia mysteriorum Religionis non debeat communicari fœminis, lectione sacrorum librorum. Non ex fœminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia, ortus est Scripturarum abusus, & natæ sunt hæreses. Joann. 4. 26.

LXXXIV.

Abripere à Christianorum manibus novum Testamentum, seu eis illud clausum tenere, auferendo

eis

eis modum illud intelligendi, est Christi os obturare. Matth. 5. 2.

LXXXV.

Interdicere Christianis lectionem sacræ Scripturæ, præsertim Evangelii, est interdicere usum luminis filiis lucis, & facere, ut patiantur speciem quandam excommunicationis. Lucæ II. 33.

Falsitas præallatarum propositionum tam manifestè apparet, ut stupuerint sapientes ac docti, quomodò illarum damnatio rebellionem in tot hominum mentibus reperire potuerit. Nam falsum est lectionem Scripturæ esse omnibus necessariam, 1mo: quia hæc lectio majori fidelium parti impossibilis est, ex eo quod vel ignorent literas; vel libros sanctos non habeant; nec captum mentis ad illorum intelligentiam idoneum; vel illis per tempus & otium Scripturis studere non licet, quales sunt pauperes, famuli, ancillæ, rustici, artifices &c. Deinde Scripturæ lectio inservit obdurationi lectorum, si sint in peccato, ait Quesnellus in propositione 28va. Idem Quesnellus proposit. 38. vult 1mo: illud omne quod fit sine gratia esse peccatum, atque adeo omnes, qui sunt in peccato, de novo peccare Scipturam legendo. 2do: Non est necessarium omni tempore legere Scripturam, tum quia fideles alia habent officia necessariò & indispensabiliter adimplenda; tum quia respectu majoris partis fidelium conservatur Religio viâ instructionis, quam Pastores vivâ voce tradunt; tum quia si Scripturæ studium in omni loco necessarium esset, quilibet Christianus teneretur per vicos & plateas illam

illam legere. Equidem explicatio Scripturæ necessaria est omnibus; omnes enim tenentur scire, quæ ad fidem spectant, hanc verò notitiam non acquirunt, nisi ministerio explicationis, quâ Pastores, Doctores, Evangelistæ &c. illam fidelibus interpretantur & exponunt, quare Pastores &c. tenentur in Scripturæ studium incumbere, ut docere & arguere possint in doctrina sana; at si Scripturæ explicatio necessaria est omnibus, id est, si omnes tenentur Scripturæ explicationi adesse, non ita est de ejusdem lectione & studio; sic Scripturæ lectio Eunucho Candacis Reginæ, Act. 8. inutilis erat, illam enim non intelligebat, nec illi profuisset quidquam, nisi Philippus ad eam ipsi explicandam accurrisset.

Falsum est pariter necessariam esse sanctarum scripturarum lectionem ad diem Dominicum debito cultu celebrandum: etenim dies ille sacer non potest ritè sanctificari sine eo, quod necessum est ad illius sanctificationem: at dies Dominicus justa & convenienti veneratione coli potest absque adhibita Scripturarum lectione; nam Christianus, qui hac die divino officio interest; qui ad sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ dignè accedit; qui verbum Dei attentè audit; quique superstitem hujusce sacræ diei partem insumit in pauperum visitatione, & afflictorum consolatione, hic sane diem Dominicum sanctificat, nec tamen ullam Scripturæ lineam evolvit: sicque falsa profert Quesnellus, asserendo necessum esse diem Dominicum sanctificari lectione ac studio Scripturæ sanctæ. Equidem ejusmodi lectio utilis est ad sanctam hujusce diei celebritatem, sed non est medium ad illam sanctificationem necessarium, ut vult Quesnellus, alias qui legere non possunt

U diem

diem Dominicum non ſervarent; quamobrèm ſummus Pontifex damnando præfatam Queſnelli propoſitionem, non prohibet lectionem Scripturæ ſacræ die Dominico, nec intendit per illam venerandum diem illum non ſanctificari; ſed damnat duntaxat illam propoſitionem, propterea quod aſſerit, Scripturæ lectionem eſſe, ad diei Dominicæ ſanctificationem, neceſſariam. Nunquid initio naſcentis Chriſtianiſmi celebrabatur dies Dominica; nunquid ab aſcenſu Chriſti Domini in cœlum plures effluxere anni, priùſquam ederentur novi fœderis Scirpturæ, attamen Chriſtiani tunc diem Dominicum ſanctificabant, neque tamen extabat Scriptura ſacra.

Falſum quoque eſt, illuſionem eſſe, quod notitia myſteriorũ non debeat communicari fœminis lectione ſacrorum librorũ, nam ſtante hac Queſnelli propoſitione poterit fœmina, poterit & quilibet alter myſteriorum religionis ignarus, quacumque obveniente temporis circumſtantiâ & occaſione, legere Scripturam ſacram, ſive hæc ſit ab hæreticis, ſive à Catholicis linguæ gallicæ reddita; fœmina enim diſcernere neſcit quæ Scriptura ſit ad uſum hæreticorum, & quæ ad uſum Catholicorum; & conſequenter poterit citra ſcelus propinare hæreſim, quâ inſperſa ſunt Biblia hæreticorum; quia propoſitio queſnelli, quæ eſt univerſalis, non diſtinguit tempora, quibus fœmina poteſt Scripturam legere, & quibus debet ab illa abſtinere; at notum eſt, fœminam his in circumſtantiis peccare legendo Scripturam ſacram; igitur juremerito cenſurata eſt præfata 8va Queſnelli propoſitio. Deinde hæc propoſitio adimit poteſtatem ſuperioribus Eccleſiaſticis populos ſuo regimini commiſſos interdicendi lectione Scripturæ,

quando

quando id animarum ſaluti expedire judicaverint, quam poteſtatem eos habere, declaravit Pius IV. ad quem Concilium Trident. Seſſ. 25. remiſerat regulas quaſdam circá hanc materiam examinandas: in 4ta enim regula habetur, ſtandum eſſe judicio Epiſcoporum, & Inquiſitorum, qui poterunt, audito & conſulto prius Confeſſario, permittere lectionem Scripturæ ſacræ iis, quorum ſaluti noverint, hanc lectionem non fore nocivam.

At inquies: uſus invaluit apud Gallos, ut omnes, etiam fœminæ, Scripturam vernacula linguâ legant. Reſp. Hunc uſum ſupponere ſemper obedientiam debitam Eccleſiæ ſuperioribus, qui ejuſmodi uſum juxta ſalutis animarum exigentiam vel omninó abolere, vel ad tempus ſuſpendere poſſunt. Sic hæreticorum pravitate factum eſt, ut quædam Eccleſiæ Gallicanæ Scripturas ſacras è manibus fidelium ſubduxerint. Ita Concilium Toloſanum anni 1229. „in Albigenſium causâ celebratum, ait can. 14. [„Prohi„bemus etiam, ne libros veteris aut novi Teſtamenti lai„cis permitantur habere; niſi forté Pſalterium ſive Brevia„rium pro divinis officiis...... ſed ne præmiſſos libros ha„beant in vulgari tranſlatos arctiſſimé inhibemus.“] Ejuſdem Concilii exemplum ſecuta ſunt Calviniſmi ſuborientis tempore Concilia Narbonenſe, Cameracenſe, & Burdigalenſe, imó & ſacra Facultas Parſienſis ſuâ adversùs Eraſmum cenſura anni 1527. Vide *acta verbalia Cleri Gallicani* 1713. 1714. *pag.* 78. 79. Quibus planum eſt, falſas eſſe prædictas queſnelli propoſitiones, quibus vellet adimere ſuperioribus Eccleſiæ interdicendi lectionem ſacræ Scripturæ laicis & fœminis, rationabili causâ urgente, poteſtatem, qua interdum uſi ſunt.

 Quamo-

Quamobrem censura summi Pontificis in usum apud Gallos receptum non cadit, sed solùm in temeritatem Quesnelli, qui vulgatum apud omnes ferè Ecclesias aliarum nationum morem damnat; (in more enim apud illas positum est, ut laici abstineant á lectione Scripturæ sacræ linguâ vernacula:) quique prohibere vellet, ne Episcopi nostri huicce consuetudini, data occasione, se conforment ad compescendos abusus, qui ex intempestiva laicorum & fœminarum licentiâ circa Scripturarũ lectionem enasci possunt. Neque exemplum, quod Quesnellus ex muliere Samaritana profert, quidquam favet prædictis propositionibus, imò contrarium insinuat. Etenim quandonam ad fidem conversa est hæc mulier, an legendo Scripturas, nonné potiùs audiendo Christum Scripturas exponentem; quo facto constat fœminis incumbere curam quærendæ salutis, non in Scripturarum lectione, sed in audiendis Jesu Christi vicariis, qui eas exponunt? Tandem falsum est, *interdicere usum luminis filius lucis*, illis interdicendo usum Scripturæ sacræ; quippé laici & fœminæ habent Pastores, qui testante Christo, sunt *lux mundi supra candelabrum* positi, *ut luceant coram hominibus &c.*

LXXXVI.

Eripere simplici populo hoc solatium, jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, est usus contrarius praxi Apostolicæ, & intentioni Dei. I. *Corinth.* 14. 16.

Quod laici solatium habeant jungendi vocem suam totius Ecclesiæ voci ad decantandas Dei laudes in communi, usus est apud omnes receptus, nec illud moleste fert Quesnellus in sua propositione.

Solati-

Solatium ergo, quod laicis eripi conqueritur, in eo repositum est, quod vellet, ut laici vocem suam voci Sacerdotis missam celebrantis jungerent, quod hisce quibusdam, præcedentibus lineis aperte significat.

Erudiendi sunt fideles, ut se laudibus, precibus & sacrificio Ecclesiæ jungant.	Il faut apprendre aux fideles à s'unir... aux loüanges, aux prieres, & au sacrifice de l'Eglise.

Jam veró fideles non possunt vocem suam Presbyteri celebrantis voci jungere, quin alta voce Canonis & verba consecrationis proferat, quod tamen sic pronunciari sub anathemate vetat Concilium Trident. Sess. 22. can. 9. *Si quis dixerit Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissâ voce pars Canonis & verba Consecrationis proferuntur, damnandum esse..... anathema sit.* Hunc ritum suggillat Quesnellus, vultque Sacerdotem teneri ad Missam clara & erecta voce celebrandam, quia, inquit.

Æquum est, ut pueri audiant id, quod eorum Materfacit, & petit pro eis.	Il est juste, que les enfans entendent ce que leur Mere demande, & fait pour eux.

At pueri nec audiunt, nec intelligunt nisi celebrans voce concitatâ rem sacram peragat, quare cum Quesnellus audeat carpere hunc Romanæ Ecclesiæ ritum proferendi submissa voce verba Canonis & quæ nominantur *secretè* tanquam ritum praxi Apostolicæ & intentioni Dei contrarium, meritó illius propositio à sancta Sede proscripta est.

Certè Janſeniani, qui Calvinianorū inſtar, erecta voce celebrant (hic caracter Presbyterorum Eccleſiæ Janſenianæ à Presbyteris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ in Hollandia eſt diſtinctivus) omnes Catholicos anathemati à Concilio Trident. ſibi dicto ſecum ſubjicere vellent.

Dices: S. Paulus 1. Cor. cap. 14. ait: *cæterùm ſi benedixeris ſpiritu, qui ſupplet locum idiotæ, quomodò dicet Amen. ſuper tuam benedictionem? quoniam quid dicas, neſcit &c.* At laici ſaltem plures linguam Latinam neſciunt; quomodò ergò dicent *Amen*, contendit Apoſtolus loquendum eſſe in Eccleſia voce omnibus intelligibili.

Reſp. 1mo: Eo loci S. Paulum loqui de eis, qui ſolùm ſpiritus, non corporis ore Deum laudant, quique ab aliis cognoſci nequeunt, an orent, necnon. 2do: Loquitur de idiotis, quibus ignotum eſt, an Sacerdotes in Eccleſia orent & pſallant Deo, nec conſequenter certò reſpondere poſſunt *Amen*. At nullus eſt Chriſtianus quantumvis bardus, qui neſciat nihil niſi laudes Deo in Eccleſia decantari, & orationes fieri; ac proinde omnes certò reſpondere poſſunt *Amen*. 3tio: Apoſtolus ibidem monet, quod ſi linguâ vulgari non loquantur Presbyteri in Eccleſia, unus illorum aliis exponat & interpretetur; quod præſtant Paſtores, dum myſteria populis exponunt.

LXXXVII.

Modus plenus ſapientiâ, lumine & charitate, eſt dare animabus tempus portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati; petendi ſpiritum pœnitentiæ &

& contritionis ; & incipiendi , ad minùs satisface-re justitiæ Dei , *antequàm reconcilientur. Act.* 9. 9.

LXXXVIII.

Ignoramus quid sit peccatum , & vera pœnitentia , quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum , quibus nos peccatum spoliavit , & detrectamus separationis istius ferre confusionem. Lucæ , 17. 11. 12.

Præfatæ propositiones jam damnatæ fuerunt 1mo: anno 1428. á Sixto IV. qui censurâ notavit illam propositionem, quæ asserebat pœnitentem non esse, nisi peractâ pœnitentiâ sibi in sacramento injuncta, absolvendum, quam damnationem laudavit sacra Facultas Parisiensis in censura, qua inussit anno 1641. librum inscriptum *Le pacifique veritable.* 2do: ab Alexandro VIII. qui sequentem propositionem feriit: *per illam praxim mox absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus*, id tamen non obest, quin sacramenti Pœnitentiæ minister debeat absolutionem differre iis, qui in peccati alicujus mortalis consuetudine viventes se ab illa expedire minimè satagunt; sancta enim Sedes non intendit propositiones Quesnelli damnando, approbare modum agendi illorum confessariorum indiscriminatim absolventium omnes peccatores, etiam illos qui in peccato assuetudine confirmato omnem se emendandi curam abijciunt: sed prænominatas proscriptiones labefactavit , qua universales sunt , & sese ad differendam cujuscumque peccati absolutionem ostendunt.

Præte-

Prætereá si istæ propositiones aliqua veritate niterent, Ecclesia peccatorem, cui absolutionem differret, ad peccata de novo committenda astringeret; quia juxta 28 pro- Quesnelli remissio peccatorum est prima gratia, quam Deus confert peccatori: hæc autem remissio non obtinetur, nisi per absolutionem, quare peccator ante absolutionem non est in gratia: at omnia opera, quæ fiunt sine gratia sunt ex 28. propositione Quesnelli peccata; igitur omnia opera quæ præstaret peccator ante absolutionem, ut flere actus pravos; castigarè corpus; cupidiates coercere; proximam Deum offendendi occasionem devitare; confiteri scelera, & cætera quæ pænitens in suorum criminum ultionem amplecteretur, nova essent peccata, quippè quæ ante remissionem peccatorum, quæ est prima gratia, fierent: quod veró fit sine gratia peccatum est, quapropter Ecclesia peccatorem, cui differet absolutionem, ad peccandum astringeret, quod profectò asserere blasphemum est.

LXXXIX.

Quartus decimus gradus conversionis peccatoris est, quod cum sit jam reconciliatus, habet jus assistendi sacrificio Ecclesiæ. Lucæ 15. 23.

Mirum non est, quod sic loquatur Quesnellus; docuit enim supra, ut vidimus, peccatores non esse amplius de Ecclesia, nec ad novum fœdus pertinere. Ex illo hæretico principio consequens est, peccatorem ante reconciliationem non esse de Ecclesia, ac proinde jus assistendi Missæ sacrificio, ei non competere; quæ consecutio hæretica est, sicut & principium, cujus est sequela. Profectò si soli justi mysteriis Religionis præsentes

tes

tes ſe ſiſtere deberent, deſertæ remanerent Eccleſiæ, nam hi ſolúm, qui expertes peccati ſunt, illas ingredi poſſent; at quis certus eſt, eſſe ſine peccato? *nemo ſcit, an odio vel amore dignus ſit*: ait Scriptura. Unde Concilium Trident. Seſſ. 22. permittit omnibus peccatoribus intereſſe ſacris, niſi ſint publicé & notorié criminoſi.

XC.

Eccleſia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Paſtores de conſenſu, ſaltem præſumpto, totius corporis. Matth. 18. 17.

Juxta iſtius propoſitionis tenorem, primi Paſtores Eccleſiæ accipiunt á corpore ſeu á fidelibus poteſtatem excommunicandi; nec illam exercere poſſunt, *niſi de conſenſu, ſaltem præſumpto*, fidelium etiam laicorum, ac proinde illa excommunicatio, quantumvis ſit ſacris Canonibus conformis, reputabitur injuſta, quoties Corpus fidelium; aut ſaltem ſanior pars huic non conſenſerit; juſta veró cenſebitur, quantúmvis iiſdem Canonibus ſit abſona, quoties illi fideles conſenſerint. Hæc ſané doctrina falſa & erronea eſt ex omni parte; imo: Chriſtus Dominus, qui S. Petro, aliiſque Apoſtolis, & in eorum perſona Epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſoribus immediaté contulit poteſtatem excommunicandi, primos hoſce Paſtores populis ſibi commiſſis non ſubjecit in hujus poteſtatis exercitio, quos tamen ſubjeciſſet, ſi jus illud á Corpore Eccleſiæ ſeu á fidelibus acciperent. 2do: Hæc propoſitio tendit ad innovationem Richeriſmi damnati Romæ, & in Gallia ſub regni Ludovici XIII. exordium; nam pravum illud ſyſtema in hoc præcipué nitebatur, quod negaret Chriſtum Dominum immediaté

tradidiſſe S. Petro, Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus poteſtatem ligandi, & ſolvendi; ſed illam immediaté collatam fuiſſe communitati & Corpori fidelium, á quo S. Petrus, Apoſtoli, & eorum ſucceſſores illam acceperunt, & cujus ſunt inſtrumenta & miniſtri. Nihilominùs proſcriptum illud Richeriſmi ſyſtema reſtaurare atq; adoptare ſe demonſtrant Queſnellus, ejuſque ſodales Janſeniani, ut conſtat, tum ex Epiſtola San-Bovii ſcripta, anno 1653. & quæ legitur in Diario de S. Amour, his verbis Gallicis.

Memineris, me tibi jam pridem ſignificaſſe, quod ex hac deciſione quinque propoſitionum *ſcil. inovatio Richeriſmi in Gallia pendebit.*

Souvenez vous, que je vous ay mandé, il y a longtems, que de cette decifion *touchant les cinq propoſitions*, dependra le rénouvellement du Richeriſme en France.

Tum ex libro ſub titulo *Poteſtatis Eccleſiaſticæ & Politicæ &c.* (in quo Richerius ſyſtema ſuum ſtabilit) qui denuó ab aliquibus annis typis mandatus eſt, curâ diſcipulorum Janſenii &c.

XCI.

Excommunicationis injuſtæ metus, nunquam debet nos impedire ab implendo debito noſtro. Nunquam eximus ab Eccleſia etiam, quando hominum nequitiâ videmur ab ea expulſi, quando Deo, Jeſu Chriſto, atqué ipſi Eccleſiæ per charitatem affixi ſumus. Joann. 9. 22. 23.

Quæſtio

Quæſtio hac in propoſitione non movetur, imo: de excommunicatione injuſtâ, cognita, & juridicè probata, ut injuſta, & quæ procedit ex errore intolerabili: Notum eſt enim omnibus talem excommunicationem non eſſe legitimum noſtræ formidinis objectum; ſed quæſtio movetur de excomunicatione, quam particularis exiſtimat eſſe injuſtam, quamvis ſuperior illam eſſe juſtam arbitretur. 2do: Non agitur etiam de debito ſeu officio evidenti, eſſentiali & indiſpenſabili, quod omnibus, ut tale, cognitum eſt; ſic homo debet, omni excommunicatione poſtpoſita obedire præceptis legis naturæ, & divinæ, ſed agitur de debito ſeu officio dubio, quod particularis homo putat eſſe verum & reale officium á ſe neceſſariò implendum, ſed quod ejus ſuperior exiſtimat non eſſe tale, & quod idcirco prohibet adimpleri ſub excommunicationis pœna: quo in caſu officium cedere debet præcepto prohibitivo, etiam injuſto, quando nempè injuſtitia præcepti non eſt nota & evidens, nec oritur ex errore intolerabili. Quia in dubiis præſumptio ſemper ſtat pro ſuperiore, nec ei inferiores obedientiam denegare debent, donec judicio juridico ſublatum ſit dubium; undé qui hoc in caſu ſuo officio fungi vellet, verè incurreret excommunicationem, quam obſervare tenetur, licèt ſit injuſtæ prohibitioni annexa; tunc enim locum habet hæc regula juris ex S. Gregorio, *Homil.* 26. [„ Utrùm juſtè, an injuſtè obliget Paſtor, Paſtoris tamen ſententia gregi timenda eſt ...: Is, qui ſub manu Paſtoris eſt, ligari timeat " vel injuſtè. "] Itaquè ut propoſitio Queſnelli vera ſit, reſtringi debet hoc modo, *Metus excommunicationis injuſtæ, nunquám debet nos impedire ab implendo debito noſtro*, quando excommu-

communicationis injustitia manifestata est, aut oritur ex errore intolerabili, aut quando agitur de debito seu officio essentiali, & absoluté indispensabili; sed quia præfatæ propositioni desunt hujusmodi restrictiones, idcircò propositio falsa est, quippé quæ est universalis, & se extendit ad omnes injustas excommunicationes, & ad omne debiti genus. Quaré si hæc propositio universaliter vera esset, *metus injustæ excommunicationis* deberet nos avertere *ab implendo* legis naturæ, & legis divinæ præcepto.

Cur ergò Quesnellus præsentem protulit propositionem? Respondeo, non alia ratione sic locutum esse, nisi ut consodales Jansenianos in sua pertinacia, suaque adversùs Ecclesiam rebellione firmaret; nam falsó putat omnes excommunicationes, quas summi Pontifices contra ipsum, aliosque ejus furfuris homines intorquent, esse injustas, tum quia arbitratur Ecclesiæ Pastores non accipere excommunicandi potestatem, nisi á Corpore Ecclesiæ, ut diximus, nec illam exercendi, nisi de consensu ejusdem Corporis, aut saltém illustrioris, aut sanioris partis; cùm autem Janseniani autument, se esse puriorem Ecclesiæ portionem, nec consenserint excommunicationibus contra seipsos emissis, idcircó illas esse injustas existimant; tum quia sibi fingunt, quod non subscribere formulario Alexandri VII. sit officium necessarió à se implendum, & quod excommunicatio huic recusationi illigata, sit injusta; sicqué sub præsentis Quesnellianæ propositionis tegmine tuti ac securi vitam schismaticam traducunt Janseniani.

XCII.

Pati potiùs in pace excommunicationem & anathema inju-

injustum, quàm prodere veritatem, est imitari S. Paulum: tantum abest, ut sit erigere se contra auctoritatem, aut scindere unitatem. Rom. 9. 3.

Quæritur à Quesnello, quo in loco & à quo S. Paulum viderit excommunicatum? exprobratur Jansenianis, quod sint Ecclesiæ auctoritati rebelles, & quod constitutionibus Apostolicis inobedientes scindant unitatem, reclamantibus ejusdem Ecclesiæ anathematibus.

Respondet Quesnellus id ita non esse, sed se aliosque Jansenianos imitari S. Paulum, sufferendo potiùs *in pace anathema injustum, quàm prodere veritatem*: Janseniani autem proderent veritatem, ait Quesnellus, si doctrinam Jansenii condemnarent, & formulario Alexandri VII. sine ulla restrictione subsignarent. Egregia sané pax! ubinàm subditus contra Principem rebellis pacem servat? ubi filius matri inobediens domesticam tranquillitatem custodit. Quesnellus jactat se subditum esse Ecclesiæ, illiusque esse filium; hic tamen subditus rebellat in Ecclesiam; hic filius est matri suæ inobediens; quomodò ergó gloriari potest, se pacem & tranquillitatem in sua rebellione ac inobedientia reperire, quam certè nemo, nisi *filius per ditionis* invenire valet.

XCIII.

Jesus quandoquè sanat vulnera, quæ præceps primorum Pastorum festinatio infligit, sine ipsius mandato; Jesus restituit, quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt. Joann. 18. 11.

 Mira

Mira astutia pollet Quesnellus adversandos Scripturæ sacræ textus, eosque in Jansenianæ hæreseos gratiam & patrocinium inflectendos, id certò comprobant propositiones jam expositæ, sed clarus in præsenti, quæ est XCIII. apparet; hæc ex 18. cap. S. Joann. v. 11. ubi cum Petrus amputasset aurem Malcho, Christus Dominus dixit: *remitte gladium in vaginam*; indè quesnellus sumit ansam conferendi Jansenianos Malcho vulnerato, & summum Pontificem Jansenianos excommunicantem, S. Petro Malchum percutienti; quare sicut Petrus inconsideratè Malchum percussit, sic summus Pontifex imprudenter Jansenianos excommunicat, verùm quemadmodùm Christus sanavit vulnus, quod Petrus inconsultè Malcho inflixit, sic interiùs sanat Jansenianos, quos summus Pontifex imprudenti excommunicationis gladio percellit: O lepida comparatio! qui in animum sibi induceret, quemlibet Jansenianum esse Malchum, cui S. Pontifex ense censorio amputat auriculam?

XCIV.

Nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerit ejus inimicis, quàm videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium, & foveri divisiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores. Rom. 14. 16.

XCV.

Veritates eò devenerunt, ut sint lingua quasi peregrina plerisque Christianis, & modus eas prædicandi, est veluti idioma incognitum, adeò remotus

tus est á simplicitate Apostolorum, & supra communem captum fidelium; nequè satis advertitur, quod hic defectus sit unum ex signis maximè sensibilibus senectutis Ecclesiæ, & iræ Dei in filios suos. 1. Corinth. 14. 21.

XCVI.

Deus permittit, ut omnes Potestatos sint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit, nisi divinæ gratiæ. Act. 17. 8.

XCVII.

Nimis sæpè contingit membra illa, quæ magis sanctè, ac magis strictè unita Ecclesiæ sunt, respici atquè tractari tanquàm indigna, ut sint Ecclesia, vel tanquam ab eâ separata: sed justus vivit ex fide, & non ex opinione hominum. Act. 4. 11.

XCVIII.

Status persecutionis & pœnarum, quos quis tolerat, tanquàm hæreticus, flagitiosus, & impius, ultima plerumque probatio est, & maximé meritoria, utpoté quæ facit hominem magis conformem Jesu Christo. Lucæ. 22. 37.

XCIX.

Pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoscere se esse deceptum, mutant quo-

quotidie , quod multos in odorem mortis , id quod Deus in sua Ecclesia posuit , ut in ea esset odor vitæ ; v. g. bonos libros , instructiones , sancta exempla &c. 2. Corinth. 2. 16.

C.

Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus , persequendo veritatem , ejusqué discipulos. Tempus hoc advenit .... Haberi & tractari à Religionis Ministris , tanquàm impium , & indignum omni commerciô cum Deo, tanquàm membrum putridum , capax corrumpendi omnia in societate sanctorum , est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Frustrà quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate , & zelo quodam Religionis, persequendo flamma , ferroquè viros probos , si propria passione est excœcatus , aut abreptus alienâ , propterea quòd nihil vult examinare. Frequenter credimus sacrificare Deo impium & sacrificamus diabolo Dei servum. Joann. 16. 2.

CI.

Nihil spiritus Dei & doctrinæ Jesu Christi magis opponitur, quàm communia facere juramenta in Ecclesia ; quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis , & idiotis, & efficere , ut nomen & veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum. Matth. 5. 37.

Sex

Sex ex mox recensitis propositionibus continent gemitus & expostulationes Quesnelli, ejusqué condiscipulorum contra Jansenismi persecutores. In propositione XCIV. significat Ecclesiam esse scandalo hæreticis & aliis ejusdem sponsæ Christi hostibus; atque adeó non esse ampliús sanctam *sine ruga, sine macula &c.* quid ita? ob tria. 1mo: *quia supra fidem fidelium dominatum exercet*, id est, quia non relinquit quesnello, aliisque Jansenianis immoderatam suos errores, suasque impietates spargendi licentiam. 2do: quia *fovet divisiones*, atque ita recessit ab illa spiritus Domini, qui est spiritus charitatis & pacis. 3tio: Res ob quas fovet dissensiones, *nec fidem nec mores lædunt*, quæ sunt istæ res? sunt centum & una Quesnelli propositiones temerariæ, scandalosæ, impiæ, falsæ, erroneæ, hæreticæ, & religionis dogmata ac morum regulas ab imis fundamentis evertentes: hæc sunt res nihili & nugæ, de quibus Quesnellus cum Pascal modicæ religionis viro asserit Ecclesiam litigare. Sed ô Quesnelle, si res istæ sunt levioris momenti! quare in his Ecclesiæ non obtemperas? si in minimo infidelis es, nonné in majori infidelis eris?

2do: Propositio XCV. docet veritates fidei ignotas esse Ecclesiæ ut linguam peregrinam; atque adeo non esse ampliús columnam veritatis adversùs quam portæ inferi seu erroris & ignorantiæ non prævalebunt. Docet modum, quo nunc veritas Catholica annutiatur, esse sermonem ignotum & visibile signum senectutis Ecclesiæ seu vergentis ad finem, *quod enim senescit*, ait S. Paulus Hebr. 8. *propè interitum est*: at de fide est Ecclesiam esse indefectibilem: jam verò quod senescit, quod ad finem tendit, defectibile est; igitur hæc propositio hæreticis favet.

3tio: Propositio XCVI. declarat omnes potestates sive Ecclesiasticas, sive laicas esse contrarias prædicatoribus veritatis. Qui sunt isti prædicatores veritatis? Janseniani, id est, mendaciorum, hæreseon & impietatum satores. Quæ sunt potestates contrariæ Jansenianæ hæreseos prædicatoribus? summus Pontifex Vicarius Jesu Christi; Episcopi Apostolorum successores; Rex Christianissimus, Religionis Catholicæ inter omnes Reges ardentissimus protector.

4to: Quænam sunt membra, quæ Quesnellus in XCVII. propositione vult esse tam strictè unita Ecclesiæ? sunt Janseniani: sed cui Ecclesiæ unita sunt; an Romanæ? nequaquàm, sancta enim ac Catholica ejus dogmata á 70. annis debellant, quare illos non ut filios, vel si filios, nonnisi ut filios iniquitatis agnoscit, cui ergó Ecclesiæ uniti sunt? Calvinianæ.

5to: Sola Ecclesia declarat hominem hæreticum esse ac proinde castigandum ut talem: sed Ecclesia Romana, quæ est sola vera Ecclesia proscribit Jansenianos ut veros hæreticos & ut tales censorio gladio illos perstringit & castigat; attamen illa castigatio, quidquid obganniat Quesnellus in XCVIII. propositione, non est Jansenianorum probatio maximè meritoria, nec illos Jesu Christo magis conformes efficit, quia nemo conformis est Jesu Christo, nisi qui ejus mandatis obtemperat: at mandatum Christi est audire Ecclesiam: *Si quis Ecclesiam non audit, sit tibi sicut ethnicus &c.* Sed neque Quesnellus, neque ejus consodales Ecclesiam audiunt, ut compertum est; igitur longè á Jesu Christo recedunt; ac proinde persecutiones, quas justè patiuntur eis in reprobationem cedunt.

6to: Propositio XCIX. significat pervicaciam, præventi-

ventionem & obstinationem impedire, quominùs Ecclesia seu Pastores Ecclesiæ, qui impiam Jansenii doctrinam, quam Quesnellus exsucitavit, Apostolico gladio ulceraverunt, agnoscant se hac in damnatione fuisse deceptos. Quare si audiatur Quesnellus, erravit Ecclesia condemnando quinque propositiones Jansenii, & anathemati subjiciendo centum & unam ejusdem Quesnelli propositiones; & quod pejus est, eandem Ecclesiam errorem suum agnoscere, eamque recantare nolle. Profectò solus hæreticus sic de Ecclesia loqui audet.

7mo: Verba propositionis 100mæ nihil nobis exhibent, nisi censuram crudelem eorum, quæ Ecclesia contra Jansenii, ejusque discipulorum doctrinam præstitit. His enim si fidem habeamus, Ecclesiæ Pastores, sunt furibundi veritatis & ejus defensorum persecutores. Qui sunt defensores veritatis? soli Janseniani. 1mo: Nam veritatis depositum, inquiunt, non est ampliùs in Ecclesiæ Rom. gremio. 2do: *Religionis* Catholicæ *ministri tractant & habent* Jansenianos, *tanquàm impios, & indignos omni commercio cum Deo, tanquàm membra putrida &c.* Quæ injustitia! quæ iniquitas! tam tyrannicè agere cum iis, qui soli sancti sunt; soli docti; soli, qui aliis doctrinâ & exemplo præsunt. 3tio: Persecutio, qua Pastores Ecclesiæ affligunt pios ejusmodi homines, est illis *mors corporis, mors terribilior.* O crudelitas barbara excommunicationem intorquere in hosce pios Ecclesiæ hostes & in rebelles Jansenianorum filias, nempè in Moniales Portùs Regii! 4to: Pastores Ecclesiæ *sibi blandiuntur de suarum intentionum puritate, & zelo quodam Religionis, persequendo flamma ferroque viros probos.* O cœcus furor! 5to: Credunt, se Deo

 impios

impios sacrificare, attamen veri sunt Dei servi, quos immolant; quæ impietas! Hæ sunt benedictiones, quas Pastoribus Ecclesiæ impertit Quesnellus, gloriatur tamen se pacificè & patienter tolerare persecutiones, quas justé injustâ suâ rebellione promeruit; quæ pax! quæ patientia in injuriis, probris, dicteriis, calumniis & imprecationibus, quibus impotenter debacchatur in Ecclesiam!

Denique Quesnellus in ultima propositione acriter invehitur in juramentum, quod præstant, qui formulario subscribunt; nullus tamen datur tam vehementi insectationi locus, nam juramentum est legitimus religionis actus, quando veritas, æquitas & justitia occurrunt: *Jurabis... in veritate & in judicio & in justitia.* Jerem. 4. Undè usus juramentorum probatur non paucis Scripturæ veteris & novi Testamenti exemplis, necnon Conciliorum praxi, ut dictum est supra, occasione formulæ Alexandri VII.; quare ergò conqueritur Quesnellus: ratio est in promptu, imo: Juramentum, quod subscriptione formularii emittitur, secernit Catholicos ab hæreticis Jansenianis; cum autem optaret Quesnellus nec ut hæreticus haberi, nec tamen Jansenianam hæresim exuere, hinc in juramentum & formularium hostiliter deblaterat. 2do: Janseniani duplicis sunt sortis, alii quos tenet adhuc aliquis religionis amor, hi malunt extorres patria vivere, quàm subscribere formulario, quid ita? quia nempè putant quinque propositiones Jansenii esse veras, qui autem subscribunt damnationi propositionum, quas veras esse arbitrantur, perjurium faciunt. Unde in alienas regiones sese recipere potiùs eligunt, quàm talem subscriptionem præbere.

Alii,

Alii, qui ut nullo ſunt ſcrupulo ſtimulati ita ſe paratos ſemper eſſe exhibent ad prodendam veritatem, ad damnandam cum juramento doctrinam, quam ut veram S. Pauli & S. Auguſtini doctrinam reſpiciunt & tuentur, quàmvis ab Eccleſia reprobata ſit ut hæretica, inde fit ut quas ſpeculativé execrantur in aliis reſtrictiones mentales, has in ſeipſis p acticè comprobant.

Certè iſtius caracteris homines, qui ut liberiùs peccent, ad omnem conſcientiæ vocem obſurdeſcunt, illi ſunt quibus, reclamante Queſnello, formularii ſubſcriptio occaſionem ſuppeditat, perjuria multiplicandi, tendendi laqueos infirmis & idiotis; credunt ergo Janſenii diſcipuli perjurium committere formularii ſubſcriptione, omnes tamen aut ferè omnes ſubſcribunt; ac proinde ferè omnes Janſeniani perjuri ſunt & ita infirmi, ut exteriùs damnent errores, quos veritates eſſe interiùs putant, ita ignari ut veritatem prodere poſſe arbitrentur; ita perjuri, quòd efficiant, *ut nomen & veritas Dei, aliquando deſerviant conſilio impiorum.*

Quæ mutatio! ubique buccinant & vociferantur Janſeniani ſe eſſe defenſores veritatis: attamen juxta Queſnellum, qui ut veritatis præcones ſe jactant, ſubſcribendo formulario fiunt rebelles, perjuri, infirmi, idiotæ, ignari, impii, ſicque *mentita eſt iniquitas ſibi.* Sunt quidem fortes libellis famoſis; potentes aſtutiâ & duplicitate, ſed imbelles & ignavi, ubi imminet aliquod ſuæ etiam modiciſſimæ utilitati periculum; ubique perſonat apud illos illud nomen veritas, ſed veritatem juramento abnegant, mox ut ſua res agitur, familiare enim eſt illis hoc ſequens cupiditatis princi-

 pium

pium; *vincit proprium commodum veritatem.*

Ex his, quæ hucusque dicta sunt, perspicuum est, nullam esse ex centum & una propositionibus Quesnelli, quæ non sit aliquo veneno infecta, ac proinde quæ non fuerit justo anathemate à Clemente XI. percussa, his verbis.

Omnes & singulas propositiones præinsertas, tanquam falsas, captiosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, perniciosas, temerarias, Ecclesiæ & ejus praxi injuriosas, neque in Ecclesiam solùm, sed etiam in Potestates seculi contumeliosas, seditiosas, blasphemas, suspectas de hæresi, ac hæresim ipsam sapientes, necnon hæreticis, & hæresibus ac etiam schismati faventes, erroneas, hæresi proximas, pluries damnatas, ac demûm etiam hæreticas, variasque hæreses, & potissimûm illas, quæ in famosis, Iansenii propositionibus, & quidem in eo sensu, in quo hæ damnatæ fuerunt, acceptis, continentur, manifesté innovantes, respectivè, hac nostrâ perpetuò valitura Constitutione declaramus, damnamus, & reprobamus.

Præfatam Constitutionem sine ulla limitatione & restrictione acceptaverunt Præsules Gallicani, die 23tia Januarii, 1714. in cujus rei fidem Epistolam SS. Patri Clementi XI. Pontifici Max. scripserunt.

BEA-

BEATISSIME PATER,

„...... Nos Majorum nostrorum exempla secuti, atque eo„dem, quo illi in Apostolicam Sedem studio flagrantes, San„ctitatis vestræ postremam Constitutionem consimili obse„quio, ac veneratione amplexi sumus.

„ Neque veró deinceps officio nostro deerimus, ut ab „omnibus, quos divina Providentia curæ nostræ commisit, „pari animo ac fide excipiatur.

„ Istud autem ut certius assequeremur, in iisdem no„strisComitiis decrevimus ederePastoralis documenti com„munem quandam formulam; hæc enim ratio utilior & „expeditior nobis visa est, ut non modó evellantur, & pro„fligentur errores justâ censurâ non ita pridem notati; sed „ut etiam de iisdem propositionibus, quæ illos continent, „disputandi ac litigandi rixarum ac novitatum avidis animis, „omnis tollatur occasio.

„ Erit igitur Pastoralis isthæc institutio velut præsidii „ac munimenti loco posita adversùs alienas á veró sensu „Pontificiæ Constitutionis interpretationes; quibus magnos & uberes, quos omnis Ecclesia certó sperat, imó jam per„ cipit ex Apostolico Decreto fructus, interturbare vel „pessumdare iniqui homines irrito conatu moliuntur.

Nobis quoque cura ac studium fuit generalibus li„teris adhortari reliquos hujus regni Archiepiscopos atque Episcopos, ut Pastorale nobis editum documentum velint adsciscere, illudque in sua Diœcesi jure suo promulgare. „Omnino enim æquum, imó & necessarium videtur, ut qui „eadem planè sentiunt, & in unam eandemque Romanæ Ecclesiæ fidem, indivulso inter se vinculo concordes cohæ-

rescunt,

refcunt, eandem ipfi palàm loquantur & dicant &c.

Hanc eandem Bullam PP. Cartufienfes in fuo Conventu Generali in Gallia celebrato unanimiter fubfcripſerunt. Item tota Congregatio Miffionis, quæ eſt de corpore Cleri Sæcularis juxta Bullam Erectionis VRBANI. VIII. in Comitiis suis Generalibus Parifiis habitis, An. 1724. menſe Auguſtô facroſanctè eandem Conſtitutionem fubfcripfit cum fuo Reverendiffimo Generali, in hanc, ut fequitur formam: *Declarámus, quòd cum profundiffimâ reverentiâ, ac perfecta cordis & animi fubmiffione, nos fubiicimus omnibus Bullis Summorum Ponficum contra Librum & doctrinam Janfenii editis; & fpeciatim Bullæ CLEMENTIS XI. quæ incipit:* Vineam Domini Sabbahot; *ac ejus Conftitutioni:* Vnigenitus Dei Filius; *adeoquè acquiescimus nofque humiliter fubiicimus condemnationi Libri, cui titulus eft: Reflexion Morales & centum unius propofitionum ex eo excerptarum, eâdem forma, ac fub iisdem qualificationibus, quibus eas damnavit fel. mem. CLEMENS XI. in dicta Conftitutione.*

Quo facto, omnes etiam in individuo Sacerdotes & Clerici dictæ Congregationis toto orbe diffufi, in omnibus non folum Europæ Provinciis ac Regnis, fed & aliis Orbis partibus, Misfionibus & converfioni animarum pretiosô Chrifti Sangvine redemptarum ad Fidem Orthodoxam Romano-Catholicam, ibidem addicti, fefe fubfcripferunt; neque ullus in hoc gremio Ecclefiafticorum reperiri poteft, qui refragari audeat, quin tanquàm membrum putridum de fuo

ſuo corpore myſtico, alias illicò abſcinderetur, juxta monitum Apoſtoli. Magiſtram quippe totius Chriſtianitatis, Firmamentum & Columnam Veritatis agnoſcit Congregatio dicta, Sanctam Romanam Eccleſiam, quæ unica eſt, toto orbe prædicata, in definiendis dogmatibus fidei, & morum; quam ſi quis non audierit, eſſe debeat, ſicut ethnicus & publicanus, definiente prima eâquè infallibili Veritate CHRISTO IESU noviſſimè Annò eodem 1724. menſe Auguſtó ſacra Facultas Pariſienſis Sorbonica Decretum edidit, nullum ad ſocietatem Academiæ Sorbonæ admitti, niſi ſeſe ſubſcribat dictæ Conſtitutioni Vnigenitus. quod Chriſtianiſſimus Rex Galliarum, LVDOVICVS XV. ſuo diplomate confirmavit.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Obiic. 1mo: Præfata Conſtitutio *Vnigenitus &c.* non fuit recepta ab omnibus Epiſcopis. 2do: Qui illam receperunt non nudè, ſimpliciter, & ſine reſtrictione, ſed relativè ad explicationes quas dederunt, acceptavêre. 3tio: Hæc Conſtitutio damnat propoſitiones, quæ iiſdem prorſùs verbis leguntur apud SS. Patres. 4to: adimit libertatem Scholis Catholicis ſuas opiniones hucuſque licitas defendendi; unde auctor Epiſtolæ ad Epiſcopum pag. 14. 15. ſcribit gallicè:

Expedit, ut conſulantur Theologi, qui perfectè norunt diverſas Scholarum opiniones, ut ſignificent, utrum Conſtitutio nihil

il eſt à propos de conſulter auſſi des perſonnes, qui ſcachent parfaitement le ſentiment des differentes Ecoles

hiſce opinionibus contrarium definierit. Opus eſſet eruditis inter Thomiſtas. CONDEMNATIO, QUÆ LÆDERET OPINIONES IN SCHOLIS CATHOLICIS VULGATAS, REJICIENDA ESSET.

afin de ſçavoir d'eux ce qu'ils trouveront icy de contraire à leurs opinions. D'excellents Thomiſtes ſeront neceſſaires. UNE CONDAMNATION, QUI IROIT FORMELLEMENT CONTRE DES OPINIONS RECEUES DANS LES ECOLES CATHOLIQVES, NE DEVROIT PAS ESTRE ADMISE.

5to. quàmvis hæc Conſtitutio ab omnibus acceptata fuiſſet, nihil tamèn quod fidem ſpectat, conſtituit, ſolum enim Concilium generale & œcumenicum ſtatuere poteſt dogmata, quæ fidem reſpiciunt. 6to: Illuſtriſſimus DD. Benignus Boſſuet, Meldenſis Epiſcopus, in ſcripto poſthumo declaravit plures eſſe textus, & plura loca in REFLEXIONIBUS MORALIBUS QUESNELLI, quibus docet ipſe Queſnellus exiſtere gratiàm ſufficientem, cui voluntas humana reſiſtit, & reſiſtere poteſt; ergo &c.

Reſp. ad 1mum. Bullam *Unigenitus &c.* non fuiſſe ab omnibus, ſed à majori Præſulum parte acceptatam; Spiritus autem Sanctus ſolet fidei veritates manifeſtare pluralitate ſuffragiorum, ſeu Præſulum viſibili Eccleſiæ Capiti unitorum; undè ſtatim quadraginta Epiſcopi purè, ſimpliciter, & ſine limitatione Conſtitutionem acceptaverunt, quibus ſeſe adjunxerunt pluſquàm ſexaginta alii, ſicque centum Epiſcopi & ampliùs uniti Capiti viſibili Eccleſiæ declaraverunt ſolenniter

ſolenniter nihil aliud in Conſtitutione reperiri, quám doctrinam Eccleſiæ. Epiſcopi cæterarum nationum Catholicarum ſaltem conſenſu tacito eandem Bullam acceptaverunt; nullus illam recipere detrectavit; quare cùm hæc Conſtitutio fuerit ab omni Eccleſia cum gaudio acceptata *cauſa finita eſt*, dicebat olim S. Auguſtinus in cauſa Pelagianorum poſt acceptam Epiſtolam Decretalem Innocentii primi hæreſim Pelagianam proſcribentis: identidem dicimus de hæreſi Queſnelliana poſt Clementis XI. deciſionem *cauſa finita eſt: utinam error finiatur*. Certè ſi fatentibus Janſenianis & præſertim auctore libelli ſub titulo gallicè: Juſtification du ſilence reſpectuu eux, *defenſio ſilentii obſequioſii* pag 246. quatuordecim Epiſcopi, qui interfuerunt Concilio Arauſicano ſecundo, audiendi ſunt ut Eccleſia univerſalis, quia nempé in elucubrandis Canonibus ſuis Sedi Apoſtolicæ uniti erant, multò magis credi debet hanc authoritatem ſupremam eluceſcere in illâ ſolenni ſanctæ Sedis deciſione, quam ſtatim 40. Præſules in unum congregati, ſummâ quâ par eſt reverentia acceperunt & cui alii pluſquam ſexaginta documentis publicis ſeſe junxerunt. Nec eſt quod dicant Janſeniani Præſules Gallicanos politicé & ut tempori ſervientes Conſtitutionem acceptaſſe, illud enim, etſi effutirent Janſeniani, alienum non eſſet á priſcorum & modernorum hæterodoxorum more, nonne Ariani, ut elevarent Concilii Nicæni auctoritatam, dixerunt hanc Synodum fuiſſe conflatam ex Epiſcopis ignavis & omni ex parte ad voluntatem Conſtantini flexibilibus? nonne Proteſtantes ludibrio habuere Patres Tridentinos vel ut Præſules ignaros & doctores Scholaſticos, qui proprias ſuas deciſiones á curſoribus

Romam missis expectabant.

Ad 2dum. Nego. Nam die *Martis* 23. Januarii, 1714. tertia post meridiam hora, cœtus Præsulum declaravit 1mo: se non sine gaudio agnovisse in Constitutione *Vnigenitus &c.* doctrinam Ecclesiæ. 2do: se acceptare cum animi submissione ac reverentia eandem Constitutionem datam die 8. Septemb. anni 1713. & anathemati subjicientem librum inscriptũ *Le Nouveau Testament en Françóis, avec des Reflexions morales sur chaque verset &c. ac centum & unam propositiones ex eo extractas.* 3tio: se eundem librum, nec non centum & unam propositiones exinde excerptas condemnare eodem modo, & cum iisdem qualificationibus, quibus illas affecit summus Pontifex. 4to: Formulam instructionis Pastoralis adornandam esse á Præsulum cœtu, quam omnes Episcopi, qui huic intersunt, in sua respectivè Diœcesi jure suo promulgare curabunt, ut de iisdem propositionibus justâ censurâ notatis, disputandi ac litigandi rixarum & novitatum avidis animis omnis tollatur occasio. Jam verò acceptatio Bullæ, quæ ante editam communis documenti Pastoralis formulam, facta est, nullam arguit dependentiam ac relationem ad explicationes, quas Episcopi duntaxat dederunt, ut essent præsidii ac munimenti loco adversùs alienas Pontificiæ Constitutionis interpretationes, quas iniqui homines ad interturbandos fideles excogitare & proferre non cessant. Et sané ita firmiter statuerant Præsules congregati purè, simpliciter, ac sine ulla limitatione Constitutionem recipere, ut maluerint videre octo ejusdem cœtus Præsules á se ipsis recedere, quam pati aliquam inter acceptationem Bullæ, ejusque explicationes dependentiam. Deinde qui vult acceptare Bullam relativè ad proprias explicationes

plicationes, illam haud dubiè non recipere, sed rejicere intendit, non enim sufficit ad aliquam Constitutionem acceptandam profiteri se condemnare quidquid Bulla anathemate percellit, sed ultró necessum est, ut condemnetur juxta mentem & sensum Sedis Apostolicæ. Certè nihil frequentiùs á 70 annis auditur inter Jansenianos, quám á se damnari quinque famosas propositiones. Attamen Constitutiones quibus illas summi Pontifices Apostolico gladio confoderunt, nec purè, nec simpliciter, sed juxta propriam explicationem recipere volunt; quapropter ut legitimâ acceptatione aliqua Constitutio recipiatur, opus est illam recipi consentaneé ad mentem Sedis Apostolicæ, quæ est unitatis centrum, ad quod omnes Ecclesiæ particulares tendere, in quo se unire debent ad servandam fidei unitatem, & á quo nulla recedit, quin hanc unitatem scindat. *Religio Catholica*, ait Illustrissimus DD. Bossuet supra *pura in Sede Apostolica inviolaté servatur; Ecclesia Romana semper Virgo manet; fides Romana, perennis est Ecclesiæ fides &c.* ut dictum est anteá. Nec ulla particularis Ecclesia gloriari potest habere veram, & Catholicam traditionem, nisi conformis sit traditioni Ecclesiæ Romanæ, in qua doctrina Catholica semper sine maculâ conservata est, aiunt Hormisdas summus Pontifex in formulario, cui tenebantur subscribere illi, qui ab Accacii schismate ad Ecclesiam Romanam revertebantur? Et summus Pontifex Adrianus II. in illa professione fidei, quam subsignabant, qui á Photii schismate recedebant. Vide *Baronium ad ann.* 519. *&* 869. Unde non alia ratione Concilia á *SS.* Episcopis Cypriano, & Firmiliano celebrata, quibus plusquam centum Præsules interfuere, reprobata sunt ab Ecclesia

Ecclesia; & Concilium Arausicanum II. cui solum quatuordecim Episcopi adfuerunt, ab universa Ecclesia probatum est, nisi quia traditio Ecclesiarum Africæ & Asiæ absona erat traditioni Ecclesiæ Romanæ: traditio veró Ecclesiarum, quarum Præsules intererant Synodo Arausicanæ conformis erat traditioni Ecclesiæ Romanæ.

Ad 3tium. Dist. Constitutio *Unigenitus &c.* damnat propositiones aliquas, quæ quoad verba leguntur apud quosdam Patres: conc. quæ leguntur quoad sensum, Nego. Textus particularis alicujus S. Patris nullius est ponderis & auctoritatis in Ecclesia, nisi juxta sensum, quem ipsa Ecclesia à Spiritu sancto directa declaraverit, & ad quam solam pertinet infallibiliter judicare de germano auctorum sensu. At certum est nullam é centum propositionibus Quesnelli damnatam esse in germano sensu sive S. Augstini, sive alterius sancti, apud quos fertur legi quasdam é propositionibus fulguritis, á quo enim addiscere debemus, quis sit genuinus & proprius S. Augustini sensus? an á Quesnello; an ab aliis Jansenianis; an à laïcis; á fœminis, ac mulierculis vanis, superbis, præsumptuosis, quæ á Janseniana factione tam inepté, imprudenter ac temerarié fari didicerunt, contra præceptum Apostoli jubentis ut taceant? Nonne potiùs ab Ecclesia? quam *qui non audit, sit tibi sicut ethnicus.* Sed aliter expendamus, an sensus Quesnelli, quem propositiones referunt, sit sensus Angustini, vel sensus Jansenii? Non est sensus Augustini, docet enim S. Doctor, Deum conferre gratiam veré sufficientem, quæ dat vires æquales relativè præcepto implendo & tentationi vincendæ, docet gratiam efficacem, quam Deus interdum largitur & quæ infallibiliter obtinet

effectum

effectum, relinquere homini libertatem consentiendi, vel dissentiendi ejus motioni. At Quesnellus qui sequitur systema delectationis relativè victricis, sustinet delectationem quæ est superior, prævenire inevitabiliter, & determinare invincibiliter voluntatem hominis ad actum, quia delectatio superior, fortior est ad applicandum voluntatem ad consensum, quàm voluntas ad illi dissentiendum. Unde hæc delectatio, ait Quesnellus, non plus libertatis in voluntate ad obluctandum gratiæ relinquit, quàm in mortuo ad resistendum operationi omnipotenti Christi illum resucitantis: ex quo patet Ecclesiam proscripsisse Quesnelli propositiones juxtá hæreticum Jansenii sensum, non verò juxtá sensum S. Augustini, qui veré Catholicus est.

Ad 4tum. Peto á Quesnellianis, cui Scholæ Catholicæ Constitutio *Unigenitus &c.* adimit libertatem tuendi suas opiniones? An Thomisticæ ob viciniam, quam prædeterminatio physica habere videtur cum gratia necessitante Quesnelli; Respondeo minimè; hæc enim Schola audita & consulta est in examine Theologico, quod præcessit latam decisionem adversùs *Morales ipsius Quesnelli Reflexiones*; unde tantum abest ut præfatam Constitutionem molesté ferat Thomistarum Schola, imó illam sine restrictione defendit atque sensum proprium, naturalem, & evidentem 101. propositionum cum Ecclesia ex animo proscribit. An Scholæ Molinisticæ? Respondeo negativé, si enim Instructio Pastoralis Mirapiscensis audiatur, Præsules Gallicani, Molinismum ad Dogmatis dignitatem evexere in communi documento Pastorali, quod post acceptatam Bullam ediderunt. An Scholæ Scotisticæ? cujus dogmata in fide adeo semper

tuta

tuta fuerunt, ut tres SS. Pontifices adminùs, ſcil. Sixtus IV. Alexander V. & Sixtus V. illa palàm docuerint, nec Conciliis œcumenicis viſa ſint, ullius umbræ falſitatis etiam minimæ ſuſpecta. Scio Janſenianos nullum non movere lapidem, ut Scotum ſuas in partes adducant, imó ipſum á Janſenio magnis laudibus efferri, propterea quod ſcripſerit libertatem ſtare cum neceſſitate: ſed ipſe Janſenius, ac ejus diſcipuli doctrinâ Scoti abutuntur, namque hic Doctor, ſicut S. Thomas, & antiqui Theologi, peripateticus erat, cum autem Ariſtoteles Peripateticorum princeps docuerit voluntatem in genere *eſſe appetitum liberum*, infert Doctor ſubtilis; ergó omnis voluntas eſt eſſentialiter libera libertate ſcil. eſſentiali. Quæ ſit autem libertas eſſentialis? Reſpondet eſſe complacentiam voluntatis in ſuo actu: voluntas enim, quæ cogi non poteſt in ſuis actibus elicitis, ſemper complacet in actu, quem elicit ſive hic actus ſit neceſſarius, qualis eſt amor Beatorum in cœlo; ſiue ſit liber libertate arbitrii, & indifferentiæ activæ, qualis eſt libertas hominis viatoris, ſed nuſquam in Doctoris ſubtilis mentem venit, quod libertas requiſita ad merendum, & ad demerendum, ſtet cum ſimplici neceſſitate uti mentiuntur Janſeniani: variis enim in locis contrarium tradit, ſic in I. diſt. 39. [„ Quantum ad primam, voluntas eſt libera ad oppoſi-
„ tos actus, & ad oppoſita objecta, in quæ tendit. „] Et
„ in 4. diſt. 43 quæſt. 2. num. 12. ait [„ Homo eſt domi-
nus ſuorum actuum, ita quód in poteſtate ejus eſt, deter-
„ minare ſe ad hoc, vel oppoſitum. "] Et alibi. Quamo-
„ brem libertas eſſentialis eſt ipſa voluntatis complacentia
in ſuo actu & objecto. Libertas veró requiſita ad meritum?

eſt

est indifferentia activa, quâ voluntas potest agere, vel non agere, positis omnibus ad agendum prærequisitis. ita Scotus pluribi.

Præterea Scholasticorum opiniones tanti momenti non sunt, ut Ecclesia illas, quæ sunt alicui errori affines, compescere non valeat, maximè si dogmati Catholico, aliquo modo officiant, quàmvis permiserit Ecclesia, illas in Scholis per aliquod tempus doceri. Sic toleraverat opinionem SS. Cypriani & Firmiliani, & plusquam 120. Episcoporum Asiæ & Africæ circà rebaptisandos hæreticos, attamen illam posteà proscripsit. Semi-Pelagianismus prævaluerat in Gallia, ubi propugnabatur à pluribus sanctis, Presbyteris & Episcopis; nihilominùs hanc eandem opinionem condemnavit Ecclesia. Opinio quæ docebat animarum propagationem, cui favebat S. Augustinus, tanquam opinioni sanæ in fide, nonne tandem ab Ecclesiâ abrogata fuit? quâ ergo fronte auctor Epist. ad Archiep. obgarrire potest.

Damnatio propositionis, quæ læderet aliquam ex opinionibus receptis in Scholis Catholicis, rejici deberet.

Une condamnation, qui iroit contre des opinions receuës dans les Ecoles Catholiques, ne devroit pas estre admise.

Ad 5tum: Falsum est quód ad solum generale Concilium pertineat, definire quæ fidei dogma spectant; nam S. Augustinus recenset 80. hæreses proscriptas, antequàm vix aliquod accessisset generalis Synodus. Nunquid definitiones

tiones Concilii Arausic. II. non pertinent ad fidem? non erat tamen Synodus generalis; neque Ecclesia solùm in Synodis generalibus consistit, sed etiam ut est per totum orbem dispersa, & semper pro fide habitum fuit id, quod definitum est, vel vivâ voce, vel subscriptione vel tacito consensu, ab Episcopis sive in unum corpore & mente congregatis, sive per orbem corpore dispersis, sed mente & animo consentientibus, ac unitis summo Pontifici Jesu Christi vicario. quare S. Augustinus, 4to: ad Bonif. cap. ult. scribit: „[„ Aut veró congregatione Synodi opus erat, ut aperta „ pernicies damnaretur: quasi nulla hæresis aliquando, nisi „ Synodi congregatione damnata sit: cùm potiús rarissimæ „ inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis ex„ titerit: multóque sint atque incomparabiliter plures, quæ „ ubi extiterunt, illic improbari, damnarique meruerunt, „ atque inde per cæteras terras devitandæ innotescere potuerunt. „]

Ad 6tum: Dico prætensam *Considerationum seu Reflexionum moralium Quesnelli* defensionem elaboratam, ut ferunt ab Illustrissimo DD. Bossuet aliquem posse habere locum, quando ejusmodi Reflexionum loca 120. errore aut hæresi scatentia emendata, & correcta fuerint, aiebat prænominatus Episcopus, priúsquam illius scriptum in lucem prodiret. Deinde quo pacto DD. Bossuet, qui toties dixerat se purum Jansenismum in Novo Testamento Quesnelli reperisse, defendere voluisset Considerationes morales ejusdem Testamenti á Quesnello fabricatas?

Inst. Legitur multis in locis harumce *Reflexionum* resisti gratiæ; ergo Quesnellus admisit gratiam sufficientem.

Resp.

Resp. Dist. Legitur resisti gratiæ in sensu Jansenianorum Conc: in sensu Catholicorum, Nego. Resistere gratiæ in sensu Catholicorum, est illam privare effectu, quem potest habere relativè ad circumstantias subjecti. Resistere gratiæ in sensu Jansenianorum, est ipsi non obedire quoad effectum secundarium, quem absolutè, sed non relativè ad circumstantias subjecti habere potest. Juxta Quesnellum, aliosque Jansenianos resistitur seu non obeditur gratiæ sufficienti per respectum ad effectum secundarium, quem absolutè obtinere potest, sed quem habere nequit secundùm præsentes subjecti circumstantias, id est, propter oppositam concupiscentiam, quæ semper gratiam sufficientem superioritate vincit.

At inquies, immunitates Ecclesiæ Gallicanæ, propugnantur his in propositionibus, ubi Quesnellus de excommunicatione injustâ sermonem facit.

Resp. Negativè. usus enim Ecclesiæ Gallicanæ in eo stat, ut sacris Canonibus regatur, nec recipiat ac patiatur innovationes, quæ hunc usum & immunitates lædere possent: facilè autem Reges nostri qui suam supremam à Deo auctoritatem immeidatè habent, necnon supremi Senatus, qui sunt vindices Canonum, haud difficulter cognoscerent, an lata excommunicatio esset sacris Canonibus conformis; si enim dissona foret, tunc illa excommunicatio non solùm injusta, sed *de jure* nulla esset: excommunicatio autem *de jure* nulla, timenda non est. Verùm si excommunicatio nulla est, neque legitima, nisi ubi accesserit consensus populi, ut obgannit Quesnellus; consequens est illam fore semper ratam & justam, ubi consenserit populus, quàmvis sit

ſacris Canonibus contraria; & illam fore ſemper injuſtam & nullam, ſi diſſenſerit populus, ſicque noſtri reges, & ſupremi Senatus, qui judicant de excommunicationum æquitate, ex conformitate, quam cum ſacris Canonibus habent, illa auctoritate privabuntur, quia juxta novum Queſnelli ſyſtema, nulla habetur ratio Canonum ad excommnicationum æquitatem, ſed ſolius ſaltem præſumpti conſensûs populi, qui ſibi hoc jus reſervavit, largiendo Paſtoribus poteſtatem excommunicandi, ac proindè noſtri ſupremi Senatus de hiſce excommunicationibus nunquam judicare poterunt; His patet quàm ſint immuuitatibus noſtris contrariæ propoſitiones Queſnelli

Adde quod timor injuſtæ excommunicationis neminem, ut dixi, deterrere debet ab officio quod ex jure naturali & poſitivo præſtare tenetur: talis autem eſt obedientia ſubditi ergà Regem. *Rex celeſtis* in præſenti cauſa, Queſnelliana ſcil. *fæderatum habet Regem terrarum*, inquiebant poſt Sixtum III. Præſules Gallicani Epiſt. ad Innocent. X. an. 1653. nec doloſæ Queſnellianorum molitiones utrumque à ſe invicem avellere poterunt, res enim Dei & Religionis agitur.

Tandem objici poteſt ſic: illa quæ pertinent ad quæſtionem facti, quæ definiuntur à ſummo Pontifice ex Cathedra ut loquuntur, non eſſe omnia de fide; quia non omnia ſunt in ſe revelata immediatè, hoc eſt in Scriptura ſacra vel in traditione; aut mediatè ſeu virtualiter revelata hoc eſt, in aliqua propoſitione revelatâ, cui neceſſario connectatur non imbibitur; ſed duntaxat neceſſariò ſolum elicitur ſeu deducitur in forma Syllogiſticâ, ac proinde motivum formale ſub quo, non ſit revelatio ipſa, ſed forma potiùs Syllogiſtica

giſtica extremorum cum medio termino, & Conſequentis cum Antecedente, ut ajunt Dialectici. ℞. imo. Tranſeat major, quod juxta non nullorum Scholaſticorum non omnia talia ſint de fide & proinde non ſint articuli fide divinâ credibiles; nihilominùs omnes concordant Orthodoxi, quod etiam in quæſtione facti, quod pertinet ad communem Eccleſiæ tuendam fidem & religionem, debeatur fides, ſi non divina, ſaltem Theologica, id eſt, pluſquam naturalis, ſeu fide humanâ naturali major, quæ fundatur in infallibili authoritate Eccleſiæ. Hinc infallibile factum eſt, quòd Benedictus XIII. ſit legitimus Pontifex; quod Concilium, e. g. Tridentinum ſit omninò Sanctum; quod hic Beatus v. g. Franciſcus, ſit veré Sanctus canonizatus; quia Spiritus S. falleret, (quod abſit,) qui aſſiſtit ſemper Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, quam dirigit, ut ait Chriſtus Matt. ult. cap. vers. ult. *Ecce ego vobiscum ſum, omnibus diebus &c.* Hinc certum eſt, omnia eſſe facta legitime, ac debitum examen, quod ſpectat ad electionem Pontificis, quem tota Eccleſia Catholica talem agnoſcit; ſimiliter in canonizatione alicujus ſancti quem Pontifex toti Eccleſiæ ad colendum cultu duliæ proponit venerandum, ejuſque ſacras Reliquias; alias enim temerarium eſſet, ſi non hæreticum, contrarium ſentire. Dixi, in iis quæſtionibus facti, quæ pertinent ad totam Eccleſiam, quia ſi factum ſpectet ſolùm privatam perſonam aliquam, poteſt circa illud non eſſe infallibile judicium per accidens; e. g quod in hac hoſtia, quam ego conſecravi, ſit verum Chriſti corpus; quia non ſum fide divina certus, quòd ſim legitimé baptizatus, vel legitimè conſecratus ſacerdos; quamvis dubitare non debeam, citra teme-

ritatis

ritatis notam, cum in contrarium nullum habeam legitimum dubitandi fundamentum, quin potiùs ſcrupuli notâ, ſeu inanis apprehenſionis ergo inurerer, qui omninò contemnendus eſſet in hoc negotio. Ita Grandinus Theologus, & de Rhodes, et alii communiter. Atqui ℞ 2do: Quòd 101. Propoſitiones ſint Queſnelli erroneæ & Janſenianæ, pertinet ſcire ad univerſalem Eccleſiam, ne pabulo venenosô inficiantur oves Chriſtianitatis &c. Nonne multa, quæ ſpectabant ad quæſtionem facti, damnata ſunt? Gelaſius Papa *cap. Sanctâ Romana* diſt. 14. Statuit quinam SS. Patrum Libri in Eccleſia recipiantur, quinam hæreticorum ſint & ſchiſmaticorum; ipſemet Pontifex Evangelium Thomæ Apli, & alia tanquam apocrypha eſſe declaravit. Nonne quæſtio facti fuit in Concilio Generali V. collat. 8. de tribus Capitulis pronunciatis, ac ſcripta Theodori Mopſueſteni &c. Nonne in Concilio Tridentino quæſtiones facti Calvini & Lutheri ſunt damnatæ? quid ſi iſti hæretici dicerent, non potuiſſe Leonem X. Pont. circa quæſtionem facti infallibiliter definire &c Vtinã ſaperent intelligerent Janſeniani ac noviſſima providerent; ſicut ipſe fecerat Janſenius Iprenſis Epuſ eorum Anteſignanus, qui quidem non tam fuerat pertinax ſaltem in ſpeciem ac ipſi ſunt ſine lege, ſine ratione. Porrò Janſenius, *lib. prooem. cap. 29. ſe, quidquid præſcriptum fuerit à Principis Apoſtolorum ſucceſſore, hoc tenere; quidquid improbatum, improbare; damnatum damnare; anathematizatum anathematizare* profitetur. Hic Epiſcopus tandem benè obiit in ſinu Eccleſiæ, revocando ſcripta ſua, teſte Grandinó in tract. de auxil. gratiæ, & aliis auctoribus. Utinam & Janſeniani ſic faciant!

ciant! ac ſicut Janſenium imitati ſunt delinquentem errantem, ita imitentur pænitentem,& ſe ſubiicientem S. matri Eccleſiæ, ſicuti tenentur ac omninó debent, ne ſint ſchismatici quorum errores teſte S. Angelico Doctore ſine hæreſi eſſe non poſſunt: namque ex S. Ambroſio D. *Qui ſe à Romanâ Eccleſiâ ſegregat, verè eſt habendus hæreticus.* Et S. Thom. D. Ang. hujus omninó ſenſûs eſt, quem nos propugnamus. Aſſerere quippè in Fidei & morum Decretis, ad univerſalem Eccleſiam pertinentibus, Papam errare poſſe, eſt hæreticum; & directe contra articulum Fidei: *Credo Sanctam Eccleſiam Catholicam.* Sic e. g. Canonizatio Sancti alicujus, & approbatio Cultûs publici, eſt hujuſmodi. *In Eccleſia non poteſt eſſe error damnabilis, ſi veneraretur tanquam Sanctus, qui fuit peccator, ait S. D. quodlibetò 9. art. 16.* & talis cultus eſſet *pernicioſus* ut habet 2. 2. q. 93. á. 1. Et opuſc. 19. cap. 3. prope finem: *in his, quibus Apoſtolicæ poteſtati derogant, non ſolúm falſitatis, ſed etiam hæreſis crimen incurrunt; quia, ut dicitur in* Decretis, *diſt. 22. cap. omnes:* Qui *Romanæ Eccleſiæ privilegium ab ipſo Summo omnium Eccleſiarum Capite traditum, auferre conatur: hic proculdubiò in hæreſim labitur. Et infra:* Fidem *violat, qui adversùs illam agit, quæ eſt fidei Mater; hoc autem privilegium Chriſtus Romanæ Eccleſiæ contulit, ut omnes ei, ſicut* CHRISTO, *obediant.* Hactenus

S. Do-

S. Doctor. Et S. Ang. Serm. 2. de Verbis Apost. sub finem. *Rescripta venerunt à sede Apostolica, causa finita est, utinam aliquando finiatur error.*

Sed quidquid sit de mente Jansenii, quem ex animo, nonnulli defendunt, omnia sua scripta, Sanctæ sedi Apostolicæ, tanquàm Judici Controversiarum per se primo subjecisse; maximé lib. 10. de gratia sic loquentis: *Quidquid de rebus tam multiplicibus tam arduis juxta mentem non meàm, sed S. Augustini pronuntiavi, de Apostolicæ sedis, Ecclesiæque Romanæ Matris meæ judicio sententiaque suspendo: ut illud jam nunc teneam, si tenendum; revocem, si revocandum; damnem, & anathematizem, si damnamdum & anathematizandum esse judicaverit.* Item, clariùs se submittere in suis omnibus scriptis, idem Jansenius, disertis verbis censetur, tom 2. sui Augustini lib. 1. cap. 29. *Mihi constitutum est, ad extremum usqué spiritum Romanam Ducem sequi Ecclesiam & Beatissimi Petri in Romana sede successorem: super illam hanc Petram, ædificatam Ecclesiam scio: quicumque cum illo non colligit, spargit: apud eum solùm incorrupta Patrum servatur hæreditas: quodcumque ab ista Petri Cathedra, ab ipso Christi Vicario præscriptum fuerit, teneo: &c.* prout supra relatum est. Quibus verbis, delusi nonnulli Theologi, ex Gallia præcipué, eundem Jansenium, quasi filium obedientiæ defendant; ac erraſſe, non formaliter

duntaxat

duntaxat & cum pertinacia, ſed materialiter tantum autument. Verùm penitiùs rem, maturiusque trutinando, has ponit Janſenius ſpecie boni defenſiones revera ipſe hæreticus. Sic pariter Lutherus, initiô ſui Sti Evangelii, loquitur à ſimili. tom. 1. Lat. Vittemberg: *Paratus ſum*, inquit *omnia mea ſubjicere, imprimis Judicio Sanctæ Eccleſiæ Romanæ: deindè Illuſtribus Studiis, Baſileenſi, Triburgenſi, Lovanienſi: ac ſi, opus eſſet, etiam antiquæ illi Studiorum parenti & in Theologicis rebus uti florentiſſimæ, ita zeloziſſimæ Univerſitati Pariſienſi.* Aſt quantùm ſe Lutherus oppoſuerit impiè, & reſtiterit judicio Eccleſiæ, auctâ ſuorum ſequacium multitudine, quis non videt? Nimirùm, ut ait doctiſſimus Gengell in ſuis Admirandis Janſenii, conſvetum eſt hæreſiarchis ſuam erroneam doctrinam, callidè ſubjicere Judicio Eccleſiæ, quouſque poſſint aſſeclarum numerô aucti, apertô Marte contra eam pugnare. Qua fronte quæſo Janſenius ſe ſubmittere S. Sedi Apoſtolicæ in ſcriptis ſuis garriat? in quo ſe excuſat, in eodem ſe accuſare debet; cur ſacroſanctum Concilium Tridentinum Seſſ. 6. cap. 11. non obſervaverit, præcipiens his verbis: *Nemo temerariâ illâ & à Patribus ſub anathemate prohibitâ voce uti debet:* Dei *præcepta, homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia.* Cur à S. Auguſtino deſiliit, quem propugnare volebat? & tamen D. Auguſtinus lib. de nat. & grat. cap. 43. ait: *DEus impoſſibilia non jubet.* Cur Janſenius, plurimas alias Bajanas propoſitiones damnatas aliás, propugnavit tanquám veras? prout docet authenticum Janſenii manu-

 ſcriptum,

ſcriptum, quod incipit: *Ad excuſandas propoſitiones Magiſtri Michaelis Baii. &c.* Ecce mentita eſt iniquitas ſibi, ad excuſandas excuſationes in peccatis. Ratio horum omnium errorum cum pertinatia junctorum, coriphæi Janſenii & illius theologaſtrorum Janſeniſtarum Queſnelliſtarum, prima & ultima, ac unica eſt, teſte S. Aug. lib. de Paſtoribus cap. 8. *Mater ſuperbia, omnes hæreſes genuit.* Nonne Joannes Huſs, infamis hæreticus, venenum populi Bohæmici initiô hæreſis ſuæ, condemnatus ab Epiſcopo Pragenſi, appellando ſcripſerit ad Papam his verbis in ep: *In Dei Nomine, ad Sanctiſſimum in Chriſto Patrem & Dominum Dominum Joannem, divina Dei providentia Papam* XXIII. *& ejus Sanctam ſedem Apoſtolicam, quam ſemper corde, ore & opere profitemur, provocamus, & appellamus.* Ecce lupus ſub pelle ovina, ſicut & Janſenius, & tamen ambo pſeudoprohetæ, pſeudoapoſtoli, veriùs Apoſtatæ ambo, & hæretici.

EPISTOLA PASTORALIS.

THOMAS PHILIPPUS

DE ALSATIA, DE BOUSSU,

Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ Archiepiſcopus Mechlinienſis, Primas Belgii, Sanctiſſimi Domini Noſtri, Domini Clementis *Papæ* XI. *Prælatus Domeſticus, ad Exercitus*

citus Cæsareo-Regios Delegatus Apostolicus, Sacræ Cæsareæ, Catholicæque Majestatis Actualis Intimus Consiliarius. &c.

Universo Clero & Populo Diæcesis Nostræ, Salutem in Domino.

EX quo in partem Sollicitudinis Ecclesiæ, nullis nostris meritis vocati sumus, non sine ingenti cordis nostri amaritudine, abominationem stantem in loco sancto, ferre debuimus; scandalum á Sacerdotio, fumantem non procul á Nobis, & tantùm non in flammas erumpentem, ab ipsis Pastoribus Ecclesiæ perniciem, dum Fratres ipsos nostros aliquos vidimus, quorum erat, gregibus suis præire, in amplectendo eo, qui secundùm doctrinam est, fideli summi in terris Christi Vicarii sermone, non jam in doctrina sana fideles exhortari, aut qui Apostolicis rescriptis contradicerent, arguere; sed pro dolor! eos ipsos esse, quos meritó perstringit Apostolus, ut inobedientes, vaniloquos & seductores; utpoté, qui inaudito pertinaciæ exemplo, seditionis suæ scandalum toto quinquennio eousque diffundere ausi sunt, ut quod tantopere Gentium Doctor horrebat, ipsimet subversores dici debeant, infestis Ecclesiæ hostibus ansam præbentes, ut blasphemetur verbum Dei. In re, uti hodie notissima, sic maximè deploranda versamur, Dilecti Filii, quæque Nobis gravissima afflictio est, cùm & in adversa parte rebelles Ecclesiæ filii ipsum totius mali auctorem in sinu suo nutriant, foveantque, ex mutua ambarum factionum Communicatione per Belgium Catholicum

tholicum, & præcipuè per Diœcesim nostram perniciosa zizania diffunduntur, quæ probè intelligimus, sic præterfluere non posse, quin alveum, per quem manare necesse est, sensim inficiant, atquè ea causa fuit, quæ summam animo nostro formidinem incussit, cùm primum ad hujus Metropolitanæ Ecclesiæ regimen, quantumvis immeriti, ex supremi Patrisfamilias dispositione admoti sumus; supremum Ecclesiæ Caput sæpè deprecati, ut glíscenti in dies malo, & per hanc Diœcesim nefandis scriptis, turpissimisque libellis serpenti, desideratum juxta, ac necessarium remedium promptissimè porrigeret. Eò Nos etiam impellebat urgentissima ratio, quod occultis, sed malignis sermonibus, non hic solùm, sed vel in ipsis Principum Aulis spargi sciremus, Constitutionem ipsam *Vnigenitus* ab omnibus Belgii Episcopis tanta cum reverentia susceptam, & publicatam, necdum in hisce partibus (quæ obstinatorum oratio est) tamquam Fidei Regulam admitti, nimirum, quam explicaturus esset is, qui eam condidit summus Ecclesiæ Rector; ut proinde, qui nihil minùs quærerent, quàm finem erroris, causam necdum finitam esse insigni, sed familiari sibi fallaciâ asserere non erubescerent. Planè confidimus, vestrum non esse hunc sermonem, sed novatorum, sed Ecclesiasticæ pacis, & tranquillitatis perturbatorum, quales nec in hoc Belgio deesse vehementissimè dolemus. Vobis suffecit, imò vix necessaria fuit, nova illa contra toties damnatos errores Constitutio; ast eam à summo Pastore vulgatam, ut obedientes Filii continuo acceptastis, atque ut verissimam fidei normam suscepistis. Iniquitatis Filii erant, quos ea meritò corripuit, quosque, jam diximus, omnes

Chri-

Christianæ modestiæ, gravitatis, & verecundiæ limites transgressos, dum in Petri Cathedram rebelles auctores se turpissimi schismatis apertè professi sunt, examen quærentes, quod apud Apostolicam Sedem diligentissimè factum probè noverant; cum eorum contumacia non adhuc examinanda, sed coercenda esset à Potestatibus Christianis. Et hi quidem insolentissimè audaces pergunt hactenùs immobili fidei nostræ fundamento intolerabili temeritate refragari. Nimis longum foret, ea hic sigillatim enarrare, quæ Pater optimus, & Clementissimus incredibili lenitate tot annis præstitit, quo cæcè aberrantes, & devios ad unionem reduceret; ea Vobis ob oculos posuerunt, quas vidistis Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Literæ, datæ XVI. Novembris. M. DCC. XVI. tum verò subsecutum Breve Apostolicum XX. ejusdem Mensis, & Anni, quo paternè exponit Gregis Dominici patiens juxtà, ac sedulus Pastor, propriam æterni Pastoris, cujus partes gerit, longanimitatem imitatus, quot laboribus, vigiliis, ac studiis curaverit, & intenderit, ut gravissimos errores, qui dare in ruinam poterant plurimas Christi oves, radicitùs convelleret; quæ porrò præstiterit, ut dissidentes Galliæ Episcopos ad optatam cum Fratribus concordiam revocaret, atque ad debitam Constitutioni suæ obedientiam alliceret, omnibus lenitatis, ac patientiæ officiis benignissimè usus, cæterisque argumentis, quotquot Christiana, & Pontificia charitas suggerebat. Paradoxum sanè aliquando videbitur, in ipso Sacro Episcopatûs ordine tam indocilis, tam præfracti animi Præsules, eosque paucissimos reperiri potuisse, qui contrà universam cum Capite Ecclesiam tam fœdè ob-

 lucta-

luctarentur. Neque tamen ibi stetit immensa propè communis Ecclesiæ Patris charitas: Etenim toto fermè biennio jam dictas Literas secuto, non cessavit ab adhibendis mediis, hortationibus, & precibus, quibus discordantium istorum animos permoveret. At, cum ea omnia prosperum, quem summopere præstolabatur, exitum minimè habuissent, victus tandem paucorum istorum Antistitum incredibili audaciâ, supremo Divini Pastoris mandato, quo & illius oves pascere, & Fratres suos confirmare præcipitur, deesse, nec posse, nec debere æquissimé existimavit, quique adeó tentatis inutilitèr consiliis pacis, eátenus siluerat, adhùc ulterius tacere sibi non tutum, Christiano autem Populo perniciosum, merito censuit. Ad Vos proinde Paternas suas voces, Spiritu Sancto plenas, dirigit solicitus universæ Ecclesiæ Speculator, in postremis suis literis 28. Augusti, labentis anni datis. Lætitiæ nostræ participes Vos facimus, dum summà voluptate Os Domini denuó locutum annuntiamus, quo tandem aliquando aut perstrepentium iniqua obstructum iri, confidimus. Qui nostri conatus in eundem ipsum finem hactenùs fuerint, neminem vestrum ignorare, certó credimus. Inconditum illum, & in Ecclesiâ Catholicâ prorsus inusitatum, à Sede Apostolica in rebus Dogmaticis appellandi modum, egregiè confutatum, & penitùs convulsum, singulari in eam rem edito opusculo, pro ea parte à Nobis approbato, luculenter ostendimus, subjunctis ei Ecclesiarum omnium totius propè orbis Catholici authenticis testimoniis de Bullâ *Vnigenitus* ubique ultro admissâ, ubique debité publicata, ubique Catholicè propugnatâ, ut discoli illi, & immorigeri, nisi in sole meridiano

ridiano cæcutire vellent, lucidiſſimè perſpicerent, inanes eſſe clamores ſuos, quibus Concilium œcumenicúm fruſtrà ingeminant, cujus membra omnia expreſſis argumentis, turpiſſima eorum, & ab hæreticis indigné emendicata effugia, jam tum ſolidiſſimé enervaſſent, confeciſſentque. Sperabamus utique ad tantam veritatis lucem, depellendas omnes errorum, & tergiverſationum tenebras, verituroſque adeó paucos illos Epiſcopos imminens tremendi ſchiſmatis periculum, quod ſcriptô altero avertere voluimus, præciſis iis tricis & næniis, quas ignoranti Populo, & factioſis ſuis occinere non deſinebant. Cæterúm mirari deſiimus, eos vocibus noſtris non ſatis attendiſſe, qui ſummo Eccleſiæ Paſtori & Doctori, Petræ iſti, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ, obſtrependi finem non facerent. Quæ cum itá ſint, Vos hic iterúm Eccleſiarum omnium Epiſcopi verbis alloquor, Filii dilectiſſimi, qui, ut loco, itá & periculo propinquiores eſtis, nolite effici participes eorum, nolite omni ſpiritui credere, doctrinis variis & peregrinis nolite abduci, ſed ſanam, & orthodoxam S. R. Eccleſiæ Doctrinam, quæ Sacrum Fidei Depoſitum intemeratè ſervat, tutó ſequimini, & firmiter cuſtodite. Eó veró conducet maximé, ſi procul á contagio vos cuſtodientes, eos omnes ſeduló vitetis, quos peſtilenti lue afflatos noveritis, quo potiſſimum collimat Sanctitatis ſuæ Breve, non alio, quàm Dei Zelo, & Spiritu dictatum, videlicét, ut á Nobis longè ſejungantur, qui nos conturbant. Hinc ad Nos fratreſque noſtros, poſtrema literarum ſuarum parte Apoſtolicæ Dilectionis ſuæ ſermonem convertit, hortans, & obſecrans in Domino, ut pro eo, quo polle-

pollemus Paſtorali Zelo, commiſſas Nobis Chriſti oves á venenatis paſcuis, id eſt, profanarum vocum, & doctrinarum novitatibus ſedulò arceamus; ſimulque paternam ejus ſolicitudinem, in revocandis ad ſaniora conſilia quibuscunque diſſidentibus, efficacius adjuvemus, ita ut Nobis indivulſam cum Sancta Romana Eccleſia in doctrina Fidei unitatem, quod omni conatu præſtare nunquam deſtitimus, firmiſſimè profitentibus, Chriſtiani omnes agnoſcant, Nos longé ab iis eſſe, qui á Capite Chriſtianæ Religionis ſe elongaverunt, ac illorum damnabilem inobedientiam unà cum ipſo averſari, & improbare, eoſque, niſi reſipuerint, á communis ſocietatis charitate, alienos habere. Nihil hic tergiverſandum putavimus, Dilecti Filii, ſed Beatiſſimi Patris, ac univerſalis Judicis, de cujus judicio diſceptare nemo audeat, voci promptiſſimé obſequentes, uná cum ipſo, imò, & ipſiuſmet verbis, Vobis, quin & omnibus, qui ubicumque terrarum Catholico nomine gloriantur, diſertiſſimè profitemur, & declaramus, Nos eos omnes cujuſcumque ſtatûs, gradus, ordinis & conditionis illi ſint, etiamſi Epiſcopali, Archiepiſcopali, aut alia qualibet, etiam Cardinalatûs præfulgeant, qui memoratæ Conſtitutioni *Unigenitus* debitam, & omnimodam obedientiam præſtare hactenùs recuſarunt, aut impoſterum recuſare auſi fuerint, ut veros Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Filios non agnoſcere, neque, ut Summo Pontifici, & Beati Petri Cathedræ, quod falsò autumant, adhærentes, & conſentientes, ſed contrà potiùs, uti apertè inobedientes, ac notoriè contumaces, & refractarios habere, tenere, ac reputare. Et quoniam primò ipſi á vero Eccleſiæ Capite, & ipſa ſancta Romana

Romanâ Ecclesiâ, si minùs expressis verbis, factis certé, pertinacisque, & obduratæ mentis multiplici significatione recesserunt, illos similiter, quemadmodum à communi Patre, & ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ charitate, sic & á Nobis prorsùs segregatos haberi; & rursùs, ut nulla ipsis cum prædictis summo Capite, & Sanctâ Romanâ Ecclesiâ, sic nec Nobis cum illis ullam deinceps Communionem Ecclesiasticam exstituram; donec (quod faxit Deus) integre resipiscant, rejectâque penitùs audaciâ refragandi, per exhibitionem veræ obedientiæ, quam complures eorum Romano Pontifici, Beati Petri Successori, ac Jesu Christi Vicario, in ipsâmet solemni professione Catholicæ Fidei, interposita jurisjurandi Religione ad Sancta Dei Evangelia, sæpius spoponderunt, pristinæ charitati, & unitati ab eadem Apostolica Sede restitui mereantur. Non alia monitione, aut paterna nostra exhortatione opus esse, arbitramur, ut vos omnes excitemus, ut Sanctissimi universalis Ecclesiæ Præsidis, nostrumque, & omnium (paucis illis appellantibus exceptis) totius orbis Catholici Episcoporum exemplum, vobis jam abundé compertum, constanter, & inviolabiliter sequamini. Cúm autem errores soli interficiendi sint, homines diligendi, piissimo voto Nos etiam conformemus, quo Apostolicæ Literæ concluduntur. Utinam, qui Paternis hactenús clementissimi Patris vocibus reluctati sunt, Nobis non modó arguentibus obsecrantibus, & increpantibus, sed ab eorum consortio penitús abstinentibus, erubescant, confundantur, & convertantur, detque illis Deus pœnitentiam, ad cognoscendam veritatem, ut secundùm Apostolicam doctrinam id ipsum

tandem dicamus omnes, & non sint in nobis schismata. Simus autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia, auxiliante nobis per omnia Gratiâ Domini Nostri Jesu Christi, cui est honor, & gloria in sæcula. Amen. Datum Mechliniæ in Palatio nostro Archiepiscopali, convocatis legitimé Admodum Reverendis, ac Venerabilibus Dominis Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ Canonicis Capitularibus, qui Epistolam hanc nostram Pastoralem approbantes, nobiscum subscripserunt. die 17. Octobris 1718.

THO. Archi-Episcopus Mechliniensis.

Locus ✠ Sigilli.

SPE-

SPECVLI VERIDICI PERSPICILIVM ALTERVM

Pro nasutis Quesnelianis

De Gratia delectante victrice Jansenisticâ.

QUia plenis buccis, veluti ranæ obstrepunt, discipuli Janseniani, recentioresque Quesnelistæ, Hebertiani, Jouveniani, aliique nonulli, in luto errorum suorum coáxantes, sed frustra: efficaciam gratiæ, in delectatione cælesti victrice, quæ Infallibiliter consensum hominis moraliter agentis, obtineat, formalitér constituendo; falsitas demonstratur evidenter hujus doctrinæ erroneæ, juxta prohibitionem expressam S. Congregationis Generalis Inquisitorum, de mandato Clementis XI. P. M. 9. Octob. An. 1708. & sub pænis in Indice Concil. Trid. librorum prohibitorum contentis, vetuit imprimi, Liber tomorum 7. sub titulo: *Instructiones Theologicæ ad usum Seminariorum, Auctore Gaspare Juenin* Ora-

Oratorii Gallicani Presbytero &c. contra quem Illustrissimus D. Paulus Episcopus de Chartes, 25. Junii. 1708. scripserat pro sua Diæcesi, eundem proscribendo, ostendens in ipsius Ivenin tomis contineri quinque Jansenianas propositiones. Idem fecerat pius Illustriss. Henricus de Bissy Episc. Meldensis, An. 1710. qui librum edidit specialem contra dictum Ivenin, dilucidè demonstrando in eo errores contineri Jansenisticos; laudatusque est liber hic Illustrissimi de Bissy Episcopi, à Clem. XI. an. 1712. in speciali suo Brevi Apost. Et quotquot eum secuti sunt in suis libris de gratia, dubio procùl damnati sunt, doctrinam falsam spargentes sub svavi delectatione victrice; de qua, veluti fonte, quinqué famosæ propositiones Jansenii scaturiunt. De his omnibus infra manifestum erit cuilibet viro cordato Romano Catholico Theologo; sit ergó famosa apud Jansenistas, potius veró, reipsa infamis.

QUÆSTIO.

Utrùm efficacia gratiæ, repetenda sit à delectatione victrice?

Hic non loquimur de delectatione victrice absoluté sumpta, quæ quidem est actus vitalis indeliberatus per modum cujusdam desiderii à Deo infusi, & ita sollicitantis & allicientis voluntatem, ut se determinet ad operandum, ut voluntas plerumque hunc motum infallibiliter sequatur, quámvis hæc gratia supponat in voluntate potentiam pro-

ximam

ximam ipsi dissentiendi: undé si Jansenius hanc solam & hoc modo admisisset delectationem, non esset erroris incusandus. Fatemur enim gratiam efficacem aliquando, non verò semper, in hac delectatione victrice reponendam esse; aliquando quidem, ut multis in locis significat S. Augustinus, ut lib. 2do. ad Bonifacium, cap. 9. [„Benedictio dulcedi„nis est gratia Dei, qua fit in nobis, ut nos delectet, & „cupiamus, hoc est, amemus quod præcipit nobis. "] Non „veró semper, ut testatur S. Paulus aiens, se tanto mœrore oppressum, ut etiam eum tæderet vivere, quo in statu multa & difficilia pietatis opera sine ulla actuali delectatione edebat, quod luculenter explicabitur in 1ma. conclusione, ubi contra Jansenium exponimus omnem humanam actionem ex delectatione non fieri. Præsens autem quæstio solam delectationem victricem relativé sumptam ad minorem scil. delectationem oppositam spectat; quare.

Nota 1mo: Delectatio in genere est indeliberatus & vitalis motus animæ circà aliquod objectum se delectantis. Duplex est, una cœlestis, alia terrena: illa á gratia, hæc á concupiscentia venit. Iterum duplex est delectatio, alia indeliberata, alia deliberata. Illa prævertit omnem voluntatis consensum, nec pendet ab ejus arbitrio: sic rerum externarum blandimenta, quæ titillant animum naturaliter, sic cibus esurientem, potus sitientem, lux videntem &c. necessarió & non liberé delectant. Delectatio deliberata est voluntatis complacentia electrix unius præ alio, seu est actus voluntatis liberrimé complacentis & se delectantis in delectatione gratiæ aut concupiscentiæ, prout ei libuerit, & ei

&ei visum fuerit independenter á majori aut minori earum delectatione, sed solo respectu ad suum beneplacitum, quod luculenter exprimit S. Augustinus, Serm. 17. de verbis Apost. ubi ait: [„ Ei delectationi, qua licitè dele-„ctaris, præpone justitiam. "]Quibus declarat delectationem liberam, quæ pertinet ad voluntatem, nihil aliud esse, quam præponere, eligere, malle, amare unum præ alio, quód sanè magnam indicat liberi arbitrii indifferentiam.

Nota 2do: Jansenianos omnes in ea cum suo duce Jansenio versari opinione, quæ gratiæ efficaciam repetit ex indeliberata delectatione superiore victrice ac cœlesti voluntatis consensum necessarió eliciente, quia necesse est, inquiunt, ut id voluntas velit, quod eam magis delectat; ita quod si objecti alicujus delectatio, amorque indeliberatus voluntatem demulceat, nec aliâ delectatione contraria oppugnetur, summâ necessitate consensum exprimit, si autem contrariæ delectationes, cœlestis nempé & terrena inter se confligant, illa quæ magis delectaverit, necessariò voluntatem ad consentiendum trahit ac pellicit.

Nota 3tio: Eosdem hæresis Jansenianæ sectatores docere humanam voluntatem hoc in statu nihil prorsús amplecti posse, nisi ad id præviâ & indeliberata delectatione moveatur & excitetur juxta id quod scribit idem Jansenius, l. 4. de grat. Chri. cap. 7. [„ Voluntas sine delectatione velle, aut moveri nullo pacto potest; quod sanè respectu cujuslibet operationis locum habet. "] sine hac delectatione, aiunt nonnulli, inter ejus discipulos, *frustra veritas innotescit*,

innotescit. Undè Magister & discipuli definiunt gratiam medicinalem, quæ est gratia homini lapso & reparato concessa, tam necessarió esse cœlestem delectationem, ut timorem divinitús inspiratum, ad illam pertinere nolint. Ita docet Jansenius scribens, lib. 5. de grat. Chri. Salvat. cap. 26. [„ Timorem pœnæ, & opus ex illo timore factum „non esse ex gratia Christi; etiamsi *Deus timorem istum* sua providentia in animis peccatorum, vel semper, vel subinde concitet, vel etiam si ita libet, interiús inspiret. "] Hinc.

Nota 4to: Totum Janseniani erroris systema in gemina indeliberata & objectiva delectatione contineri: altera cœlesti; altera terrena, utraque necessaria, ut bonum & malum voluntas prosequatur, quasi pondere inclinata. Quando ambæ delectationes sunt gradibus æquales, voluntas necessarió hæret ex Janseniano systemate, vel fluctuat bilanx paribus librata ponderibûs, ut supra in 2da parte dictum est. Si delectatio cœlestis alteram vincat illecebris, voluntati necessitatem affert amandi bonum, ad cujus amorem illam prolectando excitat, & ideo appellatur delectatio victrix. Si vincatur à delectatione terrena, vincentis illecebras necessarió voluntas sequitur. Atque adeò sive cœlesti, sive terrena, sive utraque simul, sive nulla delectatione alliciatur, semper premitur aliqua necessitate simplici. Hic ille fons est, unde manavit quinque Janseniananarum propositionum virus. Quibus expositis nonnulla quoad præsens institutum in sequentibus conclusionibus resolvenda sunt.

CON-

CONCLUSIO PRIMA.

Omnis actio humana á prævia delectatione non oritur.

Prob. Omnis delectatio est indeliberata vel deliberata: atqui omnis actio humana à delectatione sive deliberata, sive indeliberata sit, non oritur: ideo enim oriretur, quia omnis actio etiam odium in amore fundatur; atque adeo amor & delectatio, quæ ab amore inseparabilis est, principium est á quo omnis actio procedit: atqui falsum est delectationem esse ab amore inseparabilem. imo: Quidem delectatio deliberata non est ab amore inseparabilis; hic enim duplex est amor, alter bonum desiderans, aut bonô in pace fruens. Alter territus, afflictus, & bono dilecto privatus. Ille inseparabilis est á delectatione; hic veró non, ut luculenter explicat S. Augustinus; * Amor inhians „habere quod amatur, Cupiditas est: id autem habens, „eoque fruens, Lætitia: fugiens quod ei adversatur, Ti„mor est; idque si acciderit sentiens, Tristitia est. Ex his S. Augustini verbis evidens est amorem modo esse cum delectatione conjunctum, modo ab ipsa separatum; nam si amor objecto optato fruitur, *Lætitia est*, ait S. Doctor; ac proinde cum delectatione conjunctus: si verò objecto amato privatur, *Tristitia est*, ait idem Augustinus, sicque á delectatione sejunctus est. v. g. Ubi mulier, jucunda viri sui, quem diligit, præsentiâ potitur, ejus amor *Lætitia est*: ubi veró hac infausto casu orbatur præsentia, *Tristia est*, Amor justorum qui suam felicitatem in Dei amore super terram constituunt *Lætitia est*, quando nempè Deum, ut summè

* L. 14. de Civit. Dei. Cap. 7.

summè amabilem, aspiciunt: amor verò illorum, qui ad delicta à se ipsis commissa & ad enormem, qua peccatores summa Dei patientiâ ejusque donis abutuntur, ingratitudinem attendunt, *Tristitia est*; quippe talis amor non ad delectationem, sed ad gemitum, ad dolorem & ad tristitiam movet; juxtà illud Psalmistæ: *Exitus aquarum de duxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Sed quia hic de motibus indeliberatis voluntatis gratiæ & tentationis, qui amorem nostrum, aut corrigunt, aut excitant, agitur.

Prob. 2do: Illi motus, non sunt omnes delectationis motus, qui sunt aliquando timoris motus: atqui motus indeliberati quos Deus imprimit voluntati, sæpè sunt timoris, aut doloris motus, *Timoris ex* meditatione judiciorum Dei; *unde terruit & Dominus*, ait S. Augustinus in psal. 127. Doloris, nam Deus peccatorem ad pœnitentiam allicit per doloris sensum, quo illum interiùs afficit: *Utilis dolor, quo medicum quæras*, *a* ait idem S. Doctor: tali dolore percitus est David: *quid factum est*, petit S. Augustinus, *b cum configeretur spina? datus est ei sensus doloris*.

Insuper sicut præfati timoris & doloris motus indeliberati á malo abducentes, nec sunt delectationis motus, nec a delectatione oriuntur; sic dantur indeliberati motus ad malum impellentes, qui nec sunt delectatio, nec à delectatione veniunt [„ Non autem solùm per cupiditates Diabolus tentat, sed etiam per terrores insultationum, & dolorum, & ipsiûs mortis, ait S. Augustinus. Docet" idem S. Doctor "] peccata quæ ex ejusmodi tentationibus" committit homo, non á delectationis sensu proficisci: ["

Etiam

a De correpṫ. & grat. cap. 5.
b In Psalm. 31.

Etiam illa peccata justè imputari, quæ non delectationis illecebra committuntur, sed causa devitandæ molestiæ alicujus aut doloris aut mortis. "] Idem dicendum est de invidiæ, iræ & impatientiæ peccatis. &c. [„ Quid quæso dulcedinis habet invidia, *quærit Richardus á S. Victore*? quid obsecro dulcedinis habet iracundia? quid suavitatis impatientia? *ad quod respondet*: hujusmodi ut arbitror, aquæ quælibet amaræ sunt & mare faciunt, quia nulli penitùs sapere, nemini placere possunt. "] *Et paulo infrà subjungit*: („ quid enim est timor & tremor & mœror, nisi aquæ maris amaræ nimis, omnisque omninò expertes dulcedinis? „]

3tio: Quod motus timoris á peccato abducentes sint gratiæ, sic contra Jansenium.

Pr. Nam 1. Timor ille est gratia, de qua S. Augustinus ita Deum loquentem inducit homilia 23. cap. 6. („ Ut non consentires, ego terrui. Agnosce ergo gratiam ejùs cui debes quod non admisisti. ") Et S. Prosper aut alter auctor lib. 2. de vocatione Gentium cap. 28. probat consensum voluntatis per gratiam gigni ex terrore & metu. 2do: Est gratia medicinalis, juxta illud S. Augustini tractatu 9. in Epist. Joann. („ Opus est ergo, ut intret timor primó, per quem veniat charitas, timor medicamentum charitas sanitas. ") 3tio: Est etiam gratia per Christum: quia nihil prorsùs gratiæ impenditur nisi per Christum; unde Concilium Trident.

c L. de Catechiz. rudibus l. ult.

d L. de peccat. merit & remiss. cap. 10.

e Richard. á S. Victor tract. de extermin. mal. & promot boni p. 11 cap. 3. & 7.

Trident. seſſ. 6. cap. 9. motum timoris inter eas diſpoſitiones recenſet, quæ ad gratiam obtinendam vulgó numerantur: can. 5. anathemate percellit eos, qui obgarriebant gehennæ metum, per quam ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccato abſtinemus, peccatum eſſe, quod profectó non diceret Concilium, niſi maniſeſté ſupponeret, gehennæ timorem eſſe Chriſti gratiam. Similiter declarat ſancta Synodus seſſ. 14. attritionem ex gehennæ metu conceptam eſſe donum Dei & Spiritus S. impulſum, *non quidem inhabitantis, ſed mouentis, quo pænitens intus viam ſibi ad juſtitiam parat*; in hac autem gratia & ſupplicii æterni formidine, qua peccator totus contremiſcens ad Deum confugit, quam victricis gratiæ ſuavitatem dulcedinem & delectationem, qua perfuſum hominis pœnitentis cor totum colliqueſcit, reperire poteſt Janſenius, cum fateatur ipſe lib. 5. de grat. Chriſti. cap. 23. gratiam Chriſti affectum prorsùs oppoſitum, timori in voluntate gignere?

Objic. Tota S. Auguſtini doctrina illi celebri principio nititur: in omni actione voluntatis, delectatio eſt ratio operandi ſive bonum, ſive malum: ſic lib. 1. ad Simplic. quæſt. 2. *Quis autem animo amplectatur aliquid quod eum non delectat*, infra: *voluntas ipſa, niſi aliquid occurrat, quod delectet atque invitet animum, moveri nullo pacto poteſt*: lib. de ſpir. & lit. cap. 29. *inſpirata gratia ſuavitate facit plus delectare quod præcipit, quàm delectat quod impedit*; lib. 2. de Geneſ. contra Manichæos, cap. 14.

Ratio nostra deduci ad contemptum peccati non potest, nisi cum delectatione mota fuerit; ergo delectatio est ratio operandi, seu causa & motivum proximum omnis humanæ actionis.

Resp. Dist. antec. In omni actione voluntatis delectatio, est ratio operandi ut plurimùm sicut allata testantur S. Augustini verba, Conc. semper, Nego. ut constat tum ex dictis in probatione, tum ex eodem S. Augustino, qui in Psal. 127. ait. („ Audiunt hæc homines, *vermis eorum non morietur & ignis eorum non extinguetur.* “) & quia„ verè futura sunt impiis, timent & continent se á peccato, timent quidem, sed non amant justitiam: cum autem per timorem continent se à peccato, fit consuetudo justitiæ, & „ incipit quod durum erat, amari, & dulcescit Deus, & jam„ „incipit homo bene vivere... timet ne mittatur in gehen-„nam, bonus est & iste timor utilis est. “) quibus liquet hominem recedere á peccato propter gehennæ timorem, tanquam propter motivum proximum. Ubi hoc in timore viget delectatio?

Nec juvat respondere hominem se ab actu externo peccati propter timorem continere, non veró ab interna voluntate peccandi, id, inquam, non juvat tum quia timor de quo S. Doctor ibi loquitur is est quo bona vita retinetur & bona conscientia comparatur; sed nisi ejusmodi timor voluntatem peccandi excluderet, neque bona vita retineretur, neque bona conscientia acquireretur: tum quia timor ille excludit peccatum, ait Aug. at peccatum nedum in actione externa, sed & in interno voluntatis actu consistit; ergó ex S. Augustino

ſtino conſtat hominem abſtinere à malo ex motivo diſtincto á delectatione.

Conſtat pariter ex eodem S. Doctore hominem induci ad peccatum altero á delectatione motivo. Nam lib. 2. de peccatorum meritis & remiſſ. cap. 10. ſcribit, etiam illa peccata juſtè imputari quæ non delectationis illecebra committuntur, ſed causâ devitandæ moleſtiæ alicujus aut doloris aut mortis. S. Auguſtino aſtipulatur S. Proſper fideliſſimus ejus interpres & diſcipulus, qui libro contra collatorum cap. 7 ait, [„ Trahit timor, principium enim „ſapientiæ timor Domini, trahit lætitia, quoniam *Lætatus* „*ſum in his quæ dicta ſunt mihi*, trahit deſiderium, quo„niam *concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini*, „trahunt delectationes, *quam dulcia enim faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo*, quibus docet S. Proſper non ſola delectatione, ſed aliis motivis hominem ad bonum præſtandum aut ad bonum fugiendum induci.

Inſt. Idem ſit de actione humana, quæ bona eſt, ac de actione humana, quæ mala eſt: ſed actio humana, quæ mala eſt à delectatione oritur; nam actio peccati eſt actio humana, quæ mala eſt: atqui actio peccati á delectatione oritur, juxta illud S. Auguſtini lib. 22. contra Fauſtum, cap. 28. initio & in fine: („ Si nihil delectaret illicitum nemo peccaret. “) ergo &c.

Reſp. Conc. maj. Neg. min. Ad authoritatem S. Auguſtini, Diſt. ſi nihil delectaret illicitum, delectatione deliberata nemo peccaret, Conc. deliberatione indeliberata,

berata, Nego. Delectatio deliberata, ut jam dictum eſt, actus eſt quo voluntas liberè amat objectum, vult objectum, eligit objectum, ſive eſt ipſa electio voluntatis, hoc pacto nemo peccaret, niſi objectum illicitum amaret, eligeret & ſibi in ipſo complaceret, ſic nulla eſt res quantumvis moleſtiam & moleſtiam pariens, quæ non delectet, ubi eam voluntas amat, eligit & in ipſa complaceat: de hac delectatione libera, loquitur loco in objectione laudato. Certùm quippe eſt angelos rebelles & primum hominem peccaſſe, quod illicitum eos delectarit, illa veró delectatio illicita non fuit indeliberata, & conſenſum voluntatis antegrediens, nullus enim motus delectationis indeliberatus angelos & primum hominem ad delectationem noxiam provocare poterat; undé non aliâ ratione peccaverunt, niſi quia delectationem, id eſt, liberam volitionem & electionem non refrænaverunt, quam „tamen refrænare potuerunt: [„ In eo genere ita rationalia „facta ſunt, ait ibid. S. Auguſtinus, ut ineſſet eis poſſibili„tas frænandi delectationem ab illicito, quam non frænando peccaverunt. ") Peccaverunt ergò primus homo & angeli, quod aliquid illicitum eos delectarit, adeoque in illa ſententia. *Si nihil delectaret illicitum, nemo peccaret.* Vox hæc, *delectaret*, non indeliberatum complacentiæ aut deſiderii motum, quo illi circa malum caruerunt, exprimit; ſed ipſum potiùs liberum amorem, quo rei illicitæ cum delectatione adhæſerunt. His liquet, quàm falſa ſit Janſenianorum ſententia, docens neminem ſeſe ad actionem aliquam accingere, niſi prius ab antegreſſa delectatione indeliberata ad illam provocetur. Cum multæ actiones quotidie non ex titillante delectatione, ſed ex aliis motivis ſuſcipiantur.

CON-

CONCLUSIO SECUNDA.

Efficacia gratiæ non eſt repetenda ex delectatione indeliberata, cœleſti, ſuperiore & relativé ad minorem oppoſitam delectationem victrice.

Pr. Sententia quæ vim & efficaciam gratiæ repetit ex indeliberata ac victrice cœleſti delectatione falſa eſt. Nam ſententia, quæ vim & efficaciam gratiæ repetit ex delectatione indeliberata & relativé victrice, docet voluntatem neceſſariò ſequi præviæ illius ac indeliberatæ delectationis illecebram. Sic Janſenius l. 8. cap. 3. („Perſpicué apparet „impoſſibile eſſe, ut adjutorium illud cœleſtis delectatio„nis non determinet, imò prædeterminet voluntatem, quia „facit ut velis, & ſine illa velle non poſſis; facit etiam ut ardentius velis, & ſine illa ardentius velle non poſſis, facit" denique ut neceſſe ſit animum ſequi: & ſecundum iſtud" operari quod amplius delectaverit. ") & lib. 4. c. 8. „)" Secundum id operemur neceſſe eſt, quod amplius nos" delectaverit. „] Atqui falſum eſt voluntatem neceſſarió" ſequi indeliberatæ cœleſtis delectationis relativé victricis illecebram, tum quia imo: de fide eſt voluntatem gratiæ efficaci quantumvis victrici *poſſe diſſentire ſi velit*: at diſſentire non poſſet delectationis cœleſtis relativè victricis illecebræ, ſi eam neceſſario ſequeretur. Tum quia nemo poſſet alió tendere, quam eò, quó antegreſſa & indeliberata delectatio cœleſtis ſuperior illum inclinaret; quod tamen quam falſum ſit, declarat ipſe S. Auguſtinus lib. 8. confeſſionum cap. 8. *non faciebam*, inquit, *quod & incomparabili affectu magis placebat, & mox ut vellem, poſſem;* perinde ac

de ac si diceret se á Deo fuisse vehementer motum & excitatum, ut continens esset, nihilominùs post acceptum incomparabilem & indeliberatum affectum; quo sibi magis placebat continentiæ delectatio, gratiæ restitisse atque voluptati tametsi minus allicienti cessisse. Egregium sané S. Augustini testimonium quod omninò evertit illam necessitatem, quam Janseniani jactitant inferre voluntati delectationem indeliberatam relativè superiorem; quare nullum lapidem non movent, ut vim illius vel eludant vel enervent.

Reponunt 1mo: continentiam speculativè magis Augustino placuisse, non veró practicè.

Contrá: continentiam magis placuisse speculativè Augustino, quam practicè, nihil aliud est quám continentiam visam fuisse intellectui ejus gratissimam ac jucundissimam, non veró talem apparuisse illius voluntati, quod profectó refellitur ipso S. Augustini contextu, nam asserit continentiam incomparabili affectu magis ipsi placuisse, at affectus est motus ad voluntatem solam pertinens.

Reponunt 2do: S. Augustinum intelligi debere de delectatione superiori, libera & consequente aut saltem concomitante, nec aliter explicandum esse illud S. Augustini axioma: *secundum id quod magis delectat, operemur necesse est.*

Contra 1mo: Si Janseniani intelligant præfatum axioma *secundùm id quod amplius delectat &c.* de delectatione deliberata, evanescunt omnia SS. Patrum & præcipuè S. Augu-

S. Auguſtini quæ congerunt teſtimonia, ad ſtabiliendam ſuam de delectatione ſuperiori indeliberata ſententiam, ex qua vim & efficaciam gratiæ ſuæ repetunt. Ideo enim ſuſtinent gratiam efficacem, quam in delectatione indeliberata & relative victrici conſtituunt, inferre voluntati neceſſitatem, quia ait S. Auguſtinus *quod ampliùs delectat, ſecundùm id neceſſe eſt operari*; at delectatio libera & concomitans nullam voluntati neceſſitatem imponit; igitur ſi præfatus Auguſtini textus ſit de delectatione deliberata intelligendus, ruit totum Janſenii ſyſtema, ſi veró illud de delectatione indeliberata intelligant, omnem illis fidem abrogat præallatus S. Auguſtini textus; *non faciebam quod incomparabili affectu magis mihi placebat*, id eſt, quod majori & indeliberata delectatione mihi placebat, non enim de deliberata complacentia & delectatione loquitur S. Auguſtinus; aliás haud dubiè feciſſet quod ſibi majori affectu arridebat, nullus enim eſt qui non operetur ſecundùm id quod magis delectat delectatione deliberata, quia nullus eſt, qui non operetur ſecundúm id quod eligit, vult, præponit, magis amat, quippe cum operatio exterior & libera ſequatur liberum hominis conſenſum, electio veró amor &c. ſint vel conſenſus ipſe voluntatis, vel quid ſequens conſenſum, nemo eſt qui neceſſariò, neceſſitate ſcil. conſequente, non operetur ſecundùm id quod magis delectat.

Undé S. Auguſtinus in hoc ſuo celebri effato, quod in Enarrat. in Epiſtolam ad Galatas profert & quod unum nobis intentat Janſenius. *Quod ampliús nos delectat*, ait,

secundum hoc operemur necesse est, non autem dixit, *secundùm hoc volumus necesse est*; etenim si loco *operemur* substituisset *velimus*, sequeretur illud verbum, *delectat*, in Augustiniana phrasi importare delectationem indeliberatam & præcedentem actum liberum voluntatis, ac proinde hic sensus esset: quod magis delectat delectatione indeliberata & objectiva ita necessariò voluntatis consensum abripit, ut posita prævia illâ delectatione, *necesse sit ut velimus*. Verùm quia noverat S. Doctor nullam delectationem indeliberatam inferre voluntati necessitatem, non dixit in suo axiomate necesse est *ut velimus* sed absolute pronuntiavit, *quod nos magis delectat secundùm hoc operemur necesse est*, id est, quod magis volumus, nobis magis placet, illud quod ex pluribus objectis delectantibus eligimus quod magis amamus, *secundúm hoc operemur necesse est*, quia nostra operatio externa necessarió sequitur determinationem liberam seu consensum voluntatis.

Pr. 2do: si delectatio voluntatis, quæ est motus indeliberatus complacentiæ aut desiderii, tunc censetur consensum necessarió exprimere seu voluntatem necessarió ad consentiendum determinare, quando contraria delectatione non oppugnatur, consequens est quosdam angelos & Adamum necessario Deum amavisse, & nunquam peccavisse, sed in justitia perseverasse, quia summa delectatione in statu innocentiæ perfundebantur, ait Jansenius lib. II. de gratia imi hominis cap. 12, nec talis delectatio contraria delectatione

tione oppugnata fuit, hæc enim delectatio contraria terrena fuisset: at docet Jansenius delectationem terrenam in natura integra reperiri non potuisse; ac inde colligit lib. 4. de Grat. Chri. cap. 9. peccatum primi hominis sine delectatione terrena præcedente perpetratum esse, atqui tamen neque angeli nonnulli, neque primus homo in justitia & innocentia perseveraverunt, in peccatum enim lapsi sunt; ergó summa illa & indeliberata delectatio, qua juxta Jansenium nonnulli angeli & Adam deliniebantur, eos necessarió ad bonum & ad amorem Dei non determinabat. Quid ad hæc obtrudere possunt duplicis delectationis defensores? 1mo: respondere nequeunt delectationem cœlestem statûs innocentiæ esse naturâ diversam á delectatione statûs naturæ lapsæ, quippe juxta Jansenium, lib. de grat. primi hom. cap. 13. gratia hominis innocentis & gratia hominis lapsi non discrepant nisi secundúm *magis & minus*; neque 2do: opponere possunt delectationem innocentis naturæ inclinasse quidem Adamum ad amorem Dei, non veró ipsum necessarió determinasse: atècontra conditio & infirmitas naturæ lapsæ exigit, ut delectatione præeunte ad bonum determinetur, id, inquam, reponere non possunt, cúm nullus sit in S. Augustino locus, undè repetatur ejusmodi delectatio hoc in statu prædeterminans; imò nihil legitur apud ipsum frequentiùs, quàm quod voluntas sub gratia quantùmlibet efficaci posita, plenam & perfectam retineat indifferentiam & indeterminationem, ut centies ostensum est in prima parte.

3tio: Dicent ne delectationem cœlestem Adami fuisse oppugnatam delectationis contrariæ afflatu, huncque afflatum

 tum

tum fuisse peccati Adami & Evæ causam, juxta illud S. Augustini in Psalm. 118. 9: initio; („ Delectavit eos, *eritis sicut Dii*: & sic á mandato, quod sibi eum mandasse sciebant" & quod facillimé nulla infirmitate revocante, impediente," tardante, implere poterant, per hanc superbiam declinarunt." ") Ubi S. Doctor significat delectationem cœlesti delecta-" tioni contrariam fuisse Adamo peccati causam? Recté" quidem: sed talis delectatio, quæ fuit Adamo & Evæ peccandi causa; ad peccatum eos non determinavit, ad illud enim plané indifferentes & indeterminati erant, juxta S. Augustinum, lib. 11. de Genesi ad lit. („ Continuô se à luce veritatis avertit superbia tumidus, & propriæ potestatis" delectatione corruptus. ") Quibus significatur Adamum & Evam delectatione libera & á proprio arbitrio dependente se magis oblectasse in hac serpentis promissione, *eritis sicut Dii*, quam in executione hujusce mandati sibi á Deo impositi, *de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas*; ac proinde delectationem liberam fuisse primi parentibus causam peccandi.

Prob. 3tio: S. Augustinus, Serm. 17. de verbis Apost. cap. „5. scribit: [„ Præponite delectationi carnis, delectationem „mentis, carnem quippe vestram delectant illicitæ voluptates, mentem vestram delectet invisibilis, pulchra, casta, „sancta, canora, dulcis justitia &c. "] In hoc S. Augustini testimonio fit sermo, 1mo: de delectatione indeliberata & objectiva carnis & justitiæ, seu concupiscentiæ & gratiæ. 2do: de delectatione deliberatâ, voluntariâ & proprii arbitrii, hanc suadet homini Augustinus, id est, suadet ele-

ctionem

ctionem delectationum mentis, potiúsquam carnis delectationum, *præponite*, inquit, *delectationi carnis delectationem mentis*. Atqui S. Doctor non suaderet homini præponendam esse delectationem mentis delectationi carnis, nec id suadere posset, si nempe una ex hisce duabus delectationibus alteram superioritate vinceret, vel si ambæ essent gradibus æquales, etenim imo: si una alteram gradibus superaret, si v. g. delectatio carnis esset superior gradibus delectatione mentis, ita hominem secundùm Jansenianum systema, ad consentiendum carnis illecebræ determinaret, ut ei necessariò consensum daret, juxta illud Jansenii ex Augustino axioma deprômptum & malé explicatum, *quod nos amplius delectat necesse est ut operemur*; igitur S. Augustinus nec suaderet, nec suadere posset homini præponendam esse delectationem mentis delectationi carnis, quippe non potest suaderi actio bona, ubi actio mala ipsi opposita necessarió fit. 2do: Si ambæ delectationes essent æquales gradibus, ita secundùm Jansenii systema, hærerent æquilibres, hominemque adeò & necessariò suspensum tenerent, ut versùs unam partem, potiùsquam versùs alteram tendere non posset; ergò frustrà S. Augustinus ipsi suaderet præponendam esse delectationem mentis delectationi carnis. Attamen id suadet S. Doctor; igitur falsa est sententia Jansenii delectationem indeliberatam & relativé superiorem voluntati necessitatem ad agendum inferre: atque adeò falsa est sententia, quæ vim & efficaciam gratiæ ex delectatione indeliberata cœlesti & relativé victrice repetit.

SOL-

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. Ex S. Augustino, Homil. 20. („ Quomodo, *inquit*, te á te liberat Deus? dimittendo peccata, donando merita, dando tibi vires pugnandi adversús concupiscentias tuas in inspirando virtutem, dando menti cœlestem delectationem, qua omnis terrena delectatio superetur. “) Similia passim habet alibi, quibus significat sanctus Augustinus cœlestem delectationem, in qua consistit gratia efficax omnem terrenam delectationem vincere, undé sic arguo: ab illa delectatione repetenda est efficacia gratiæ, quæ superat delectationem terrenam: atqui delectatio cœlestis omnem superat delectationem terrenam ex verbis citatis; ergó efficacia gratiæ consistit in delectatione cœlesti & victrici.

Resp. 1mo: Dist. maj. Ab illa delectatione aliquando repetenda est gratiæ efficacia quæ superat terrenam delectationem, Conc. semper, Nego. Alioquin nulla esset gratia efficax præter delectationem, cujus contrarium ostensum est in conclusione præcedente quæ docet omnem actionem humanam non procedere á delectatione: attamen requiritur gratia efficax ad actionem humanam, quæ est bona; igitur gratia omnis efficax non est delectatio, nam inter actiones bonas nonnullæ sunt in quibus mens nulla suavitate allicitur, variis enim & ineffabilibus modis Deus ad se trahit voluntates, ait S. Augustinus, per metum, per dolorem &c. at quæ delectationis suavitas in proximo doloris & tristitiæ motivo? quod si plerumque gratiam efficacem per verbum *delectat* exprimit, per *delectat* intelligit

ligit illud omne quod invitat, quod attrahit & prævenit voluntatem. Undè Jansenius lib. 6. de grat. Christi. c. 5. scribit. („ Ipsum quoque voluntatis apicem ad se sive „in malo, sive in bono blandiendo, aut aliter efficiendo trahunt „aut retrahunt. “) ubi per *aliter afficiendo* Intelligit Jansenius voluntatem interdum aliter, quam delectationis sensu moveri.

2do: Etsi gratis darem omnem gratiæ effiicaciam consistere in delectatione, nihil exinde inferri posset in favorem præsentis conclusionis, hæc enim vult delectationem gradibus superiorem necessitare voluntatem: quod falsissimum esse declarat S. Augustinus supra ubi monet delectationem mentis præponendam esse delectationi carnis, quamvis hæc animam penitùs afficiat.

Resp. 2do: Neg. maj. Nam delectatio indeliberata fortior delectatione sibi opposita, non semper voluntatis consensum allicit; minima enim gratia potest superare ardentiorem cupiditatem, atque adeò impedire quominùs voluntatem ad assentiendum rapiat.

Resp. 3tio: Non concessis, sed duntaxat permissis majore & minore, Dist. probationem minoris: citata S. Augustini verba significant delectationem cœlestem superare delectationem terrenam & per delectationem cœlestem sæpe intelligit S. Doctor gratiam habitualem seu charitatem, Conc. semper intelligit gratiam actualem, Nego. Nam lib. de Continentia cap. 3. explicans hæc Apostoli verba, Rom. 6. *Non ergò regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum*

diendum concupiſcentiæ ejus . . . . . *non enim eſtis ſub lege, ſed ſub gratia.* Per gratiam eò loci intelligit S. Auguſtinus gratiam habitualem ſeu charitatem; quippe gratia actualis eſt tranſiens & fluens, ſub qua nemo manere dicitur, bene verò ſub gratia habituali; ergò delectatio quâ continentia ampliùs delectat, quàm concupiſcentia, de qua loquitur ibid. Auguſtinus dicens: [„ Dominus dat ſuavitatem benignitatis, qua delectat ampliùs continentia, "] eſt gratia habitualis. Ibid. c. 8. in hæc verba; "] *Ergò debitores ſumus non carni, ut ſecundum carnem vivamus* . . . . . " *quotquot enim Spiritu* Dei *aguntur, ii ſunt Filii* Dei. Filii au-" tem Dei propriè non vocantur, niſi qui inhabitantem in ſe habent charitatem diffuſam per Spiritum San-" ctum qui datus eſt eis. Igitur per delectationem S. Auguſtinus non rarò intelligit charitatem & gratiam habitualem. Jam verò quando Janſeniani cum ſuo Magiſtro obgarriunt neceſſariò operandum eſſe ſecundum id quod magis delectat, per illud delectat intelligunt delectationem actualem & indeliberatam, non verò deletationem habitualem aut charitatem, aliàs juſtus in quo regnat habitualis gratiæ delectatio, ampliùs peccare non poſſet, quippe ſemper neceſſariò delectationis motum ſequeretur. Subindeque alieni ſunt à mente S. Auguſtini, qui quoties exprimit gratiam per majorem delectationem, non ſemper gratiam actualem intelligit, ſed ſæpe gratiam habitualem, quod evertit ſententiam Janſenii aſſerentis omnem gratiæ efficaciam ex delectatione cæleſti actuali repetendam eſſe.

Inſt. S. Auguſtinus, lib. de ſpir. & lit. c. 29. [„ Per fidem

fidem confugias ad misericordiam, ut det quod jubet, atque inspirata gratiæ suavitate per Spiritum Sanctum faciat plus „delectare quod præcipit, quàm delectat quod impedit. [„ „Idem in exposit. Epist. ad Galatas: [„ Regnant ergò spi- „rituales isti fructus in homine, in quo peccata non regnant; „regnant ista bona si tantùm delectant, ut ipsa teneant ani- „mum in tentationibus, ne in peccati consensionem ruat, „quod enim ampliùs nos delectat secundùm id necesse est „operemur v. g. occurrit forma speciosæ fæminæ & movet „ad delectationem fornicationis: sed si plus delectat pulchri- „tudo illa intima & sincera species castitatis per gratiam, „quæ est in fide Christi, secundùm hanc vivimus, & secun- „dùm eam operamur, ut non regnante in nobis peccato ad „obediendum desideriis ejus, sed regnante justitiâ per „charitatem, cum magna delectatione faciamus quidquid in ea Deo placere cognoscimus.“) Hîs S. Augustinus docet hominem necessarió agere secundùm majorem & fortiorem delectationem: illa autem delectatio est actualis; delectatio enim quam immittit formosa fæmina est actualis ac proindè gratia efficax, quâ homo bonum operatur, suam vim & efficaciam desumit à delectatione actuali gradibus superiore & relativè victrice.

Resp. 1mo: Primum textum intelligendum esse de delectatione habituali, non actuali; ut explicat idem S. Doctor, lib. cit. cap. 4. („ Neque ullum peccatum nisi“ concupiscendo committitur; sed ubi sanctus non adjuvat“ Spiritus, inspirans pro concupiscentia mala concupiscen-“ tiam bonam, hoc est, charitatem diffundens in cordibus“ nostris, profectó lex illa *non concupisces*, quàmvis bona, auget

 prohiben-

prohibendo desiderium malum. ,,)

Resp. 2do. Quod ubi S. Augustinus de delectatione actuali loquitur, intelligendus sit non de delectatione actuali indeliberata & objectiva gratiæ aut concupiscentiæ, sed de delectatione deliberata, quæ supponit liberam voluntatis electionem, determinationem, ac beneplacitum ejus, quare ad famosum S. Augustini axioma, quod Jansenius vult aureis characteribus in omnium cordibus imprimi, *Quod magis nos delectat, secundùm id operemur, necesse est.* Dist. quod magis nos delectat delectatione deliberata, seu quod magis volumus, amamus, nobis placet, secundùm id operemur, necesse est necessitate consequente consensum & beneplacitum voluntatis, Conc. quod magis nos delectat delectatione indeliberata & prævertente omnem voluntatis deliberationem, Nego. Jam non semel hæc Augustini phrasis supra exposita est. Vide ibi. Et certè exemplum, quod S. Augustinus statuit expositioni nostræ clarissimam lucem affert, nam supponit quód occurrat homini forma speciosæ mulieris, qua movetur ad delectationem fornicationis, qui tamen si plus delectatur interna pulchritudine castitatis, secundùm illam majorem delectationem vivit & operatur; porrò delectatio illa secundùm quam necessariò operatur, non est indeliberata & objectiva, sed deliberata & subjectiva, quoniam operatio exterior fluit ex interiori & libera voluntatis delectatione; (,, Ma-,,nifestum est enim certè, *ait ibid. S. Doctor*, secundùm ,,id nos vivere quod sectati fuerimus, sectabimur autem quod dilexerimus. "] Ex quibus omnibus constat efficaciam

gratiæ

gratiæ malé à Janſenianis ex delectatione cœleſti indeliberata & gradibus ſuperiore repeti, & eó magis quod S. Auguſtinus ſcribit conciliationem gratiæ cum libero arbitrio eſſe valdé difficilem, ſic lib. de grat. Chri. cap. 47. ait: [„ Ubi de arbitrio voluntatis & de Dei gratia diſputatur, ita eſt ad diſcernendum difficilis, ut quando defenditur liberum „arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem aſſeritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri. "] At in ſyſtemate delectationis relativé ſuperioris nulla eſt difficultas conciliandi gratiam cum libero arbitrio, quis enim ita plumbeus non adverteret, hanc gratiam neceſſitare liberum arbitrium, ac proindé ſi liberum arbitrium ſtet cum neceſſitate, nemo ulla difficultate laborabit in conciliatione utriuſque? Attamen tota difficultas in utroque conciliando eſt, ut videlicét per gratiam non inſæratur vis libertati humanæ; igitur ſtante difficultate ſervandi liberum arbitrium ſub gratia efficaci poſitum, ruit funditús ſententia quæ efficaciam gratiæ ex delectatione ralativé victrici & gradibus ſuperiore repetit: hæc veró ſententia eſt Janſenii ejuſque diſcipulorum ſententia.

Dénique quomodo gratia victrix voluntatis rebellionem frangat ejuſque conſenſum alliciat? ita ſemper viſum eſt S. Auguſtino arcanum explicatu difficile, ut hujus myſterii expoſitionem ad Dei omnipotentiſſimam voluntatem referat. („Legant, inquit, lib. de gratia Chriſti. cap. 24." intelligant & intueantur interna atque occulta, atque ineffabili poteſtate operari Deum in cordibus hominum . . . . . . bonas voluntates. ") Sed modus explicandi vim gratiæ victricem per cœleſtem delectationem relativé ſeu per gradus

opposita delectatione terrena superiorem facilis est nihilque abstrusum & intricatum continens: novit enim quicumque sit ex duobus ponderibus in bilance positis illud quod majus est, ad se minus necessarió trahere, ita in sententia quæ efficacem gratiam in delectatione relative victrici constituit, servata proportione sic se habet, talis enim delectatio utpotè gradibus superior oppositam, quæ est minor & debilior, necessarió vincet: quid in hoc systemate mentis humanæ aciem transcendit? est ne mirabile in oculis nostris quod gigas pigmeum vincat?

Quæres utrum Janseniani meritó de Molinistis conquerantur? respondebit.

CONCLUSIO TERTIA.

Jansenianorum de Molinistis quærela prorsùs injusta est.

Pr. Ut alicujus de altero querela justa sit, debet, is qui conqueritur, ab illa reprehensione erroris abesse, quem in alió redarguit, unde Christus Dominus Math. 7. alloquens hypocritas iisdem criminibus, quæ in aliis carpebant, involutos: ait, *Quomodo dicis fratri tuo, sine ejiciam festucam de oculo tuo, & ecce trabs est in oculo tuo? hypocrita ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.* Quibus liquet hominem jure non posse in altero damnare crimen, cujus ipse conscius est: atqui Janseniani iisdem erroribus subjacent, de quibus Molinistas expostulant.

Etenim

Etenim Janſeniani quatuor capita in Moliniſtis moleſtè ferunt, 1mum: eſt uſus ſcientiæ mediæ. 2dum: eſt efficaciæ gratiæ in actu 2do ab humana voluntate dependentia; 3tium: eſt conditio, quam ex parte creaturæ ſupponunt Moliniſtæ, undè efficacia gratiæ pendere dicatur; 4tum deniquè eſt quod nullum diſcrimen intrinſecum admittant Moliniſtæ inter gratiam ſufficientem & efficacem: atqui hæc quatuor capita de quibus Moliniſtas & Congruiſtas expoſtulant Janſeniani, ſeu delectationis ſuperioris defenſores, in eorumdem caput recidunt; ergò injuſta eſt Janſenianorum de Moliniſtis & Congruiſtis querela. Maj. conſtat, Prob. min. quoad omnes partes.

1mo: Quod 1mam: Uſus ſcientiæ mediæ in eo conſiſtit, quòd Deus per eam prius dirigatur, quám aliquid abſolutè futurum decernat, hunc uſum Janſeniani ubique criminari conantur, qui tamen ad eundem neceſſarió confugere tenentur, quippe explicare nequeunt quomodo Deus ſtatuat conferre alicui victricem gratiam, niſi aſſerant ipſum prius explorare, quot ille habeat concupiſcentiæ gradus, ut nimirum ſuam ipſis commenſuret, ac ſuperiorem accommodet delectationem; quod ſi non fecerit, incertus ac dubius erit, quis futurus ſit gratiæ effectus; ſiquidem ſcire non poteſt, quod gratia futura ſit victrix, niſi certó noverit eam futuram eſſe ſuperiorem concupiſcentia; hæc enim invicta ſtat, niſi á ſuperiori delectatione vincatur. Jam verò noſſe non poteſt, niſi explorando numerum hujuſce concupiſcentiæ graduum, ut certó ſcire poſſit quot gradus neceſſarii ſint gratiæ quam conferre ſtatuit ad vincendam talem oppoſitam concupiſcentiæ de-

lectationem: Porró Deum explorare antequam gratiam alicui tribuat, quod sint in illo concupiscentiæ gradus, ut superiorem gratiæ delectationem hisce gradibus reddat, est ipsum dirigi per usum scientiæ mediæ, nihil enim aliud per illum scientiæ usum Congruistæ intelligunt; igitur in systemate delectationis relativé victricis idem viget scientiæ mediæ usus, qui & viget in opinione Molinistarum & Congruistarum.

Prob. 2da pars; Defensores delectationis relativé victricis Molinistas & Congruistas Semi-Pelagianismi insimulant, quod juxtá eos gratia non sit perse & ex naturâ suâ victrix in actu 2do: sed dependenter á quibusdam circumstantiis extrinsecis: atqui hoc idem tuentur Janseniani: namque gratia per se & ex natura sua victrix & efficax, talis est, ut ubicumque reperiatur, semper suum effectum assequatur, omnemque superet resistentiam; gratia per se efficax, aiunt Thomistæ, talis est indepententer ab ullo respectu extrinseco: sic quia homo per se & ex natura sua est rationalis, in quibuscumque circumstantiis ponatur, non desinit esse rationalis, sed gratia relativé victrix non est semper & in omnibus circumstantiis victrix, sed in eo duntaxat homine, in quo occurrit opposita inferior concupiscentia: delectatio victrix, ait Jansenius, lib. 8 de grat. Chri. cap. 2. [„ Quæ Augustino est efficax adjutorium, „relativa est, tunc enim est victrix, quando alteram superat; „quod si contingat alteram ardentiorem esse, in solis in„efficacibus desideriis hærebit animus, nec efficaciter unquam volet quod volendum est; “) igitur gratia victrix & efficax in actu 2do non ex propria & interna

virtute

virtute talis est, sed ab aliquo extrinseco, nempé á minori oppositæ cupiditatis resistentiâ; quæ certé opinio gratiam injuriâ afficit, sicut enim qui vellet alicujus gigantis commendare fortitudinem, loco laudis injuriam illi irrogaret; prædicando nempe ipsum semper adversús puerum decertantem evadere ac fieri victorem, quam enim gloriam homo omni fortitudine vallatus colligere potest ex victoria, quam ex pigmæo omnibus viribus destituto refert; sic in laudem gratiæ redundare non potest, quod concupiscentiam sibi oppositam & gradibus plane inferiorem vincat atque superet, quapropter etiam hac in parte injusta est Janseniatorum de Congruistis querela.

Respondet Nicolius sub fucato nomine Wendrochii in notis ad 18. Epistolam Montaltii seu Pascalis gratiam efficacem dupliciter spectari posse? 1mo: secundum se. 2do: cum divina voluntate conjunctam, & ut est ejus instrumentum; cum enim divina voluntas misericorditer cum hominibus agere decrevit, eligit difficultati attemperata remedia.

Contra: Hæc responsio non reddit gratiam relativè victricem, intrinsecé & ex natura sua efficacem & victricem, nam idem responderet Molinista interrogatus, an gratia efficax suo unquam privetur effectu? responderet, inquam, suum semper sortiri effectum, non quod ex se & ex virtute intrinsecè illum in omnibus circumstantiis infallibiliter habeat, sed quod sit instrumentum Dei, quo ita oportune in congruis circumstantiis utitur, ut per ejusmodi gratiam quidquid voluerit, quando & quomodo voluerit, infallibiliter assequatur; unde Janseniani, qui volunt

gratiam

gratiam esse victricem & instrumentum Dei quo obtinet victoriam in homine, quando nempe minor viget in eo delectatio opposita, non possunt prædicare gratiam esse ex se & ex vi intrinseca efficacem & victricem, nisi talem esse Molinistarum & Congruistarum gratiam asseverent, hæc quippe semper est victrix & efficax in homine, in quibus vigent circumstantiæ ejusmodi gratiæ congruæ & attemperatæ.

Prob. 3tia pars. Janseniani invehuntur in Molinistas, quod hi supponant ex parte creaturæ aliquam conditionem, unde efficacia gratiæ pendere videatur, quæ consistit in eo quod gratia conferatur in his circumstantiis, in quibus homini congruat, sed Janseniani non possunt exponere vim gratiæ esse á se & ex natura sua efficacem, ut prætendunt, nisi supponant aliquam ex parte hominis conditionem, si nempe minor fuerit concupiscentia, adeoque minor voluntatis resistentia, si enim hæc major fuerit, statim gratia cessat esse victrix. Quapropter quemadmodum Molinistæ aiunt suam gratiam semper esse efficacem etiam in actu 2do, quoties nimirum occurunt circumstantiæ, quarum ratione vel non, vel parum resistit voluntas, sic Janseniani respondere tenentur juxta suum systema, quod gratia semper sit efficax & victrix in actu 2do, quoties in homine occurrit conditio congrua scil. minor concupiscentia, ratione cujus vel nihil, vel parum resistat voluntas; atque adeo conditio extrinseca quam delectationis relativé victricis patroni in systemate Molinistico ægrè patiuntur, sese manifesté exhibet in systemate Janseniano; attamen præfatæ victricis gratiæ tutores damnant in Molina, quod in Jansenio appro-

probant, ubi precor hac in agendi ratione æquitas & justitia?

Prob. 4ta pars: Janseniani conqueruntur, quod Molinistæ doceant eandem entitativé gratiam esse modó efficacem, modò sufficientem ; efficacem, quando in his circumstantiis illam Deus dat, in quibus non resistit voluntas: atqui hoc ipsum idem est in rei veritate Jansenianorum dogma, qui sustinent eandem entitativè gratiam habentem sex gradus virium esse in Petro, v. g. modò victricem, quando scil. in eo occurrunt duntaxat quatuor vel quinque oppositæ cupiditatis gradus ; modó sufficientem ubi septem & octo opponuntur gradus concupiscentiæ ; igitur Janseniani hac in parte conveniunt cum Molinistis, neque idcircó est undè tam Molinistas lacessant.

Reponunt Janseniani gratiam relativè victricem, sufficiente majorem esse in ratione doni : quia Deus eam homini confert, ut suum effectum obtineat, & in priori instanti quám decernat eam conferendam, ita est affectus erga hominem, ut absolutè statuat gratiam, quam homini largiturus est, non fore sine effectu perfecto, paratus uberiorem largiri, si hæc non sufficeret, sed quia aiunt per scientiam visionis prævidet futuram tantam in eo non esse concupiscentiam, quin ad eam vincendam sufficiat talis gratia, ideò majorem tribuere non decernit. Verúm quia prævidet in altero cupiditatem majorem fore, idcircó decernit superiorem gratiam ipsi conferre.

Contra : Idem prorsùs Congruistæ responsum adhibent, nam dicunt gratiam efficacem differre à sufficiente, non ratione entitatis, sed in ratione doni, quia nempè his in circumstantiis Deus illam confert, in quibus prævi-

det obicem ex parte hominis opponendum non esse: Dicunt pariter Deum paratum esse alteram homini, quem vult convertere, subministrare gratiam, si præsciret priorem hanc effectum non habituram ; igitur hac etiam in parte Janseniani non ex æquo Molinistas impetunt.

Reponunt Janseniani suum systema in pluribus à Congruistarum systemate distingui ; imo: dicunt, Deum discernere hominem, quia tantùm ei confert gratiæ, quantùm præscit necessarium esse, ut consensum eliciat. 2do. Aiunt hominem non resistere, non quia in eo minor est concupiscentia, sed quia tota ejus concupiscentia, qualiscumque sit à gratia superatur ; quare non habet homo undè glorietur, sed á gratiâ. Quæ omnia in systemate Molinistarnm reperire non est.

Contra : Non aliter Molinistæ & Congruistæ respondent : 1mo. Quando illis objicitur, quód si gratia non sit per se & ex natura sua efficax, sequitur hominem seipsum discernere. Dicunt hoc esse falsum, quippe discretio hæc ita á Deo venit, ut cùm Deus posset dare gratiam cui hominem non consensurum prævideat, ei tamen ex pura misericordia illam largitur, quâ congrué moveatur & bonum infallibiliter operetur. 2do. Falsum est id quod respondent Janseniani, nempé non ideó hominem consentire, quia minor est in eo contraria cupiditas, sed quod gratia relativè victrix talis sit naturæ, ut concupiscentiam absorbeat, ac veluti extinguat : Quandoquidem hoc si verum esset, hujusmodi gratia infallibiliter effectum suum obtineret in omnibus subjectis quibuscumque reperiretur : quod tamen non accidit, ubi enim occurrit concupiscentia fortior,

tior, vincitur ; ac proindé homo non discernitur ab alio præcisé, quód gratia sit in eo victrix, sed quòd sit relativè victrix, seu quòd debiliorem impugnandam reperiat cupiditatem : undè hæc discretio petitur ab extrinseco, sicut & discretio, quæ fit per gratiam Molinistarum. 3tio. Non magis in systemate Molinistarum homo ex se habet, undè glorietur, quàm in systemate Jansenianorum ; namque Jansenianus non habet undé ex se glorietur, quia per gratiam victricem discernitur ab alio, & ideò discernitur ab alio per gratiam victricem, quia gratia idcircò est victrix, propterea quód in eo minor vincenda occurrit cupiditas, quàm in eo á quo discernitur. Idem planè censet Molinista, dicit enim se non habere undé glorietur, quòd ab alio discretus sit, sed à gratia, non quidem á gratia præcisé & secundùm se, sed ex eo quod hæc gratia conferatur his in circumstantiis, in quibus non occurrit resistentia ex parte voluntatis. Ex quibus apparet quàm immeritò Janseniani Molinistas Semi-Pelagianismi expostulent, ii enim si Semi-Pelagianismi lue sordescant , eadem sorde conspercantur & Janseniani : at nemo Jansenio & Jansenii sectatoribus Semi-Pelagianismum impegit ; ergó neque illum Molinistis impingere potest; nec in hoc Janseniani á fide Catholica alieni apud omnes audiunt, in quo igitur ? in eo nempe quód eorum delectationis relativé victricis systema sit in moribus perniciosum & doctrina hæreticum, ut ostendent sequentes conclusiones.

CONCLUSIO QUARTA.

Systema delectationis relativé victricis est perniciosum in moribus.

 Pr. Illud

Pr. Illud ſyſtema eſt in moribus perniciosſum quod eſt á recta ratione devium, cum enim recta ratio primum inter morum regulas locum habeat, quod ab ipſa alienum eſt, in moribus perniciosſum eſt: atqui ſyſtema geminæ delectationis relativé victricis á recta ratione deviat, nam recta ratio dictat homini non eſſe vivendum more pecudum, quæ inſtinctu naturali feruntur versùs ea, quæ ipſarum ſenſus magis delectant: ſed ſyſtema geminæ delectationis relative victricis docet eſſe vivendum & operandum ſecundúm id quod ampliús delectat; ergó qui vivit & operatur ſecundúm illud ſyſtema, pecudum inſtar vivit & operatur; ac proinde vivendo & operando á recta ratione deviat.

Præterea nemo neſcit ſyſtema Epicuri odioſum ſemper ſapientibus viſum fuiſſe, propterea quòd docuerit, ſicut & poſt ipſum Simon Magus, cujus meminit auctor Conſtitut. Apoſt. l. 6. cap. 10. non rectam rationem, ſed voluptatem ſolam ſequendam eſſe, quantò magis á ratione deviabit atque omnibus odio debet eſſe doctrina Janſenianorum aſſerentium neminem Chriſtianum in opus aliquod exire, niſi prævià delectatione alliciatur; Epicurei enim erant quidem Philoſophi, ſed Gentiles; Janſeniani verò Theologi ſunt, & Chriſtiani. Epicurei docebant diſcipulos non eſſe cœco impetu delectationum illecebris primâ fronte adherendum, imó illas refrænandas eſſe, ut loquitur quidam apud Ciceronem Epicuri defenſor. Janſeniani veró firmiter tenent Chriſtianos tam neceſſarió primum delectationis, ſi ſola, aut ſi non ſola, fortior tamen ſit, motum amplecti & ſequi ut ab illo abſtinere nequeant. Nec

Nec eſt quod dicant Epicurum in ſola carnali voluptate finem ſuum ultimum collocaſſe; non enim veriſimile eſt, aiunt multi ſapientes, Epicurum virum Philoſophum ſubtiliſſimum ſummam hominis felicitatem in ſola delectatione carnali conſtituiſſe, ſed per voluntatis illecebram, illam intellexiſſe, quæ corpori & menti congrua eſt; atque adeó felicitatem corporis in carnali delectatione, mentis veró felicitatem in delectatione ſpirituali repoſuiſſe; unde apud plures inter eos minùs valebat delectatio, quàm honeſtas, ait Cicero, de fine boni & mali, lib. II. ſed ut appareat, an aptum ſit Janſeniſmi cum Epicuriſmo parallelum? Ex his diſce.

1mo. Obtemperare majori delectationi, quæ eſt vitæ humanæ finis & beatitudo, primum erat inter Epicuri placita, nonne Janſenius docet delectationem eſſe primum humanorum cordium movens, & actionem homini motivum & finem. 2do. Epicurus volebat hominum voluntates eſſe plané liberas, & ita ab omni neceſſitate relativâ & partiali ſolutas, ut vitium aut virtutem ad nutum eligere poſſent. Cic. de Fato. Janſeniani econtrà ſuſtinent delectationem eſſe fortiorem voluntate, eamque á delectationis illicio, invincibiliter, neceſſarió & inevitabiliter rapi. Epicurei putant, ait Cicero, Tuſcul. lib. 5. voluptates *forma, ætate, figurâ metiendas, ab iiſque abſtinere minimé eſſe difficile, ſi aut valetudo, aut officium, aut fama poſtulet: minimé*, inquiunt, *difficile eſt à delectatione abſtinere.* Econtra neceſſarió, aiunt Janſeniani, ardentiori

tiori delectationi in conflictu inferioris, parendum est: uter rectæ rationi conformior, Jansenismus an Epicurismus? In Epicuri systemate homo voluptatis motum sequi tenetur, ubi nullum imminet officio, valetudini aut famæ detrimentum. In systemate veró Jansenii, necessum est agere & vivere *secundùm id, quod ampliùs delectat.* Quibus evidens est Jansenianum systema pejus esse Epicurismó: attamen Epicurismus *non à Philosopho aliquo*, sed á censore *opprimendus est*, ait Cicero de fine boni & mali; lib. II. *non est enim vitium in oratione, sed in moribus.* a fortiori systema Jansenianum, quod ratione & pudore indignum est, nam juxta hoc non minùs necessitatur homo ad malum á superiore cœlesti delectatione, quippe *secundum id quod amplius delectat, necesse est operari*: á fortiori, inquam, systema istud duplicis delectationis omnibus odio esse debet.

Respondebuntne Janseniani delectationem sine qua voluntas seipsam movere non potest, esse spiritualem & non sensibilem? Contra: quomodo ergó terrena delectatio movebit? hæc enim sicut & delectatio cœlestis movet voluntatem. Dicent ne: delectationem cœlestem esse sensibilem? At hoc num minús gratiæ dignitati quám ipsi experientiæ adversatur: attamen id juxta Jansenii systema necessarió sequitur, dicit enim quód duæ illæ delectationes sese mutuó impugnant, & de voluntatis consensu exprimendo inter se decertant, igitur necesse est utramque esse sensibilem: prætereá eo in systemate, omnis actio fit ex proportione relativa virium delectationis; quare si una delectatio esset sensibilis, altera veró non, quamvis supponatur

inter eas graduum æqualitas, nulla tamen foret proportio; insuper fatetur Jansenius lib. 6. de grat. Christi cap. 5. utramque delectationem esse sensibilem, quare loquendo de illarum motibus scribit: („Illi motus secundùm Augu„stini mentem, non in ipso mentis apice, qui illis supere„minet, sed in inferiore quadam ejus parte tumultuantur, „ipsumque voluntatis apicem sive in malo sive in bono blandiendo, aut aliter efficiendo trahunt. "] quibus significat delectationem cœlestem esse sensibilem sicut & delectationem terrenam.

Quidam Theologus recens novam viam ingressus est, sustinuit in suis thesibus, delectationem, in qua reponit gratiæ efficaciam, esse intellectualem, deliberatam & cum prædeterminatione physica conjunctam. Verùm novum illud loquendi de gemina delectatione genus quæstionem obnubilat: non elucidat. Si enim intellectualis est, quomodo delectatio terrena decertabit cum illa de exprimendo voluntatis consensu, quia cum duæ istæ delectationes sint oppositæ, debent in eodem certaminis campo seu subjecto dimicare? Si deliberata est, quomodo juncta esse poterit cum prædeterminatione physica quæ est motivo indeliberata & omnem voluntatis deliberationem & consensum prævertens? Si hæc delectatio prædeterminat physicè ad illam partem quæ saluti conducit, ut loquitur recens Theologus, quomodo relinquit activam potentiam & indifferentiam in voluntate? nam activa potentia ad se determinandum versùs oppositam partem est potentia indifferens & indeterminata, at poteſtne concipi voluntatem remanere indeterminatam sub delectatione superiore à qua ad unum præde-

prædeterminatur? fiat lux.

Pr. 2do. Præfatum systema perniciosum esse in moribus, quippe cum doceat voluntatem nostram ita esse comparatam ut ineluctabili necessitate eó inclinet, quo antegressa delectatio major, seu ardentior eam pellicit, consequens est illam non se determinare, sed determinari, & applicari ad bonam vel malam actionem á majori delectatione; adeò non esse ipsi ascribendum, quod bene aut male agat; quòd mendacium, potiusquam adulterium admittat, sed id unum in fortiorem delectationem quæ ipsum præmovet, determinat, & applicat, refundi debere; subindeque ipsi injusté imputari, quod bonum vel malum operatur sicut non attribuitur indici ventorum * pinnulæ quæ ad omnem auram versatilis est, quod versùs Orientem, potiúsquam versús Occidentem moveatur, sed soli vento versùs hanc partem vehementiùs flanti: sic neque voluntati, quód ad bonum aut ad malum determinetur, tribui debet quia hæc voluntatis determinatio nulto modo ab humana libertate proficiscitur.

Nec dicas non valere comparationem, quia pinnula non agit, sed á vento agitur; voluntas verò humana sub ardentiori delectatione stat semper indifferens; id, inquam, non dicas, actio enim voluntatis á delectatione fortiore abreptæ non arguit ipsius libertatem, si facultatem non habeat seipsam determinandi, sub potentiore delectatione constituta; hoc enim stat indifferentia activa libertatis quód positis omnibus ad agendum prærequisitis voluntas sese determinet si velit, ad unam partem, potiúsquam ad alteram; at non

* Girouette

at non eſt penes voluntatem á majore delectatione, terrenâ, v. g. præventam ſeſe ad bonum determinare, quippe neceſſarió ad malum determinatur & applicatur per talem delectationem quæ eſt fortior; unde nullum eſt peccatum quantùmvis enorme, quod ſub delectatione ſuperiore non ſit in tuto poſitum, nec nullus eſt peccator, qui a peccatis commiſſis & committendis, ſe nullo negotio purgare & excuſare non poſſit aiendo, equidem furtum, adulterium, homicidium, mendacium commiſi, ſed in his non peccavi, quis enim peccat in eo quod vitare non poteſt? At á prædictis malis ne minimé quidem abſtinere valui, quippe ab illa perpetranda neceſſarió me adegit delectatio ſuperior, quæ cum neceſſitatem inferat libertati, ipſi obſiſtere mihi integrum non fuit, quapropter admiſſo geminæ delectationis relativé victricis ſyſtemate, vaſtus ex una parte reſeratur omnibus vitiis & peccatis campus, & ex alterâ præſens adeſt delectatio ſuperior cuicumque peccatori largiens ab omni ſcelere, ſceleriſque ſuſpicione abſolutionem necnon plenariam omnium delictorum quæ perpetravit indulgentiam. Fauſtum ſane peccatori ſyſtema!

2do. Syſtema illud in doctrina eſt hæreticum. Illud ſyſtema eſt hæreticum in doctrina, ex quo tanquam ex nanativo fonte profluunt quinque famoſæ Janſenii propoſitiones: atqui ex ſyſtemate duplicis delectationis relativé ſuperioris quinque famoſæ Janſenii propoſitiones profluunt tanquam ex nativo fonte, ut probabit concluſio ſequens.

CONCLUSIO QUINTA.

Ex delectatione relativé victrice quinque famosæ Jansenii propositiones profluunt tanquam rivuli ex nativo fonte.

In hac conclusione tria probanda sunt, 1mo. Quamlibet ex quinque Jansenii propositionibus necessario fluxu á systemate delectationis relativè victricis dimanare. 2do: Singulam propositionem in Jansenio seu in volumine, cui titulus est *Augustinus Jansenii* &c. reperiri. 3tio. Recentiores Theologos delectationis relativè victricis patronos á Jansenio non nisi verbo tenùs recedere.

PRIMA PROPOSITIO.

Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus secundúm præsentes quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, quâ possibilia fiant: atqui hæc propositio fluit ex Janseniano duplicis delectationis relativè superioris systemate: nam ut præcepta Dei sint observatu possibilia justo, necessaria est gratia sufficiens quæ conferat ipsi potentiam completam, expeditam & proximam immediaté aut mediatè illa observandi, 1mo. potentiam completam, ita ut nihil ipsi desit præter voluntatem, si enim ipsi deesset aliquid ex parte potentiæ, non posset illa observare, sicut avis non potest volare sine alis. 2do, potentiam expeditam id est, solutam ab omni impedimento, nam si voluntas aliquo impedimento ligata esset, mandatis Dei non valeret obtemperare, sicut homo in compedibus

dibus deambulare nequit, quia ferro compeditus eſt; 3tio. potentiam proximam immediaté illa ſervandi, ſi hæc potentia ſeu gratia ſit ad operandum, vel mediaté ſi ſit ad orandum & ad impetrandum gratiam, qua immediaté ſervari poſſint: ſed juſtus peccans non habet, juxta Janſenianum ſyſtema, gratiam quæ ipſi conferat potentiam completam, expeditam & proximam ad ſervanda mandata, quæ peccando tranſgreditur. 1mo. Non habet potentiam completam, quippe potentia quam habet ad ſervandum mandatum, ea eſt quam ipſi confert parva Janſenii gratia: ſed potentia, quam confert parva Janſenii gratia in conflictu delectationis terrenæ relative ſuperioris, non eſt completa, non enim habet ſat virium ad mandatorum obſervationem, quia eſt inferior delectatione terrenâ ſibi oppoſita á qua vincitur, & quam vincere deberet ut poſſet legem obſervare. („ Niſi delectaiio cœleſtis major fuerit, quam terrena.... fieri non poteſt, quin propriæ voluntatis infirmitate vincamur, ait Ianſenius. lib. 4. cap. 6. 2do. Non habet potentiam expeditam, quia ejus voluntas adeó ligata & concatenata eſt ad peccandum á delectatione terrenâ ſibi oppoſitâ, ut neceſſarió peccet, quippe in conflictu tentationum ait idem Ianſenius, l. 4. c. 8. ..... *ſecundùm id operemur neceſſe eſt, quod ampliùs nos delectaverit.* Delectatio autem terrena ſuperior juſtum delinquentem ampliùs delectat; igitur juſtus ſub delectatione terrenâ ſuperiore conſtitutus neceſſario peccat; etenim ut poſſet peccare, deberet poſſe ſuperare delectationem terrenam, quæ neceſſitat ipſum ad peccandum, atqui per gratiam parvam, ait Ianſenius, non poteſt ſuperare delectationem terrenam

ſuperiorem: („ Urgente carnali delectatione impoſſibile eſt, ut virtutis & honeſtatis conſideratio prævaleat, lib. 4. de grat. Chriſt. cap. 9. “) 3tio. Non habet potentiam proximam, ut poſſit obſervare mandata Dei, ut conſtat, neque habet auxilium impetrandi hanc potentiam, illud enim auxilium quod habet, eſt gratia parva, gratia veró parva non habet ſat virium, ut poſſit impetrare talem potentiam; ergo juſtus peccans & conans ſecundùm præſentes quas habet vires, non poteſt ſervare mandata, quia dominatur in eo delectatio terrena; ac proinde 1ma. Janſenii propoſitio fluit ex duplicis delectationis relativé victricis ſyſtemate.

Objic. 1mo: Janſenius, lib. 3. de grat. Chriſti cap. 13. difficultatem appellat impoſſibilitatem de qua loquitur in 1ma propoſitione; ergó illa impoſſibilitas, quâ dicuntur præcepta Dei impoſſibilia, eſt impropriè dicta.

Reſp. Janſenium hoc nomen difficultatis uſurpare ut fucum pro ſuo more faciat, illa enim difficultas remanet ſemper vera impotentia, quia juſtus peccans neceſſariò determinatur ad peccandum, á terrena delectatione ſuperiore, quam gratia parva ſuperare non poteſt.

Inſt. Illa impotentia, quæ eſt in juſtis ad obſervanda Dei mandata, non eſt vera impotentia, quippe quæ oritur ex defectu voluntatis, ſi enim voluntas vellet ſervare mandata Dei, illa ſervaret.

Reſp. Negando hanc impotentiam non eſſe veram impotentiam, quàmvis enim oriretur ex mala voluntate, quia tamen hæc voluntas his in circumſtantiis poſita eſt, in qui-

in quibus non poteſt eſſe bona, propter ſcil. defectum virium, ſeu propter delectationis terrenæ magnitudinem, quam non poteſt ſuperare, ait Janſenius, ideó illa eſt in vera impotentia ſervandi mandata.

Inſt. Janſenius, lib. 3. cap. 15. docet multiplicem ineſſe juſto peccanti potentiam ſervandi mandata Dei, ut alias ſupra dictum eſt, imo: remotiſſimam, quæ eſt facultas liberi arbitrii, ſeu flexibilitas ad bonum vel ad malum; 2do: pauló propinquiorem, quæ venit á fide; 3tio: multò propinquiorem, quæ eſt potentia per charitatem, per quam homo juſtificatur; 4to: potentiam completam, quæ ex parte Dei complectitur omne quod eſt neceſſarium nedum quoad poſſe, ſed quoad agere, potentia illa venit á gratia efficaci. Aſſerit Janſenius triplicem priorem potentiam ineſſe juſtis peccantibus, deeſſe veró quartam. Undé ſic argumentor. Illa impotentia non eſt vera impotentia, quæ non eſt impotentia abſoluta: ſed impotentia ſervandi mandata, quam Jenſenius aſſerit ineſſe juſtis peccantibus, non eſt impotentia abſoluta, nam impotentia abſoluta negat omnem potentiam, hæc enim eſt. [„ Ex defectu alicujus quód non poteſt, quantùmlibet magna voluntate ſuppleri, ait ibid. Janſenius pag. 145. Talis eſt impotentia illius qui caret rebus temporalibus ad largiendam eleemoſynam. "] Idem ibid. At impotentia quam ineſſe juſtis peccantibus docet Janſenius, non negat omnem potentiam, ſed ſolúmmodo quartam, affirmat enim illos habere triplicem priorem; ergó illa impotentia non eſt abſoluta, ac proindè non eſt impotentiâ quæ damnata eſt ab Innocentio X. etenim impotentia ſervandi mandata, quám præfatus Pontifex Innocentius proſcripſit, ea eſt

ea est quam anteà proscripserat Concilium Trident: nam idem Pontifex in condemnatione 1mæ propositionis Jansenianæ declarat illam jam fuisse anathemate percussam (à Concilio scil. Trident.) Sed impotentia servandi mandata, quam inesse justis proscripsit Concilium, est impotentia absoluta: siquidem Concilium damnat illam servandi præcepta impotentiam, quam Calvinus asserebat inesse justis: sed impotentia, quam inesse justis asserebat ad servandum mandata, est impotentia absoluta, quæ nullâ virtute suppleri potest & quæ proinde negat omnem potentiam; ergo &c. & consequenter impotentia servandi mandata, quam in justis admittit Jansenius, non fuit ab Ecclesia proscripta, quippe impotentiam servandi mandata absolutam non admittit.

Resp. Neg. maj. Nam impotentia relativa non est impotentia absoluta: sed impotentia relativa est vera impotentia, per illam enim homo justus caret potentiâ, seu viribus relativè æqualibus præcepto servando, quippe justus non potest servare præceptum, nisi vincat præcepto oppositam concupiscentiam, non potest vincere oppositam præcepto concupiscentiam, nisi habeat vires illi relativè superandæ æquales: illas autem vires non habet nisi á gratia sufficiente vel efficaci: non ab efficaci, quia supponitur deesse justis peccantibus gratiam efficacem; non etiam à sufficiente, quoniam Ianseniani docent gratiam sufficientem non habere sat virium, ut oppositam concupiscentiam vincere possit; ergò justis peccantibus in systemate Ianseniano inest vera impotentia servandi mandata: hæc verò impotentia non est, juxta Iansenium absoluta, ut observat

Paulus

Paulus Irenæus, disq. 2. art. 2. ergó est relativa impotentia, propterea quód sola gratia parva, quam justis peccantibus adesse pronuntiat Jansenius, non habet relativam ad superandam majorem concupiscentiam actualem, & ad præceptum servandum potentiam: jam veró Innocentius X. damnavit 1mam. propositionem, ex eo quód assereret præcepta Dei esse impossibilia justis peccantibus; ergò condemnavit impotentiam relativam.

Ad Prob. Nego Concilium Trident. proscribere solùm impotentiam absolutam servandi mandata, nam damnavit in genere omnem opinionem asserentem justos non posse servare mandata, sive hæc impotentia sit absoluta, sive relativa; etenim illam damnavit ad sensum SS. Patrum, ut ostendimus supra agendo de possibilitate mandatorum Dei respectu justorum: at SS. Patres non attendebant ad potentiam absolutam aut relativam, *vide ibid* id quo objicitur Calvinum docuisse veram & absolutam inesse justis servandi mandata impotentiam, quæ scil. omnem negaret potentiam. Resp. Id non esse inconcussum. Negavit ne unquam in hac vita flexibilem esse hominum voluntatem ad bonum & ad malum? Negavit ne impotentiam servandi mandata esse voluntariam? *necessitas quodam modo voluntaria*, ait lib. 2. Institut. cap. 3. &c. Undé Jurieu Calvinianæ fidei Minister in lib. cui titulus *Esprit de M. Arnaud tom* 2 *pad.* 11. 12. loquens de 1ma. quinque propositionum Jansenii, cujus sensum extraneum & absurdum, qui ei affingi posset, Calvinianum sensum appellant Janseniani, scribit:

Si Jan-

Si Janſeniani in Calvini & Calvinianorum ſcriptis, primam propoſitionem, quam COMMENTI SUNT, *legere tenerentur, plus laboris in ea detegenda inſumerent, quam deſudavit Eccleſia ad reperiendas in Janſenio famoſas quinque propoſitiones.*	Si ces Meſſieurs ètoient obligez de trouver dans les ècrits de Calvin, ou des Calviniſtes cette propoſition, qu'ils ont FORGEE, ils auroient un peu plus de peine á l'y dècouvrir, qu'on n'a eu de peine á trouver dans Janſenius les cinq fameuſes propoſitions.

Sed eſto. Agnoverit Calvinus in juſtis peccantibus diſtinctam ſervandi mandata impotentiam ab illa, quam admiſit Janſenius; indè ſequitur Janſenium & Janſenianos non totum hauſiſſe Calvini errorem, ſed mediam partem.

Inſt. Illa impotentia ſervandi mandata, quam in juſtis peccantibus agnovit Janſenius eſt vel phyſica, vel moralis: atqui hæc impotentia non eſt phyſica; nam Theologi duplicis delectationis relativè oppoſitæ defenſores illam moralem appellant: non eſt etiam moralis, neceſſitas quippe moralis agendi juxta communem ac receptam acceptionem oritur ex difficultate contrarium agendi aut abſtinendi ab actu, quæ difficultas aliquando, etſi raró ſuperatur: atqui impotentia ſervandi mandata in juſto, in quo regnat delectatio terrena ſuperior nunquam poteſt ſuperari, quia voluntas juſti ex ſola gratia parva comparatè ad ſuperiorem actualem concupiſcentiam non poteſt bene agere; ergo &c.

Reſp. Conc. maj. Neg. min, & dicó imo: illam impoten-

impotentiam non posse appellari moralem, propter rationem allatam in objectione, siquidem impotentia moralis est difficultas, quæ vinci potest; sed impotentia servandi mandata comparaté ad concupiscentiam superiorem non potest vinci, quia parva gratia in qua fundatur, non habet sat virium ut illam vincere possit, aiunt Janseniani; sed dico hanc impotentiam esse physicam; est physica, ait Illustrissimus DD. de Bissy, Episcopus Meldensis, quia oritur ex absentia gratiæ, quæ voluntatem physicé movet & prædeterminat ad bene agendum sine qua relativé ad majorem actualem cupiditatem satis virium non habet ut hanc superare & præceptum observare possit; quare dicit Jansenius, *deest iis gratia, quâ possibilia fiant*; undé hanc impotentiam desumit idem Jansenius ex solo defectu gratiæ efficacis, quæ hisce justis deest; impotentia autem quæ ex defectu gratiæ efficacis nascitur, est impotentia physica. 2do. Illa impotentia est antecedens, quia his in justis præcedit illorum omnem consensum ad malum; quippe inest illis hocce tempore, quo conantur illud vitare: *Justis volentibus & conantibus &c.* 3tio. Hæc impotentia est relativa & transiens: relativa quidem ad superiorem oppositam cupiditatem: transiens pariter, quippe Jansenius illam non desumit, uti desumunt Manichæi ex natura humana producta á malo principio, nec est immutabilis ut impotentia peccandi in Beatis, quia justus qui nunc præcepta custodiendi impotentiâ laborat, utpote sub terrena delectatione superiore constitutus, perfectam illa servandi potentiam habet sub delectatione cœlesti & victrice positus.

2do.

Hæc prima propoſitio reperitur apud Janſenium, tomo 3. lib. 3. de grat. Salvat. cap. 13. his verbis, [„Hæc igitur omnia pleniſſimé, planiſſimèque demonſtrant nihil in S. „Auguſtini doctrina certius ac fundatius, quám eſſe præcepta „quædam, quæ hominibus non tantum infidelibus, excæcatis „& obduratis, ſed fidelibus quoque & juſtis volentibus „& conantibus, ſecundúm præſentes quas habent vires ſunt „impoſſibilia: deeſſe quoque gratiam, qua fiant poſſibilia, „hoc enim S. Petri exemplo aliiſque multis quotidie mani„feſtum eſſe, qui tentantur ultra quám poſſint ſuſtinere. *Addit deinde*; Quintum itaque ex eodem principio conſectari eſt, plurimis non iſtam faciendi præcepti poſſibilitatem quæ precibus implorari ſolet. "] In hiſce vērbis diſertè continetur prima Janſenii propoſitio proſcripta ab Eccleſia.

Objic. Eccleſia proſcripſit primam Janſenii propoſitionem, quaſi ſuſtineret juſtos actu tranſgredientes præcepta non poſſe abſolutè illa cuſtodire, ut conſtat ex condemnationis tenore: atqui Janſenius non ſuſtinet juſtos præcepta Dei infringentes non poſſe abſolutè præcepta Dei obſervare, ut evidens eſt tum ex Janſenio pluribus in locis; tum ex primo quinque articulorum doctrinalium quos elaboravere Janſeniani, & quos illorum nomine Illuſtriſſimus DD. de Choiſeuil Convenarum Epiſcopus Romam ad Alexandrum VII, direxit, qui quidem articulus ſic habet.

Potest asseri hosce justos .... uno sensu potuisse observare mandata, & obsistere tentationi; & altero non potuisse: potuisse quidem non solum quia liberum arbitrium habuerunt & gratiam habitualem, sed etiam actualem, quæ gratia sufficiens in sensu Thomistico vocari potest] .... Similiter dici potest illos non potuisse cum hujusmodi gratiarum sufficientium auxilio tentationi, cui cesserunt, resistere, nam gratiâ efficaci quæ ad operandum necessaria est, destituti, clarum est eos caruisse potentiâ quæ complecteretur omne quod ad agendum desiderabatur.

On peut dire de ces justes ..... qu'ils ont pû en un sens observer les commandemens de Dieu & resister à la tentation; & que dans un autre sens ils ne l' l'ont pû; car ils l' ont pû, par ce qu'ils ont eu non seulement le libre arbitre & la grace habituelle, mais aussi une grace actuelle qu'on peut appeller suffisante au sen des Thomistes ...... On peut dire aussi que ces justes avec telles graces suffisantes n' ont pû resister á la tentation à laquelle ils ont succombé; parceque n'ayant pas eu la grace efficace, qui leur estoit necessaire pour agir, il est clair qu'il n'ont pas eu un pouvoir, qui renfermât tout ce qui estoit necessaire pour agir.

Hic articulus explicat sensum Iansenii ejusque discipulorum circa primam propositionem; atque adeo Iansenium non sustinere præcepta Dei esse absolute servatu impossibilia justis peccantibus, quippe possunt uno sensu illa servare, subindeque illa propositio non est in sensu Iansenii damnata eo quod damnata est quasi assereret præcepta Dei

Dei esse justis absoluté impossibilia.

Resp. Neg. maj. Jam enim dictum est nunquam Jansenium censuisse justos non posse absolutè servare mandata quæ transgrediuntur, sed solúm non posse relativè, namque gratia parva, quam Janseniani in sensu Thomistico sufficientem abusivè nominant non habet sat virium ad superandam cupiditatem oppositam & prohibentem ne illa custodiant. Unde Janseniani in suo primo articulo, nihil aliud canunt, quam ipse Jansenius dicendo enim, quód justi peccantes non habeant cum gratia sufficiente illud omne quod necessum est, ut possint servare mandata propter fortiorem oppositam delectationem. perinde est ac si dicerent, justi non possunt relative præceptis obtemperare, eo quod deest illis gratia efficax, quâ obtemperare queant.

3tio.

Ex his patet Theologos delectationis relativè superioris patronos à Jansenii systemate non videre alienos, quamvis dicant gratiam sufficientem esse semper cum impotentia morali conjunctam; hæc enim impotentia moralis solúm nomine, non re distat ab impotentia physica, namque ex communi & recepto usu, ut mox dictum est, talis impotentia non est vera impotentia, sed solam agendi difficultatem importat, cui voluntas non solúm potest resistere, sed etiam aliquando resistit; sed voluntas cum sola gratia sufficiente juxta systema defensorum duplicis delectationis relativè oppositæ, non potest vincere impotenti-

potentiam cum qua conjuncta est bene agendi & servandi mandata; igitur hæc impotentia non nisi abusivè appellatur impotentia moralis. Et certè Janseniani non recusant hanc impotentiam appellare moralem, sic Dionysius Raymundus parall. cap. 5. & ad marginem citat Jansenium, lib. 4. de statu nat. lapsæ; sic auctor libelli cui titulus *Reponse aux Remarques sur les declarations de M. Couet, tom. 3. casus Conscient.* pag. 599. & alii. Attamen qui tenaciùs adhærent Jansenio in modo loquendi prorsùs eliminant illud nomen *necessitatis moralis*, quippe improprium & abusivum est; sic Leonardus Varoye, Augustinianus facultatis Lovan. Licentiatus ac Theologiæ professor, in *Theologia morali* Antuerpiæ edita; sic auctor *Institut, Theologic.* tract. de grat.

Nec est quod dicant Jansenium per impossibilitatem servandi mandata excludere à justis omnem potentiam, quia nempè illos gratia efficaci destitutos comparat cœco, qui nullo modo potest lumen videre, hæc quippe comparatio non est ex omni parte perfecta & adæquata, nam omnia in comparatione similia non sunt, ait Paulus Irenæus Jansenii discipulus, Disq. 2. art, 1mo. sed sufficit ut inter se in aliquo conveniant, sic justus gratiâ efficaci destitutus non magis potest in actu 2do, juxta Jansenium, custodire præcepta, quam cœcus actu videre: at non valet comparatio in actu 1mo. quia cœcus nulla interna videndi virtute præditus est, justus verò mandatum transgrediens habet gratiam parvam, per quam vult & conatur, & per quam imminutâ oppositâ concupiscentiâ illud servabit; quare fal-

sò imponunt Jansenio, dum aiunt ipsum respuere omnem gratiam sufficientem, se veró solam gratiam Molinianam explodere, falsó, inquam, Jansenio imponunt, quippé qui admisit gratiam parvam, ac proindé non omnem gratiam sufficientem respuit, nam hæc gratia est ipsa gratia sufficiens, quam admittunt isti recentiores, quæ est enim illorum gratia sufficiens? est delectatio inferior & debilior, non habens sat virium ut oppositam delectationem superare queat; talis autem est gratia parva Iansenii. Quod si illam Iansenius non appellaverit *auxilium sine quo*, recentiores veró écontra. Ratio est quia per *auxilium sine quo*, intelligit gratiam cui potest resisti; cum autem ratus fuerit Iansenius nulli interiori gratiæ resisti posse, idcircó non appellavit gratiam parvam *Adjutorium sine quo*, quamvis revera sit *adjutorium sine quo*, sicut illud explicant præfati recentiores, qui mutant verba Iansenii, sed rem verbis significatam retinent; 3tio, si dicant se plenis manibus gratiam sufficientem Thomisticam amplecti, idem dicunt, Abbas de Bourzeis in scripto *in Nomine Domini* p. 5. Arnaldus, Apologia pro SS. Patribus l. 7. pag: 4. cap. 7. & alii, anne propterea de sufficiente gratia in sensu veré Thomistico loquuntur?

Dices: ut jam dictum est supra, Magistratus sapiens potest physicé histrionem agere, sed quia nunquam contingit ipsum talem agere personam, dicitur impossibile est moraliter, ut histrionem publicé agat; ergó quamvis justis cum sola gratia sufficiente possit physicé resistere delectationi superiori, quia tamen nunquam contingit ut resistat, dicitur impossibile est illi moraliter resistere.

Resp.

Resp. Neg. antec. Magistratus sapiens non habet nisi remotissimam & valdé impropriam ac organicam potentiam histrionis personam in theatro agere, quia nullum omnino potest assignari motivum, quo ad hunc ludum moveri possit; quare impossibile est plusquam moraliter, ut vir ille sapiens histrionem agat: at justo gratia sufficiente prædito in conflictu superioris delectationis representari potest motivum legitimum agendi & servandi mandata. Quod si illa servare nequit, ut volunt præfati Theologi, hæc impotentia non moralis, sed physica est, quippe oritur ex defectu gratiæ efficacis sive ex defectu virium, sat enim virium non habet, inquiunt, ut concupiscentiam oppositam vincere queat.

2da. PROPOSITIO,

Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.

1mo.

Prob. Quod hæc etiam propositio fluat ex systemate delectationis superioris. Namque gratia illa vel est victrix, seu delectatio cœlestis superior, vel non, seu solum gratia parva; omnis enim gratia actualis naturæ lapsæ concessa in hisduabus continetur; ait Iansenius, atqui sive sit delectatio victrix cœlestis, sive gratia parva Iansenii nunquam ei resistitur. 1mo: non gratiæ, quæ est delectatio victrix, quippe juxta illam necessum est operari. 2do. non gratiæ parvæ Iansenii, ipsa enim semper effectum habet propter

quem

quem á Deo datur. („Ostenditur, *inquit Jansenius*, nullum dari post lapsum adjutorium sufficiens quin simul sit efficax. “)

(„ Quæcumque gratia defectu voluntatis effectu caret, non est illa Christi gratia..... Christus enim eâ de causa mortuus est, ut cæteræ quæcumque gratiæ, sive“ in intellectu sive in voluntate, sive in sensibus collocentur,“ quæ propter duritiam voluntatis ...... effectu carebant“ suo, ad operandum emollitâ, flexâque voluntate rapiantur.) Quibus significat Iansenius omnem gratiam Christi esse efficacem, nulla enim est quæ effectu suo careat, etenim si esset aliqua, quæ effectu suo careret, maximé gratia parva: atqui gratia parva nunquam suo effectu caret, quia effectus ejus in conflictu ardentioris cupiditatis sunt & inefficacia desideria, his autem desideriis nunquàm caret. („ Quod si contingat *ait Jansenius*, alteram ardentiorem esse, in solis inefficacibus desideriis hærebit animus ; “] ergo &c.

Objic. Resistere gratiæ est non facere illud ad quod excitat inclinat, & movet voluntatem: sed voluntas non facit illud ad quod parva gratia eam excitat & movet ; nam parva gratia in conflictu ardentioris cupiditatis excitat voluntatem ad pœnitentiam, si sit in peccato, atqui voluntas posita sub ardentiore cupiditate non agit pœnitentiam ; ergó resistit gratiæ parvæ, proinque falsum est in systemate Jansenii non resisti gratiæ interiori.

Resp: Dist. maj. Resistere gratiæ est non facere illud ad quod excitat voluntatem, si voluntas illud præstare potest,

poteſt, Conc. ſi non poteſt, Nego. Janſeniani volunt per *reſiſtere gratiæ*, ſignificari non facere illud ad quod nos excitat, ſic Dionyſius Raymundus, cap. 3. 2dæ. propoſit. art. 1mo. pag. 107. („ Reſiſtere gratiæ aut ejus mo- „tus respuere eſt non facere illud ad quod nos excitat :") ſic Montaltus ſeu Paſcal, Epiſt. 18. ad Provincialem.

Videbis, Pater, in eorum (Janſenianorum) *doctrina verè reſiſti gratiis infirmis, vulgò excitantibus aut efficacibus dictis non amplectendo bonum, ad quod movent.*

Vous verrez, non Pere, qu'ils tiennent [*les Janſeniſtes*,] qu'on reſiſte effectivement á ces graces foibles, qu'on appelle excitantes ou efficaces en n' executant pas le bien qu'elles nous inſpiret.

Verùm quia uſus docet nihil aliud intelligi per *voluntatem reſiſtere*, quam *voluntatem non facere* id omne quod poteſt, econtra nihil aliud intelligi per *voluntatem non reſiſtere*, quám *illam conſentire* vel *illam præſtare quod poteſt*, idcircò docent Orthodoxi eum reſiſtere gratiæ qui non facit illud ad quod gratia excitat, quando poteſt illud facere: eum verò non reſiſtere, qui non amplectitur bonum ad quod movet gratia, ſi quando eum gratia movet, non habet vires & potentiam illud amplectendi. Porrò voluntas nunquam amplectitur bonum ad quod excitat gratia parva Janſenii, quam Janſeniani ſufficientem vocant, quia voluntas non habet ſat virium ad

illud amplectendum, propterea quòd hæc gratia parva superatur á delectatione victrice & opposita : undè in solis inefficacibus desideriis hæret *quod si contingat &c.* ait Jansenius , ac proindé voluntas nec resistit, nec unquam resistere potest gratiæ parvæ Jansenii. Quamobrem hæc propositio, *interiori gratiæ nunquam resistitur* , est rivulus fluens á delectatione superiore & relativé victrice, tanquam à suo fonte,

Inst. Potest considerari in gratia parva Jansenii duplex potentia. 1mo. absoluta scil: & præscindens á circumstantiis subjecti. 2do. relativa, ut comparatur ad circumstantias subjecti, in quo reperitur, & ad delectationem superiorem cui opponitur; voluntas quidem non resistit potentiæ relativæ parvæ gratiæ, sed resistit potentiæ absolutæ, nam cum hæc gratia secundúm se spectata possit vincere concupiscentiam oppositam, & ordinetur á Deo ad producendum suum effectum, sæpe voluntas ei resistit, quia non exequitur id ad quod excitat hujusmodi gratia, quando absolutè id exequi potest.

Resp. Hic quæstionem non esse de gratia absolutè sumpta, sed de gratia relativè ad circumstantias subjecti, tum quia, ut diximus supra, conceditur á Deo, ut remedium ; remedium autem non datur nisi per ordinem ad infirmitatem: infirmitas veró est concupiscentia, est languor animæ, est tentatio superanda ; nam Deus non patitur justum tentari supra id quod potest ; proindeque hæc gratia datur respectivè ad dispositiones & circumstantias subjecti: sed ex concessis voluntas non exequitur id ad quod illam excitat gratia parva Jansenii seu sufficiens Jansenianorum,

norum, quia illud exequi non poteſt, ex eo quòd ſat virium non habet propter oppoſitam cupiditatem à qua vincitur; ergo voluntas non poteſt reſiſtere gratiæ ſufficienti Janſenianorum, propter delectationem ſuperiorem oppoſitam.

Inſt. Denique gratia ſufficiens datur & præparatur á voluntate Dei antecedente; quæ enim á voluntate conſequente ſunt, ſuum ſemper ſortiuntur effectum, voluntas enim conſequens & abſoluta ſemper impletur; atqui voluntas Dei antecedens abſtrahit ab omnibus ſubjecti circumſtantiis, ut dicunt Theologi; ergo gratia ſufficiens, quæ venit ab illo, præſcindit ab omnibus ſubjecti circunſtantiis, ſubindequé gratia ſufficiens non eſt gratia relativè, ſed abſolute ſpectata.

Reſp. Diſt. min. Voluntas antecedens præſcindit á ſubjecti circumſtantiis, ſeu à circunſtantiis pertinentibus ad perſonam, cui confertur, Conc. pertinentibus ad ſtatum naturæ lapſæ, Nego. Circumſtantiæ pertinentes ad perſonam cui confertur gratia, ſunt conſenſus aut diſſenſus voluntatis. Circumſtantiæ pertinentes ad perſonam ratione ſtatus naturæ lapſæ, ſunt concupiſcentia, tentatio, infirmitas animæ &c. Equidem voluntas antecedens in gratiarum diſtributione præſcindit à circumſtantiis pertinentibus ad perſonam ut perſona eſt, quia quamvis eam largiatur, ut voluntas conſentiat, attamen præſcindit á diſſenſu vel conſenſu illius: ſed contendo voluntatem Dei antecedentem in gratiis conferendis non abſtrahere á circunſtantiis quæ perſonæ competunt ratione naturæ lapſæ, quippe ſuas largitur gratias in

tias in juvamen & in remedium naturæ lapsæ, igitur non abstrahit à circunstantiis propter quas gratias confert: hæ autem circunstantiæ sunt concupiscentia, tentatio, dæmonum insultus, infirmitas naturæ, &c.

Apagè ergo gratia illa, quæ juxta Jansenianos concessa, sufficientissima est, dans proximum & completum posse, si nempé absolutè & secundúm naturam suam spectetur; quippe per gratiam proprié sufficientem, ut dictum est, Ecclesia intelligit gratiam, quæ largitur homini sat virium ad vincendam concupiscentiam rebellem, adeóque per respectum ad dispositiones subjecti in quo reperitur, ut nemo juxta Apostolum tentetur supra id quod potest. Undè resistere gratiæ non est ipsam privare effectu quem haberet, si concupiscentia minor esset; sed est ipsam privare effectu quem in his, in quibus datur, circumstantiis habere potest.

2do.

Prob. Prædictam secundam propositionem apud Jansenium legi pluribus in locis, tomo 3. lib. 3. cap. 1. de grat. Salv. & cap. 2. quibus omnibus supersedemus ut unum alterum textum ejusdem Jansenii, lib. 2. cap. 17. tomo 3. in fine, ubi sic habet: [„ Proindé fatendum sibi „esse, quod aliam nobis providendo gratiam quàm effi- „cacem, novum genus gratiæ Christianis offerat, quod nec Augustinus, nec ullus latinorum Patrum &c. ") ibid. cap. 25. („ Apud Augustinum, gratia & opus bonum ita reciprocantur, ut quemadmodum ex gratia data, mox effectum operis consecutum inferri solet. Ita vice versâ ex defectu

defectu operis, gratiam non esse datam. quo ratiocinandi modo, indicatur gratiam tanquam causam, & operationem voluntatis bonam, velut effectum esse, ut Philosophi loquuntur, convertibiles, & à se mutuó inseparabiles. ") ibid. („ Perspicuum est, illam solam gratiam prædicasse Augustinum, quæ dat simul effectum suum, ut homo velit, aut faciat. "] Ex his sic conficio probationem; non resistitur gratiæ, quæ suum semper sortitur effectum, quia cum resistere gratiæ, sit illam privare effectu, quem habere potest, toties illi non resistitur, quoties suum obtinet effectum: atqui ex textibus Jansenii allatis, nulla est gratia medicinalis seu gratia hujusce præsentis statûs, quæ suum non obtineat effectum; ergo ex Jansenio nulla est hujusce statûs interior gratia, cui refragetur voluntas.

Dices: Janseniani in 2do quinque articulorum quos Romam miserunt, significant gratiam interiorem excitantem aut sufficientem privari effectu ad quem excitat voluntatem; sic enim hic 2dus articulus habet gallicè:

Voluntas reluctatur gratiæ ipsam frustrando effectu ad quem movet voluntatem, & propter quem confert sufficiens posse in sensu Thomistico....	La volonté resiste proprement á cette grace (excitante ou suffisante) en la privant de l' effet anquel elle excite la volonté & pour lequel elle donne un pouvoir, qui est suffisant au sens des Thomistes....

Sed in hoc 2do articulo explicatur mens & ſenſus Janſenii; hæc proinde 2da propoſitio non fuit damnata ſecundùm realem Janſeniſmum, ſed ſecundùm Janſeniſmi phantaſma ſeu Janſeniſmum chimæricum, quippe Janſenius juxta 2dum hunc articulum admiſit gratiam, cui verè reſiſtitur.

Reſp. Diſt. maj. Janſeniani ſignificant gratiam ſufficientem privari impropriè effectu ad quem movet voluntatem, Conc. privari propriè, Nego. Gratiam privari propriè effectu ad quem movet voluntatem, eſt ipſam privari effectu ad quem obtinendum confert potentiam completam & expeditam ſervandi legem, vireſque tribuit voluntati relativè æquales ſuperandæ delectationi oppoſitæ. Reſiſtere impropriè gratiæ eſt ipſam privari effectu, quem non poteſt aſſequi, nec potentiam completam & expeditam ad illud obtinendum tribuit. Reverâ Janſeniani in 2do ſuorum doctrinalium articulorum declarant impropriè reſiſti gratiæ excitanti aut ſufficienti, quia privatur effectu quem non poteſt aſſequi, nec ad illum aſſequendum completam & expeditam potentiam confert. Sed non fatentur propriè ejuſmodi gratiæ reſiſti, tum quia hæc gratia ſemper aſſequitur effectum cujus eſt capax; eſt autem ſolùm capax illuminandi intellectum & movendi voluntatem, tum quia non dat nec dare poteſt potentiam completam & ſufficientem ad aſſequendum ulteriorem effectum, nempè ad legem obſervandam, quia id ſat virium non habet; undè ubi dicunt Ianſeniani talem gratiam largiri potentiam ſufficientem in ſenſu Thomiſtico, loquuntur abuſivè, ut ſupra obſervatum eſt.

ſtio.

3tio.

Prob. Recentiores delectationis relativé victricis patronos á Jansenio nonnisi in speciem recedere, vel enim ab ipso reipsâ recederent, quia imo: dicunt Jansenium negare inferiorem delectationem cœlestem tendere ex natura sua ad ulteriorem effectum quem non producit, nullaque voluntate Deum intendere ut illum producat: se veró contrarium docere. 2do: quia dicunt Jansenium, lib. 2. de grat. Chri. cap. 27. docere nullam esse gratiam, quæ non semper liberam ad minimùm quandam complacentiam boni in voluntate operetur: se veró contrarium tenere, licet enim agnoscant gratiam sufficientem liberam complacentiam interdum in voluntate operari, nihilominùs contingit, inquiunt, etsi rarissimé quód in perditissimis hominibus gratia in motu indeliberato hæreat, eó quod á delectatione fortiori in ortu suo præfocetur. 3tio: quia asserunt Iansenium docere nullam esse interiorem gratiam cui resistat voluntas; seipsos veró oppositum tenere: atqui in his omnibus á Jansenio non recedunt, non in imo: quippe Jansenius admisit illas gratias leves, quæ ad effectum ulteriorem provocant & á quarum dissensione multos dissentire ait, lib. 2. cap. 27; at non potest ejusmodi gratias agnoscere, quin & agnoscat illas saltem ex natura sua ordinari ad illum sortiendum effectum & aliqua potentiâ posse hunc obtinere, Deumque quâdam voluntate velle, ut illum sortiatur, quem tamen nunquam obtinebunt; impossibile est enim Deum beneficio gratiæ ad opus quoddam movere, ad quod gratia ex natura sua non ordine ur,

quod

quod nec poſſit habere, nec Deus aliquâ voluntate velit, ut unquam habeat. 2do: parùm refert, aiunt Ianſeniani, ut Dionyſius Raymundus, quód parva gratia aliquem actum liberum deliberatumve, an tantúm indeliberatum ſemper producere dicatur, nec illud Janſenius ut dogma ſtabilivit, ſed ſolùm per tranſennam dixit, quód habetur in objectione, ut notat idem Dionyſ. Raymundus; quare auctor libri inſcripti, *La Chimere du Janſeniſme*, pag. 92. ſcribit nullomodo á dogmatibus Ianſenii recedere eos, qui in eo tantùm ab illo differunt, quod aſſerant rariſſimè in perditiſſimis hominibus aliquando indeliberatum tantùm affectum & non liberum, comitem eſſe gratiæ merè ſufficientis. 3tio: etiam Janſenius ſignificat, lib. 2. de grat. Chri. cap. 27. multos gratiæ motibus in voluntate percelli, qui tamen ab ejus interna ſuaſione & inclinatione diſſentiunt, nec ſibi contrarius eſt Ianſenius dicendo non reſiſti gratiæ interiori, ſic enim diſtingvi poteſt; non reſiſtitur] gratiæ interiori quoad effectum proximum & imperfectum, quem gratia parva ſemper exprimit, Conc. quantùm ad effectum remotum & perfectum, ad quem ex natura ſua & voluntate Dei antecedente tendit & ordinatur, quem tamen nunquam ſortitura eſt propter oppoſitam fortiorem concupiſcentiam, Nego. Vide lib. 2. de grat. Chri. cap. 27.

TERTIA PROPOSITIO.

Ad merendum vel demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas á neceſſitate, ſed ſufficit libertas á coactione.

Prob.

Prob. Hanc propositionem manare á duplici delectatione victrice & relativè oppositâ; namque juxta Jansenium homo meretur exequendo illud ad quod delectatio superior cœlestis eum pellicit, demeretur veró sequendo impulsum delectationis superioris terrenæ: sed homini incumbit necessitas sequendi motum utriusque delectationis quando est superior, ait Jansenius, quia *secundum id quod magis nos delectat necesse est ut operemur*; ergo juxta Jansenium illa propositio *ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate*, fluit ã systemate duplicis delectationis.

Objic. Jansenius & Janseniani non excludunt á ratione meriti & demeriti omnem libertatem á necessitate, nam præter libertatem á coactione fatentur requiri adhuc libertatem á necessitate naturalis inclinationis & á necessitate immutabilitatis. Necessitas naturalis inclinationis ea est, quæ determinat voluntatem ad unum ex principio intrinseco naturali; qualis est necessitas in homine amandi beatitudinem in genere, & in Deo Patre generandi Filium &c. Necessitas immutabilitatis ea est, quæ determinat liberum arbitrium constanter & immutabiliter ad unum, sic voluntas beatorum determinata est ad amandum Deum & voluntas Dæmonum ad peccandum. Porró Jansenius dicit ad meritum & demeritum requiri libertatem á necessitate naturalis inclinationis, & libertatem á necessitate immutabilitatis, subindeque excludit solummodo á ratione

 meriti &

meriti & demeriti libertatem á necessitate partiali & relativa, seu libertatem á necessitate simplici, & á necessitate infallibilitatis, qualem infallibilitatis necessitatem admisit S. Thomas 1ma. 2dæ. quæst. 112. art. 3. in corp. (Alio modo *inquit*, potest considerari, secundùm quod á Deo movetur, & tunc habet NECESSITATEM ad id ad quod ordinatur á Deo, non quidem coactionis, sed INFALLIBILITATIS, „) Undé constat, aiunt Janseniani, sensum tertiæ propositionis damnatæ hunc esse, ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas á necessitate naturalis inclinationis, & libertas á necessitate immutabili.

Contra: quoties aliqua propositio concepta est sub terminis generalibus illam universalem efficientibus, toties debet intelligi de omni specie particulari sub hisce terminis contenta, ubi nulla ratio adest speciem aliquam excipiendi: sed in tertia propositione Jansenii quæ sic habet: *ad merendum & ad demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas á coactione*: terminus ille NECESSITAS est universalis se extendens ad omnes species necessitatis propriè dictæ ac proinde ad necessitatem voluntariam, physicam & antecedentem, quæ supponitur transitoria & relativa, quippe est necessitas propriè dicta, non minùs quám necessitas voluntaria immutabilitatis, aut necessitas naturalis inclinationis; nec adest ulla ratio restringendi hunc generalem & universalem, NECESSITAS, terminum ad unam speciem, potiús quám ad alteram, propterea quod propositio solam necessitatem á coactione excipit; ergo sensus propo-

ſitionis damnatæ hic eſt, ad merendum & ad demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas ab omni neceſsitate propriè dicta, phyſica, & antecedente, qualis eſt illa quæ ſolum relativa & tranſitoria eſt, modo ſit immunis á coactione.

Ad id quod objicitur S. Thomam uſum fuiſſe termino NECESSITAS INFALLIBILITATIS, Diſt: uſus eſt termino neceſsitatis conſequentis infallibilitatis, Conc. antecedentis, Nego. Neceſsitas infallibilitatis ſumitur á S. Thoma pro effectu, qui á cauſa libera producitur infallibiliter. ſic Alvarez, Diſp. 25. num. 6. & num. 2, Ianſeniani verò per neceſſitatem infallibilitatis intelligunt neceſſitatem ſimplicem, ſicut per indifferentiam potentiæ intelligunt flexibilitatem naturalem arbitrii ad bonum & ad malum, quæ naturalis flexibilitas ſeu indifferentia potentiæ eſt ſolúm paſsiva, ad recipienda hæc vel illa vincula, libertas autem eſt indifferentia activa ad agendum vel non agendum, & licet voluntas modo á neceſsitate delectationis cœleſtis ſuperioris a qua ligatur, mutabilis ſit ſeu tranſeat ſub delectationem terrenam, quando eſt ſuperior, non minús eſt neceſsitata, captiva, & concatenata, ſicque voluntatis mutatio eſt ſolúm mutatio neceſsitatum, quapropter ſicut captivus, qui modo aurea modo ferrea catenâ ligatur, ſemper eſt captivus, etſi ab una catena ad aliam mutetur: ſic voluntas, quæ modo ſub neceſsitate, quam infert delectatio cœleſtis, modò ſub neceſsitate delectationis carnalis ligatur, non minùs eſt neceſsitata.

Nec juvat reponere, quòd ſi tertia propoſitio intelligenda ſit de omni neceſsitate; conſequens erit

intelligendam esse de necessitate morali & consequente, id, inquam, nihil juvat, quippe prædicta propositio de omni necessitate proprié dicta intelligitur; necessitas veró moralis & consequens est necessitas improprié dicta.

Inst. Necessitas quam infert delectatio victrix superior, est moralis: atqui necessitas moralis est necessitas improprié dicta; ergó necessitas quam delectatio superior infert, est necessitas improprié dicta. Prob. maj. Illa necessitas est moralis & conditionata vel est necessitas physica, antecedens & absoluta; sed non est 1mo: necessitas physica, quia necessitas physica est necessitas involuntaria judiciumque rationis antevertens; unde Molinæus Calvinista, anath. arm. cap. 32.(„ Libertas veró á coactione, & a necessitate physica, essentialis voluntati & inseparabilis. ") 2do. pari ratione non est necessitas antecedens, quia actio ex tali necessitate elicita, ait Iansenius, est voluntaria ac deliberata, supponitque rationis usum & actualem delectationis superioris gradum. 3tio: non est absoluta, necessitas enim absoluta ea est, inquit auctor scripti, quod dicitur *in nomine Domini*, quæ determinat voluntatem ad bonum immutabiliter & per inammissibilem gratiam, ut in angelis aliisque cœlestibus; ergo illa necessitas 1mo: est moralis, quia delectatio superior seu gratia efficax, á qua oritur, delectando operatur, aiunt defensores duplicis delectationis victricis. 2do: est necessitas conditionata, quomodo illam appellat ejusdem scripti auctor, *in nomine Domini*, quia voluntatem determinat ad bonum per mutabilem & amissibilem gratiam.

Resp.

Resp. Neg. maj. ad Prob. Conc. maj. Nego min. & dico 1mo: Illam necessitatem esse verè physicam, tum quia oritur à delectatione superiori, quæ physicè movet & applicat voluntatem ad unum, adeò ut expedita relativè non sit ad oppositum: tum quia hæc necessitas fundatur in defectu virium seu potentiæ, quam voluntas habet ad resistendum. Unde quando Calvinistæ dicunt voluntatem semper esse immunem à necessitate physica, per physicam necessitatem intelligunt necessitatem naturalem, quæ est necessitas physica impropriè dicta. 2do: Dico illam necessitatem esse antecedentem, quia oritur ex delectatione prævia indeliberata, quæ, ut loquitur Jansenius, non est in potestate voluntatis, ut eam habeat vel rejiciat, & quæ actum voluntatis deliberatum necessariò producit; cum necesse sit ex Jansenio, secundùm id operari, quod eam magis delectat. Dico 3tio: eam necessitatem non esse absolutam propter rationem in objectione allatam. 4to: Non est etiam necessitas conditionata eo sensu, quo auctor scripti, *in nomine Domini*, eam intelligit. Tandem non est necessitas moralis, siquidem juxta usum loquendi apud omnes Theologos Catholicos receptum, necessitas moralis omninò impropria est, neque veram ullo modo impotentiam, sed magnam duntaxat agendi vel non agendi difficultatem siggnificatione sua importat, ipsique voluntas non tantùm resistere potest, sed aliquando verè resistit; undè Vega de necessitate gratiæ ad bene operandum, quæst. 12. scribit, pag. 932. („Illa quæ difficillimé possunt fieri, moraliter dicuntur imposibilia; estque istud receptum & in Scripturis Sanctis & apud Doctores Ecclesiæ & in usu communi“)

ni. "] At necesſitati morali, quam admittunt defenſores delectationis relativé victricis, non ſolûm nunquam reſiſtitur, ſed & nunquam ei poteſt reſiſti; ergò necesſitas & impotentia quam infert delectatio relativè victrix, non niſi abuſivé & ad fovendum Janſenii de delectatione relativè victrici ſyſtema, nominatur moralis, bené veró phyſica & antecedens.

Inſt. Docent Theologi Catholici gratiam efficacem voluntati imponere necesſitatem moralem; ergò necesſitas, qvam imponit delectatio cœleſtis quæ eſt gratia efficax, eſt moralis.

Reſp. Diſt. antec. Gratia efficax imponit necesſitatem moralem, ſi necesſitas moralis ſumatur pro necesſitate conſequente, & ſupponente conſenſum voluntatis, Conc. ſi ſumatur pro necesſitate morali juxta uſum communem receptum apud Theologos, Nego. necesſitas enim moralis ſic ſumpta, ea eſt quâ aliquid licet difficulter, aliquando tamen fit: at non ſolùm difficulter, ſed & nunquam fit contrarium illi ad quod gratia efficax movet, igitur gratia efficax non imponit necesſitatem moralem. Et certé gratia efficax in ſua idæa includit infallibilem cum ſuo effectu connexionem: atqui ſi moralis necesſitas oriretur ex gratia efficaci, gratia efficax non includeret infallibilem in ſua idæa cum ſuo effectu connexionem, ſed ſolùm moralem, quæ interdum deſtrueretur, quippe necesſitas moralis aliquando ſuperatur, quod ſanè pugnat cum gratia efficaci.

Inſt. necesſitas, quam admittunt defenſores delectationis relativé victricis, eſt necesſitas conſequens; ergó

eſt

eſt neceſſitas moralis. Prob. antec. Neceſsitas quam importat delectatio cœleſtis relativè victrix, ſimilis eſt ei quam Thomiſtæ, ſecundum Janſenianos, admittunt in ſenſu compoſito ſuæ prædeterminationis phyſicæ: ſed hæc neceſsitas eſt conſequens eo nempè ſenſu, quod ſuponat, inquiunt, præviam mentis cognitionem & voluntatis deliberationem.

Reſp. Neg. antec. & prob. ejus. Illa quippe voluntatis deliberatio quam Janſeniani dicunt neceſſitatem ſupponere, non eſt, ſicut Theologi Catholici intelligunt, vis electiva ſeu activa illa indifferentia, quâ poteſt voluntas relativè ad præſentes circumſtantias agere vel non agere, ſed mera voluntatis, præeunte judicio rationis, in objecto ſuaviter alliciente complacentia & quidem neceſſaria á qua ſeipſam cohibere non poteſt, cum neceſſe ſit ut ſequatur id quod magis delectat; quamobrem cum neceſſitas illa agendi ſub motione delectationis ſuperioris non oriatur ex indifferentia voluntatis ſeipſam pro arbitrio determinantis, imo potiùs voluntatem ad unam invincibiliter & inſuperabiliter determinet, abuſivè prorsùs & ad fraudem conſequens appellatur, quia neceſsitas conſequens, ea eſt quæ ſequitur ex libera voluntatis determinatione, ſive uſu & exercitio libertatis, qualis eſt neceſsitas ſedendi in eo, qui cum liber foret ad ſedendum & indifferens ut ſederet, ſeipſum tamen ad ſedendum liberè determinavit.

Deinde falſum eſt delectationem relativè victricem imponere neceſsitatem in ſenſu compoſito, quomodo infert prædeterminatio phyſica Thomiſtarum, ſenſus enim ille

juxta

juxta Thomiſtas dicit tantum non poſſe quidem componi actionem cum non actione aut ei contraria; at ſemper remanet relativé expedita & libera facultas ad oppoſitum: in mente autem Janſenianorum ſenſus compoſitus delectationis ſuperioris cum voluntate importat ſecum non ſolùm actum ad quem determinatur voluntas & excluſionem actus contrarii, ſed etiam importat nagationem potentiæ relativé ad oppoſitum expeditæ.

2do.

Prob. Hanc 3tiam propoſitionem legi in Janſenio præcipué lib. 6. de grat. Salvat. ubi cap. 6. præfigit hunc titulum: („ Duplex neceſsitas Auguſtino, coactionis, & ſimplex ſeu voluntaria; illa, non hæc repugnat libertati.] voluntariam autem vocat neceſsitatem non illam quæ pendeat à voluntate ut ſit, vel non ſit, vel ut habeat effectum, aut non habeat; ſed illam quæ facit voluntatem voluntariè operari, etiamſi ad unum ita determinet, ut alterum non poſsit; & ideò libertatem eſſe dicit in amore quo Deus ſe amat ſufficientem ad merendum, ſi Deus eſſet capax meriti. Deinde eadem 3tia propoſitio colligitur non ſolùm ex toto libro 6to ſed & ex illuſtri loco lib. 7. in quo hæc habentur: [„ Quæ ſi vera ſunt, ſicut juxta S. Docto„ris principia veriſsima ſunt, non poterit amplius de ejus „mente dubitari, qua eum ſentire & conſtanter docere diximus, libertati arbitrii ſolam neceſsitatem coactionis, ſeu quæ, etſi nolumus, efficit id quod poteſt, eſſe contrariam omnemque actum voluntarium ſeu ſpontaneum hoc ipſo eſſe liberum “) Ex his conſtat non requiri juxta Janſenium ad

ad merendum & ad demerendum libertatem á necessitate.

3tio.

Prob. Patronos delectationis relativè victricis convenire cum Jansenio in hac 3tia propositione; in quo enim ab ipso discedere se prædicant? an quia Jansenius libertatem & indifferentiam præsentis status in sola liberi arbitrii ad bonum & ad malum flexibilitate reposuit, isti autem dicunt se activam indifferentiam voluntatis admittere? Minime; hæc enim jactata indifferentia activa nullo modo á flexibilitate Jansenii differre videtur, nam si differret, voluntas sub motione delectationis relativè victricis posset suum actum suspendere, quem tamen suspendere non potest, sed ad ipsum necessitatur, neque potest delectationi resistere, neque est ad oppositum actum expedita; ubi ergo discrimen? 2do: an quia dixit Iansenius libertatem stare posse cum immutabili determinatione ad bonum vel malum, ad bonum, ut beati in cœlo, & ad malum ut damnati in inferno? recentiores verò non?

Esto, sic locutus fuerit Jansenius, ita sanè erravit, sed in eo præcisè non stat solùm error tertiæ propositionis, in quo igitur? in hoc nimirùm quód docuerit libertatem ad rationem meriti desideratam stare cum necessitate, quæcumque sit illa necessitas, sive mutabilis sive non, modò non sit coactionis necessitas, quia illam unam excipit: porró defensores victricis relativé delectationis tenentur, asserere ejusmodi delectationem inferrre

 neces-

necessitatem ; ergo tertiam Jansenii propositionem tuentur.

Dicentne suam delectationem inferre necessitatem moralem, non physicam, qualem admittit Iansenius. Resp. Imo: Iansenium nunquam appellasse necessitatem illam physicam, quamvis reverâ physica sit. 2do: Hæc necessitas nonnisi abutendo terminis vocari potest moralis, ut sæpiùs dictum est ; undè Janseniani, Dionysius, Raymundus, auctor libri, *Defense des Theologiens & surtout des disciples de S. Augustin*, auctor libelli cui titulus, *Reponses aux remarques de M. Couët*, & alii plures hanc necessitatem moralem, sed abusive appellant.

Nota quòd etsi dixerim, sive necessitas, quam admisit Jansenius, sit immutabilis sive mutabilis, non tamen negavi Jansenium agnovisse illam necessitatem esse mutabilem ad utrùmlibet in bono scil. & in malo, hanc enim reipsâ admittit.

QUARTA PROPOSITIO.

Semi-Pelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.

Hæc propositio manifestè sequitur ex systemate delectationis relativè victricis; nam si duplex victrix delectatio dogma Catholicum spectat, si voluntas resistere non potest

reſt delectationi cœleſti & relativè ſuperiori, ſequitur hæreticum eſſe aſſerere, quód gratiæ interiori reſiſtatur: atqui ex Janſenio dogma delectationis relativè victricis eſt dogma Catholicum, nec voluntas reſiſtere poteſt delectationi relativè ſuperiori; ergo ſequitur hæreticum eſſe aſſerere, quod gratiæ interiori reſiſtatur. Jam veró Semi-Pelagiani ſeu Maſſilienſes aſſerebant, gratiæ interiori reſiſti; ergo eorum error in eo ſitus erat, quod vellent reſiſti gratiæ interiori, ac proindè in eo erant hæretici. („ Semi-pelagiani, *ait Janſenius lib. 2. de grat. Chri. cap.* 12. admittebant libentiſſimè adjutorium Dei cum quo poſſent credere, &" orare ſi vellent; ita ut & adjutorium, & ipſum velle &" nolle, quemadmodum homini primo in eorum libero re-" linqueretur arbitrio: horrebant veró illud capitaliter quo" ſecundùm Auguſtinum fiebat ut vellent, „) In hoc ergo, inquit idem Janſenius de hæreſi Pelagiana, cap. 8. *propriè Maſſilienſium error ſitus erat.*

2do.

Prædictæ quartæ propoſitionis duæ ſunt partes, una facti, an ſcil. Semi-Pelagiani agnoverint gratiam neceſſariam ad initium fidei? Altera, an hæreticum ſit aſſerere gratiam actualem eſſe talem cui voluntas humana poſſit reſiſtere vel obtemperare? Hæc utraque pars traditur à Janſenio; 1ma quidem lib. 8. de hæreſi Pelag. qui eſt 2dus, de Semi-Pelag. ubi cap. 6. hoc argumentum inſcribit:

 („ Ter-

(„ Tertia gratia generalis Massiliensium est actualis interna & sufficiens ad credendum, non ad operandum &c. "] 2da. pars similiter colligitur ex Jansenio multis in locis, sed præcipué lib. 2. de grat. Salvat. cap. 4. ubi expendens discrimen inter gratiam Christi & gratiam primi hominis, sic habet: [„ Quod clariús fortasse dici potest, quód gratia sanæ voluntatis in ejus libero arbitrio relinqueretur, ut eam „si vellet desereret, aut si vellet uteretur: gratia veró la-„psæ, ægrotæque voluntatis nullo modo in ejus relinquatur „arbitrio, ut eam deserat aut arripiat si voluerit, sed illa sit „potiús illa postrema gratia, quæ invictissimé facit ut velit, „& á voluntate non deseratur: quod discrimen tam lucu-„lenté tradit Augustinus in lucubrationibus, quas adversús hostes gratiæ exaravit, ut impossibile sit legenti non advertere „)

„ Objic. Janseniani in quarto suorum articulorum disertissimé aiunt:

Qualiscunque gratia detur, voluntas semper potentiam habet activam & proximam ei refragandi, etsi gratiæ efficaci nunquam resistat &c.	Quelque grace qu'on reçoive la volonté á toûjours une puissance active & prochaine de luy resister, quoyqu'on ne resiste jamais á la grace efficace &c.

Ergo falsum est Jansenium docuisse hæreticum esse asserere, talem esse gratiam, cui possit resisti aut obtemperari.

Resp. Dist. antec. Voluntas semper habet poten-

tiam

tiam activam & proximam, sed ligatam & impeditam resistendi, Conc. Solutam & expeditam ab omni impedimento, Nego. Iansenius & Janseniani docent inesse homini sub gratia efficaci constituto peccandi potestatem perfectissimam atque adeó gratiæ resistendi: sed hæc potestas est ligata & impedita in suo exercitio, quandiu gratia seu delectatio cœlestis relativé victrix dominatur; undè hic quartus Jansenianorum articulus illos ab hæresi quartæ propositionis non absolvit.

3tio,

Recentiores delectationis relativè victricis propugnatores in hac quarta propositione saltem quoad 2dam partem á Jansenio non recedunt, nisi ore aut scripto tenùs; docent enim sicut & Jansenius voluntatem positam sub gratia efficaci habere quidem potentiam activam resistendi, sed ita ligatam & impeditam à superiore delectatione, ut ei refragari nequeat; undè in solis ineficacibus desideriis ac velleïtatibus hærere tenetur. Porró hæc potentia activa est vera impotentia physica, quia sat virium non habet &c. ut anteá observatum est.

Nec est quód dicant Jansenium rejecisse indifferentiam voluntatis sub motione delectationis superioris. se verò è contra; non est inquam, quod id dicant, quia nullam aliam rejecit indifferentiam Iansenius præter illam quam rejiciunt & isti recentiores; nam Jansenius rejecit indifferentiam æquilibrii, quam Pelagianam vocat l. 7. de grat. Christi. c. 14. hæc indifferentia se habet instar bilancis:

at

at recentiores iſti talem indifferentiam tolli per gratiam efficacem aſſerunt, quia per illam voluntas applicatur ad unam partem. 2do: Janſenius rejicit exercitii indifferentiam ad hoc vel illud malum ſub delectattone terreſtri ſuperiori ad hoc vel illud bonum ſub dominante cœleſti delectatione de ſtatu naturæ lapſæ, l. 2. cap. 3. & alibi; ſed recentiores ſuſtinent voluntatem per ſuperiorem delectationem ad unum determinari ut ad aliud non ſit ampliùs indifferens. 3tio: aſſerit Janſenius, lib. 8. de grat. Chri. cap. 1. & 2. ſe eadem admittere ſub motione gratiæ victricis indifferentiam, qualem admittunt Thomiſtæ ſub præmotione phyſica: at recentiores nihi frequentiùs voce aut ſcripto proferunt, quàm ſe admittere gratiam in ſenſu Thomiſtico. 4to: ſignificat Janſenius indifferentiam adeſſe comitem omnibus hujuſce vitæ actionibus: idipſum teſtantur recentiores Theologi, alias manifeſté docerent gratiam deſtruere libertatem. 5to: Janſenius ſcripſit ſe de indifferentiâ & libertate genericé ſumpta loqui, non verò de libertate hujuſce ſtatûs, ad quam fatetur indifferentiam requiri: hæc autem omnia effutit Janſenius ad illudendum & fucum faciendum, ſic & recentiores iſti faciunt, eò magis quòd idem cum Janſenio admittant principium ſeu delectationem relativé victricem; undé neceſſariò fluunt quinque propoſitiones.

Nec eſt 2do: quòd dicant ſe duntaxat admittere delectationem relativé ſuperiorem non neceſſitantem. Id, inquam, obmutire non poſſunt, propterea quód nulla eſt delectatio relativé victrix, quæ neceſſitatem phyſicam, antecedentem, ut dictum eſt, voluntati non inferat; quia ſecun-

ſecundùm id quod magis delectat, neceſſe eſt operari, ut hoc Janſenii principium á recentioribus ardenter ſuſcipitur ita acriter & nervoſé defenditur. Nec eſt tandem quód nobis obtrudant ſe per gratiam efficacem ſeu delectationem cœleſtem relativè victricem nihil aliud intendere, niſi ut evertant Molinæ ſyſtema. Id iterum non eſt quód obtrudant, imo: quia Molinianum ſyſtema Catholicum eſt, quare ergo adhibent ſyſtema, unde profluunt propoſitiones hæreticæ, ut ſyſtema Catholicum è medio tollant? 2do: etſi ſyſtema Molinianum apud Catholicos malé audiret, nunquid eradicandum eſſet per ſyſtema erroneum aut erroris ſuſpectum; Multiplex aliud eſt Catholicum ſyſtema, quale eſt ſyſtema vel Thomiſticum, vel delectationis abſolutè victricis &c. per quod everti poteſt? cur ergo ad ſyſtema Scholis Catholicis inauditum tam libenter confugiunt?

Adde quod recentiores iſti eandem cantilenam intonant ac veteres Janſeniani, qui ſe id unum velle per ſuam gratiam efficacem profitentur, nempè ut Molinæ libertas quæ gratiam Chriſti ut ſibi pediſequam ſubjicit, peſſundetur. Quamobrem in omne, quod iſti recentiores in ſuæ delectationis relativè victricis defenſionem proferunt, jam anteá á priſcis Janſenianæ hæreſeos ſectatoribus, quales ſunt D. de la Lane; D. Bourſe; Paulus Irenæus; Arnaldus &c. adductum eſt.

Nec denique obeſt id, quod obgarriunt nimirùm in eo Janſenium á ſe ipſis differre, quód juxta illum non minús infallibiliter voluntas determinatur ad malum per delectationem ſuperiorem terrenam, quàm determinatur ad bonum

bonum per delectationem superiorem cœlestem, id autem inquiunt, non contingit in suo systemate juxta quod voluntas sub ardentiori terrena delectatione constituta, potest aliquod opus morale bonum aliquando elicere. Id, inquam, non obest, illud enim discrimen quod proferunt, fictitium ac chimæricum est; quippe sicut per delectationem cœlestem relativè victricem voluntas necessariò determinatur ad bonum, sic & per delectationem terrenam superiorem necessariò determinatur ad malum, neque possibile est, ut voluntas prorumpat aut prorumpere possit in actum bonum etiam moralem, quandiu sub terrena superiore delectatione posita est, propter virium decretionem & infirmitatem ortam ex peccato.

QUINTA PROPOSITIO

Sic exprimitur: Semi-Pelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninó hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse.

Per hanc propositionem volunt Ianseniani Christum non esse mortuum pro fidelibus reprobis, sed duntaxat pro prædestinatis; hæc quoque propositio fluit ex delectatione cœlesti victrice, quippe pro illis solúm mortuus est Christus Dominus, quibus confertur gratia interior operans in ordine ad salutem; nulla enim est interior gratia, quæ hunc in finem non collimet: atqui non datur fidelibus reprobis gratia interior in ordine ad salutem, ait Iansenius, hæc enim ipsis si daretur, salutem necessarió operarentur, quia gratiæ interiori nunquam resistitur; causa autem, cur ipsi

ipsi non resistitur, ex victrice delectatione, quam secum infert, procedit.

Ex dictis hucusque' patet quinque Jansenii propositiones ex systemate delectationis relativè victricis, tanquam ex suo fonte naturaliter derivari; undè nullus est Jansenianus, qui hactenus in gratiam ejusmodi delectationis pro aris & focis non decertaverit, propterea quod rectè noverit medullam totius systematis Janseniani in ea contineri.

2do.

Ostenditur hanc quoque propositionem legi apud Jansenium, lib. 3. de grat, Salvat. cap. 21. his verbis: [Quæ „ sanè cum in Augustini doctrina perspicua certaqué sint, nullo modo principiis ejus consentaneum est, ut Christus Dominus, vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel" pro justorum non perseverantium æterna salute mortuus esse, sanguinem fudisse, semetipsum redemptionem dedisse, Patrem orasse, sentiatur; scivit enim quo quisque jam ab" æterno prædestinatus erat, scivit hoc decretum, nec ullius pretii oblatione mutandum esse, nec se ipsum velle" mutare; ex quo factum est, ut juxta S· Doctorem, non" magis Patrem pro æterna liberatione ipsorum, quám pro Diaboli deprecatus fuerit: sed si quid pro ipsis rogavit" Patrem, pro temporalibus quidem justitiæ effectibus" rogavit, fuditque sanguinem suum, &c. ") *Et paulò post dicit contrariam sententiam fuisse.* („ machinam á Semi-Pelagianis erectam, & ab antiqua Ecclesia repudiatam. "] *&* *initio capitis, hoc argumentum jam.* („ ad nauseam" usque à Pelagianis, præsertimque Massiliensibus incul-" catum. ")

 Dices:

Dices; voluntas Christi pro hominibus morientis & sanguinem suum fundentis conformis erat voluntati Dei Patris de omnium salute; atqui Deus vult omnes homines salvos facere voluntate antecedente non sterili & otiosa ut observat Jansenius, lib' 3. de grat. Chri. cap. 17. ubi docet per illam voluntatem Deum paratum esse dare omnibus eam gratiam, quam ante peccatum homini innocenti „dederat ; non sufficit, inquit, („ prior gratia, quam ante „peccatum Deus homini conferebat, & etiam nunc omni„bus conferre paratus est, si voluntatem ejus usui sufficien„tem reperiret. Porrò nonne sufficit ut voluntas antecedens dicatur activa, quod parata sit omnibus aliqua divinæ „gratiæ auxilia impertiri . . . . . . non est, ait, illusoria Dei „vocatio & admonitio & increpatio, & correctio . . . . . . Tribuit enim quidquid creaturæ rationali à se conditæ ad audiendam, sequendamque vocem suam necessarium fuit. "] Cap. verò 27. lib. 2. de grat. Chri. ait : (,, Multos divinæ gratiæ motibus in voluntate percelli, qui ab ejus interna suasione & inclinatione dissentiunt. ") Porrò Deus verè intendit aliqua voluntate illud bonum opus ad quod provocat internâ gratiæ suæ suasione; illa autem voluntas est tantùm antecedens, neque tamen omninò sterilis; ergo &c.

Resp. Conc. maj. Dist. min. Jansenius docet Deum velle salvare omnes homines voluntate antecedente non otiosa & sterili, quia nempè confert reprobis parvas gratias, quæ in concursu fortiores cupiditatis sola producunt inefficacia desideria, Conc. quæ sint verè sufficientes ad æternam salutem adipiscendam, Nego, Cum ejusmodi

parvæ

parvæ gratiæ non magis conferant ad salutem illorum quibus tribuuntur, quam si nullas prorsùs haberent, nec aliæ gratiæ majores, quas Deus juxta Iansenium reprobis largitus plus ad eorum æternam prædestinationem prosunt, quàm ad damnatorum salutem (illæ enim ad fructus solùm temporaneos, ait Jansenius, á Deo destinantur.) Hinc scripsit idem Jansenius Christum non magis mortuum esse pro reprobis in via adhuc stantibus, quâm pro dæmonibus & damnatis; Porró cùm gratiæ sufficientes juxta recentiores geminæ delectationis relativè victricis vindices, non magis completam & expeditam servandi mandata voluntati tribuant, quam parva Jansenii gratia, ut totiés ostensum fuit; idcircò non magis in rei veritate volunt Deum velle omnes homines salvare, quàm Iansenius, undè Iansensiani antiquiores, ut Paulus Irenæus, disp. 6. art. 8. libenter profitentur esse in Deo voluntatem veram, non otiosam ac sterilem, sed actuosam pro salute omnium; sic auctores quinque articulorum, art. 5. veritati consentaneum est dicere, inquiunt, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse ac sanguinem fudisse voluit, tum quia sufficiens pro omnibus pretium obtulit, falsum autem est & hæreticum dicere Christum pro salute duntaxat prædestinatorum mortuum esse, cum multis reprobis, omnibusque á Deo justificatis gratias, quæ à Thomistis sufficientes appellantur, meruerit, quibus ad salutem pervenire possent, quàmvis nemo illis bene utatur, & in accepta justitia perseveret, nisi uberioribus illis & efficacibus auxiliis adjuvetur. Annè propterea intendunt Deum velle omnes homines salvare ea voluntate, quæ largiatur gratias verè sufficientes, quibus homo adjutus habeat com-

pletam & expeditam potentiam legem obſervandi, & concupiſcentiam oppoſitam ſuperandi? Minimé gentium.

SOLUUNTUR OBJECTIONES.

Objic. Certó aſſeri non poteſt quinque Janſenii propoſitiones ex ſyſtemate delectationis relativé victricis profluere, ſi auctores Theologi & Catholici illius ſyſtematis defenſores rejiciant quinque propoſitiones, & in ea vehementer inſurgant: atqui ſunt plures Theologi autores, qui quinque Janſenii propoſitiones reſpuunt, & in eas vehementer inſurgunt, qui tamen defendunt ſyſtema delectationis relativè victricis; ergo &c.

Reſp. Neg. maj. Nam multi leguntur Janſenianorum libri, in quibus negantur quinque propoſitiones ex præfato delectationis ſyſtemate oriri, quales ſunt libri Arnaldi; Pauli Irenæi; Wendrochii; *Expoſitio fidei Catholicæ; ſpeculum pietatis; Inſtitut. Theolog. &c.* hi tamen omnes libri proſcripti ſunt, non alia certé ratione, quàm quia in ipſis continetur delectationis relativè victricis ſyſtema, quo admiſſo ac retento, non niſi ad fraudem, ac verbo tenùs quinque propoſitiones rejiciuntur. Si tamen aliqui eſſent auctores, qui animo Catholico & bona fide quinque conſectaria ſupradicta negarent, excuſari poſſent; eorum tamen ſyſtema erroneum eſſe non ceſſaret, ac proindè ab illo abſtinere quantociùs tenerentur.

Inſt. 1mo: Illud ſyſtema in nullius erroris ſuſpicio-

nem

nem venire poteſt, quod propugnatum fuit ſub oculis ſummi Pontificis: ſed ſyſtema delectationis relativè victricis propugnatum eſt ſub oculis ſummi Pontificis; illud enim propugnavit P. Antonius Maſſoulié Dominicanus in lib. qui inſcriptus eſt D. *Thomas ſui Interpres*; ergo &c.

Reſp. Diſt. maj. Illud ſyſtema in nullius erroris ſuſpicionem venire poteſt, quod propugnatum fuit ſub oculis ſummi Pontificis & fuit ab ipſo ſummo Pontifice approbatum, Conc. quod non fuit ab ipſo approbatum, Nego. Opus autem quod Romæ excuſum eſt ſub hac inſcriptione *D. Thomas ſui Interpres*, non fuit à ſummo Pontifice approbatum, etſi illud excudendi ab ipſo ſummo Pontifice licentiam obtinuit P. Maſſoulié, hæc licentia ad probationem doctrinæ ipſius non importat, ſed tollit duntaxat prohibitionem à Paulô V. latam typis mandandi quemlibet librum circa materiam *de auxiliis*; quomodo approbari poſſet opus, quod ipſum idem Janſenii ſyſtema continet? nam tale eſt ſyſtema delectationis relativè victricis, quod P. Maſſoulié in ſuo opere tuetur, nedum quoad verba, ſed quoad rem ipſam, quippe ad illud tuendum rationem adducit, quam San-Bovius, aliique celeberrimi Ianſeniani proferunt: ſiquidem ſcribit hanc eſſe legem immobilem á divinâ Providentia conſtitutam, ut actio ex proportione majoris inæqualitatis oriatur, qua agens ſibi ſubjiciat paſſum & major vis vincat minorem. Et. art 2. de divinæ gratiæ motione, tom. 2. diſſert. 3tia. ſic loquitur: („ Si fortior ſit divi-

ſit divinæ gratiæ motio & eâ motione accenſa charitas vincat, ſuperetque pravam cupiditatem, tunc motio divinæ gratiæ efficax eſt, quòd ſi contra vehementior ſit ipſa cu-" piditas, caſſa & inefficax redditur divina motio, aut ejus" vis ita retardatur, ut licèt effectum aliquem habeat, non" habeat tamen perfectum ad quem ex divina ordinatione tendit. ") Certé hæc verba, hancque ſententiam videtur iſte auctor ex Janſenio & Janſenianis expilaſſe; undè juxta hanc legem ab auctore naturæ, inquit, implantatam, quamque ex San-Bovio, aliiſque ejuſdem furfuris hominibus ſcripſit, oportet ut prædictus Theologus aſſerat juſtis ſola gratiâ parvâ, ſeu inferiori inſtructis, abſente efficaci, impoſſibilia eſſe quædam mandata, non quidem abſoluté ac præciſis circunſtantiis; dicit enim idem Theologus ineſſe huic gratiæ inferiori potentiam abſolutam ſervandi legem ſed relativé, minor quippe illa gratia non poteſt majorem actualem vincere concupiſcentiam.

Inſt. 2do. Ipſe P. Maſſoulié. diſſert. 4. de grat. Adami, q. 3. art. 4. expreſſis verbis demonſtrat doctrinam Thomiſticam longè á Janſeniana diſtare dicit enim; („ diſcri-„men eſſe, quód apud Janſenium hæc minor ac invalidior „gratia, quæ actum aliquem efficit, in ea duntaxat efficien-„tia ſiſtat, neque ad aliam perfectiorem actum ordinetur, „aut ex ipſa rei natura, aut ex ipſa Dei ordinatione & in-„tentione . . . . . . Quám ſané parúm rationi conſentaneum „ſit; indé ſatis liquet, quód ex ipſa rei natura ſemper imperfectum ad perfectum ordinetur. ") Hîs dictus auctor ſignificat gratiam parvam ſeu ſufficientem Janſenii ſiſtere in actu imperfecto, nec ex ſe ad ulteriorem tendere: gratia

verò

veró ſufficiens, quam ipſe auctor cum aliis Thomiſtis admittit, non hæret in actu imperfecto, ſed ad ulteriorem & perfectum ordinatur ; undè ſic arguo: á Janſeniano ſyſtemate prorsús diſſidet, qui in gratia ſufficiente agnoſcit potentiam in actu quemlibet perfectum prorumpendi: atqui præfatus Theologus agnoſcit in gratia ſufficiente potentiam prorumpendi in quemlibet actum perfectum; ergo &c.

Reſp. Neg. maj. Janſenius enim & Ianſeniani agnoſcunt in parva gratia completiſſimam & expeditiſſimam ad opus bonum potentiam, tum ex natura ipſius gratiæ, tum ex ordinatione Dei. Et certè ſi talem potentiam in ejuſmodi gratia admitterent relativè ad circunſtantias & diſpoſitiones ſubjecti, Catholicè ſentirent; ſed quia potentiam illam dicunt eſſe completiſſimam ſolùm secùndum ſe, abſolutè & præciſis circunſtantiis & diſpoſitionibus ſubjecti; ideò hæretico falluntur ſpiritu. Jam veró ipſe P. Maſſoulié eandem potentiam, ac Janſeniani, abſolutam & non relativam in gratia ſufficiente agnoſcit, juxta eam legem, quam ait ab auctore naturæ inditam eſſe, ut ſcil. actio ex proportione majoris inæqualitatis oriatur, qua major vis vincat minorem. Quapropter etſi Thomiſtica ſchola á Ianſeniano ſyſtemate aliena ſit, ut planum eſt ex congreſſu, qui habitus eſt anno. 1651. die 2da Decembris, ut tentaretur unio ac ſocietas Thomiſtas inter & Ianſenianos, in quo inter ſe convenire non potuerunt, neque quoad verba, neque quoad ſenſus. Undé auctor recentioris libelli ſub hoc titulo *Juſtification du ſilence reſpectueux*, *defenſio*

ſilen-

silentii obsequiosi, fatetur Thomisticam doctrinam á systemate superioris ac relativé victricis delectationis esse ablonam : attamen P. Massouilè, desertâ Thomisticâ scholâ, ad exteram Iansenianorum transvolavit.

Nec est quòd auctor libri inscripti *action de Dieu sur les creatures*, sibi blandiatur se germanam Thomistarum Prædeterminantium sententiam amplecti, & eam ob rem laudibus extollat P. Massoulié, nihil enim sic loquendo conficit prædictus auctor, nisi quòd præstaret Iansenianus alterum Iansenianum laudans.

Quód si dicas gratiam sufficientem Thomistarum esse semper ab actu sejunctam, sicut & gratiam sufficientem Iansenianorum. Respondeo utramque reverâ gratiam esse ab actu sejunctam, sed plané modo diverso ac dissimili; gratia namque sufficiens Thomistarum, ut jam non semel observatum est, ita ab actu sejuncta est, ut potentiam completam & expeditam illum producendi habeat, gratia verò Iansenianorum minimé; quòcirca sufficiens Thomistarum gratia Catholica est, gratia autem Iansenianorum hæretica.

Inst, 3tio: Tametsi systema prædeterminationis physicæ juxta Calvinianorum doctrinam erroneum sit, quia ex illo deducunt conclusionem Catholicæ fidei oppositam, quód nimirùm necessitati voluntatem inferat; nihilominùs illud idem systema tutó defendunt Thomistæ Prædeterminantes, quia nempé negant ex illo sequi libertatis humanæ detrimentum; ergo á pari licèt juxta perversam Iansenianorum doctrinam quinque propositiones fluant ex Systemate

dele-

delectationis relativè victricis, nihilominùs qui negant talia ex eodem principio consectaria, illud tutâ Conscientiâ docere & sustinere possunt.

Resp. Neg. conseqam & paritatem; magnum enim est discrimen inter prædeterminationem physicam & delectationem relativè victricem; namque prædeterminatio physica, aiunt ejus defensores, se habet ad instar concursûs cujusdam generalis: si verò prædeterminatio physica est instar concursûs, sequitur 1mo: eam ad creaturæ exigentiam conferri, sicut confertur omnibus agentibus concursus simultaneus juxta illorum exigentiam. 2do: eam esse actionem ipsam liberam creaturæ, quatenùs á Deo procedit. 3tio: Illam ad actum 2dum pertinere non ad 1mum. atque adeó facultatem seu potentiam, accedente illa præmotione, in eo ipso remanere statu infirmitatis vel roboris in quo erat ante præmotionem; ita ut tantum ab actu 1mo exeat in 2dum. nullo novo ex parte actûs 1mi roborata præsidio, seu nulla facta ex parte potentiæ reali mutatione. At res non ita se habet respectu delectationis relativé victricis; hæc enim 1mo: non datur ad exigentiam creaturæ, siquidem justis quibusdam volentibus & conantibus secundùm præsentes quas habent vires, non conceditur. 2do: Non est ipsa actio creaturæ libera, nam delectatio est actus indeliberatus. 3tio: Necessaria est ad actum 1mum. Eâ enim præsente potentia est expedita ad agendum, eâ verò absente actus non est in ejus potestate, ac proinde confert actum 1mum. 4to: Exinde sequitur quod ea accedente realis fiat in facultate ipsa mutatio, nec sit tantum applicatio ipsius ad actum 2dum.

Quamobrem quia prædeterminatio illa physica se solummodò tenet ex parte actûs 2di. eâ absente facultas per gratiam sufficientem libera & expedita est ad bonum, atque satis virium habet, ut actualem cupiditatem etiam ardentissimam superare possit. Similiter voluntas sub prædeterminatione physicâ præmovente ad actum supernaturalem habet facultatem aptam & expeditam ad actum malum, sicut homo sub concursu Dei simultaneo ad actum bonum habet potentiam expeditam ad actum malum. Non idem de delectatione victrici censendum est; hæc enim cum ad actum imum pertinet, voluntas tali delectatione destituta nihil boni planè ac perfectè velle potest, nec possibile est, ut per parvam seu inferiorem gratiam possit vincere superiorem concupiscentiæ delectationem; quare consequens est necessariò facultatem in talibus circunstantiis esse ligatam nec liberam & expeditam ad bonum. His explicatis patet Thomistas Prædeterminantes non immeritò asserere prædeterminationem physicam nullam imponere necessitatem voluntati, quippe est actus 2dus nec se tenet ex parte potentiæ: Calvinistas verò, qui volunt efficacem seu prædeterminationem physicam se tenere ex parte potentiæ, optimè docere illam inferre voluntati necessitatem, liberumque ejus perimere arbitrium; undè conclusio, quam Calviniani ex gratia per se efficaci seu prædeterminatione physica inferunt, est hæretica & damnata ab Ecclesia, quia ex principio erroneo elicitur; prædeterminatio enim physica ad sensum Calvini est principium erroneum; conclusio autem, quam Thomistæ Prædeterminantes ex physica prædeterminatione eruunt, non est hæretica, nec á prin-

à principio erroneo procedens.

Jam verò cùm delectatio relativè victrix se teneat ex parte solius potentiæ & necessariò requiratur ad complendam potentiam, quippe eâ absente facultas seu potentia ligata est, nec libera, nec expedita relativè ad oppositam delectationem, ait Jansenius; consequens est, ut illâ stante necessarió sequantur quinque propositiones, nec illos, qui videntur negare eas ex hoc fonte oriri, sinceré loqui.

Inst. 4to. licét Ecclesia damnaverit quinque propositiones, non tamen damnavit delectationem relativè victricem ex qua sequitur; ergó etsi prohibitum sit illas defendere, licèt tamen delectationem relativé victricem sustinere; sicut fas est cuique prædeterminationem physicam docere, quia quamvis Ecclesia conclusionem Calvinianam ex ea deductam proscripserit, prædeterminationem physicam non damnavit. Adde quod ideó Prædeterminatio Physica Thomistarum non est instar delectationis relativè victricis, quia se tenet ex parte actûs 2di, & non pertinet ad potentiam; atqui delectatio relativè victrix pertinet ad actum 2dum & non ad 1mum seu potentiam, ait Paulus Irenæus, disq. 6. art. 5. [„ Duplex, *inquit*, est potestas, alia actûs 2. alia quæ interiorem virtutem notat; alia quæ impulsionem & applicationem ad agendum involvit. ") at delectatio victrix movet, impellit, applicat ad agendum; ergó &c.

Resp. Neg. antec. Ecclesia enim damnavit quinque propositiones in sensu Iansenii: atqui alius non potest assignari illarum sensus, quám qui ex delectatione superiori oritur & cum ea connectitur: undè qui ex discipulis Jan-

 senii

ſenii alium aſſignare voluerunt, nonniſi vanum erroris ſimulachrum ac phantaſma á mente Ianſenii alienum nobis exhibuere. Quoties igitur aliqua erronea concluſio per neceſſariam & intimam connexionem é certo principio deducitur, non tantum concluſio, ſed & ipſum principium undé oritur negari debet; niſi claré demonſtretur illam concluſionem malè ex principio derivare, nec ullam habere cum eo connexionem: ſed mox oſtendimus quinque famoſas propoſitiones é Janſeniana delectatione relativé victrici neceſſariò fluere, ergò non ſolùm quinque propoſitiones proſcriptæ ſunt, ſed etiam ipſa delectatio á qua ſcaturiunt, nec Eccleſia prædictas propoſitiones in ſenſu illarum connexionem cum principio ſuperioris delectationis agnovit. Nec valet petita ex prædeterminatione phyſica comparatio: quippe Eccleſia nec in principio, nec in concluſione damnavit prædeterminationem phyſicam ad ſenſum Thomiſtarum; vel ſi valeat, in eo duntaxat valet, quòd ſicut prædeterminatio phyſica ad ſenſum Calvini proſcripta eſt & in concluſione & in principio, ſic delectatio relativé victrix; nam hæc delectatio nullo modo explicari poteſt ſenſu Catholico, ut mox oſtenſum eſt, aſſerendo diſcrimen prædeterminationis phyſicæ & delectationis relativè victricis.

Ad Paulum Irenæum dico ipſum non loqui congruenter ad mentem Janſenii, hic enim l. 8. de grat. Chri. cap. 2. diſerté ſcribit delectationem relativé ſuperiorem in eo diſtingui á prædeterminatione phyſica, quód hæc ſe habeat ad inſtar concursûs generalis, illa verò non, quare delectatio relativé ſuperior non ſe tenet ex parte actûs 2. aliàs ſe

haberet

haberet ut concursus, sed duntaxat se tenet ex parte potentiæ. Præterea omnes Janseniani aiunt delectationem relativè victricem conferre potentiam & actum 1mum, igitur non confert actum 2dum. Item falsó scribit Paulus Irenæus Iansenium admisisse gratiam sufficientem Thomisticam sub nomine adjutorii possibilitatis, lib. 5. de Hæresi Pelag. cap. 11: nam ibi tam abhorret á gratia possibilitatis, ut illam, ad solos Pelagianos remittat, & ab hoc statu respuat.

Nec est quód dicas prædeterminationem physicam à primis Thomistis Prædeterminantibus vocari, complementum actûs 1mi ac proinde pertinere ad potentiam. Id, inquam, non dicas, si enim appelletur hoc nomine, non alia ratione, nisi quia actus 1mus tendit ad 2dum. non verò eo sensu, quod ipsa absente non sit potentia & actus 1mus. siquidem semper adest urgente præcepto gratia sufficiens, dans posse completum & expeditum servandi præcepta etiam absente physicâ præmotione.

Inst. 5to: Systema delectationis relativé victricis videtur magis ad rationem & ad sensum Catholicum accedere, quàm systema prædeterminationis physicæ; nam stante Thomisticæ prædeterminationis systemate, gratia sufficiens nunquam exit in actum, nisi accedente novo ex parte Dei auxiliô, ut gratia sufficiens reducatur ad actum, atque adeò est gratia sufficiens insufficiens, quod sané adversari videtur Scripturæ & rationi, ut probatum est supra in 2da parte, agendo de virtute gratiæ sufficientis: sed in systemate Jansenii gratia parva, quæ & sufficiens nuncupatur, fit efficax & exit in actum nullo novo accedente auxiliô gratiæ, sed sola

solâ imminutione cupiditatis oppositæ, nam quo magis decrescit opposita concupiscentia, eò magis crescit gratia parva: ubi autem crescendo evadit superior, prorumpit in actum.

Resp. Neg. antec. Nam in quovis systemate præter gratiam quæ dat potentiam, requiritur novum axilium ex parte actûs 2di, quod sit instar concursûs, per quod potentia reducatur & applicetur ad actum; quare nedum in systemate Thomistico, sed in systemate Janseniano tale desideratur ex parte actûs 2di auxilium, nec gratia parva quantumvis crescat ex oppositæ delectationis imminutione, absque tali auxilio suum actum producet. Præterea gratia parva Jansenii similis est gratiæ Molinianæ, ut suprà probatum est, quia sicut gratia Moliniana per resistentiam aut per obedientiam voluntatis fit efficax aut inefficax, sic gratia parva per imminutionem & accretionem cupiditatis oppositæ reperit in voluntate resistentiam aut obedientiam; ratione cujus est efficax aut inefficax.

Ex dictis liquidò patet, 1mo: quinque famosas propositiones ex systemate delectationis relativè victricis naturali ac necessario fluxu promanare. 2do: Easdem propositiones legi apud Iansenium. 3tio: Meritò patronos delectationis relativè victricis in suspicionem Jansenismi venire; nec ejusmodi suspicionem declinare possunt dicendo, se delectationem necessitantem, qualem agnoscit Iansenius, non admittere: quinque autem propositiones ex solâ delectatione necessitante proficisci; id, inquam, dicendo Iansenismi suspicionem minimè declinant, quippe statim atque admittitur delectatio relativè victrix, admittitur & delectatio necessitans, quia admittitur delectatio,

cui

cui voluntas resistere non potest; si enim resistere posset, maximè per delectationem inferiorem, sed per delectationem inferiorem voluntas non potest resistere delectationi relativè victrici, propterea quòd, inquiunt, delectatio inferior sat virium non habet, ut possit vincere superiorem oppositam delectationem.

Quæres: quomodo discrepet delectatio simpliciter & absolutè victrix á delectatione gradu superiori & relativè victrici?

Resp. Illud discrimen sufficienter ex dictis colligi posse, sed majoris intelligentiæ gratiâ. Dico 1mo: quòd antequàm concipiatur inesse voluntati gratia simpliciter & absolutè victrix, supponitur præexistere gratia actualis sufficiens, quæ dat posse completum & expeditum ad servanda mandata, viresque tribuit relativè æquales ad vincendam delectationem oppositam: at antequàm inexistat voluntati delectatio relativè victrix, quæ est efficax Iansenii gratia, non est gratia sufficiens actualis tribuens voluntati completam & expeditam potentiam ad vires relativè æquales superandæ cupiditati. 2do: Præsente delectatione simpliciter & absolutè victrici remanet in voluntate potentia proxima, quæ sat virium habet ad resistendum, talis enim delectatio absolutè & non per gradus victrix importat tantùm certitudinem effectûs, integrâ remanente potentiâ ad actum oppositum, sed præsente delectatione relativè victrici, si sit terrena v. g. parva Iansenii gratia, non habet sat virium ad actum oppositum eliciendum. 3tio: Delectatio cœlestis relativè victrix & parva Jansenii gratia non differunt intrinsecè & ex natura sua, sed solùm extrinsecè per ordinem

ad ma-

ad majorem vel ad minorem concupiſcentiam oppoſitam, in quam impingunt, ratione cujus delectatio dicitur invincibiliter efficax aut invincibiliter inefficax: at in ſyſtemate delectationis ſimpliciter victricis gratia efficax & ſufficiens diſtinguuntur intrinſecé & ex natura ſua; ergó &c.

In quo tandem, reponenda ſit efficacia gratiæ?

Nota 1mo: ſeu potiùs revoca ex dictis, duplicem diſtingui motionem, alteram phyſicam; alteram moralem. Motio phyſica ea eſt, quæ efficiénter & reali influxu voluntatem determinat & applicat ad actum, effectumque cum voluntate phyſicè attingit. Motio moralis ea eſt, quæ objecti propoſitione, ſuaſione internâ & invitatione voluntatem movet, excitat & impellit, ut ſe ad effectum producendum determinet & applicet, ipſam veró nec determinat, nec applicat.

Nota ſeu revoca 2do: ex dictis, duplicem per ſe admitti gratiam efficacem, alia eſt gratia per ſe ex natura ſua ſimpliciter efficax: alia eſt per ſe efficax non ſimpliciter, ſed moraliter tantum. Illa eſt gratia phyſicé prædeterminans; hæc veró eſt gratia prædeterminans duntaxat moraliter. Diximus ſupra in neutra reponendam eſſe efficaciam gratiæ, quia utraque videtur tollere libertatem; utraque enim tollit indifferentiam, quia utraque determinat voluntatem ad unum: determinatio autem & indifferentia opponuntur; quare S. Auguſtinus in explicanda vi gratiæ efficacis, nunquam, ut obſervavit ſupra P. Macedo

cedo, usus est verbo *prædeterminare* aut *determinare.*

Nota 3tio: gratiam per se & ex natura sua efficacem immediatè & per se cum voluntate attingere effectum: gratiam veró quæ est efficax & non per se, movere quidem voluntatem ut effectum producat, sed ipsum per se non producere; sola enim voluntas cum gratia cooperante producit & attingit physicè effectum, ad quem producendum per gratiam efficacem moraliter excitatur; undè hæc gratia est quidem efficax, sed non per se efficax; quia per se non est efficiens.

Nota 4to. duplicem esse motionem moralem. alia est simplex; alia est vehemens; Hæc prædeterminat & applicat voluntatem ad actum, illa verò non.

CONCLUSIO.

Efficacia gratiæ reponenda est in simplici motione morali, quæ mira & interna virtute movet voluntatem ut se ad agendum determinet, undé sequitur infallibiliter effectus. In hac conclusione tres sunt partes, 1mo: Gratiam efficacem esse motionem moralem. 2do: Ejus virtutem esse internam & mirabilem. 3tio: Ex illa sequi infallibiliter effectum.

Prima pars ex dictis probata manet, nam efficacia gratiæ non consistit in motione physicé prædeterminante, neque in motione moraliter prædeterminante; ergó consistit in simplici motione morali. 2do. Motio, quæ fit per objecti propositionem, moralis est: atqui efficacia gratiæ consistit in motione, quæ fit per objecti propositionem, sua-

 sionem

ſionem internam &c. ut dictum eſt in prima parte, ubi oſtendimus S. Auguſtinum nunquàm agnoviſſe gratiam per ſe & ex natura ſua efficacem, ſed illam conſiſtere in motione morali per objecti propoſitionem, ſuaſionem, inſpirationem internam &c. ſic propoſitâ S. Paulo objecti viſione converſus eſt Apoſtolus, ait S. Auguſtinus, l. 1. ad Simplic. quæſt. 2. [„ Occurrente utique tali viſo, quo „mens illa, & voluntas, retracta ſævitia retorqueretur & „corrigeretur ad fidem. “) Quibus patet vocationem Pauli factam eſſe per immiſſionem viſi ſeu per objecti propoſitionem: hæc autem immiſſio viſi fuit gratia efficax. [„ Ut Paulus, *inquit S. Auguſtinus lib. de grat. & lib. arbit cap.* „5. de cœlo vocaretur, tam magnâ & efficaciſſimâ vocati- „one converteretur, gratia Dei erat ſola. &c. “) Sic idem S. Doctor, tract. 26. in Joann. explicans, quomodo Deus Pater attrahat ad Chriſtum, utitur ſimilitudinibus rerum, quæ non prædeterminant animam, ſed illam invitant objectorum demonſtratione ac propoſitione; („ Ramum, *inquit*, viridem oſtendis ovi, & trahis illlam; nuces puero demonſtrantur & trahitur. “) *Et mox.* [„ Si ergo iſta, quæ inter delicias, & voluptates terrenas revelantur amantibus, trahunt, quoniam verum eſt, trahit ſua quemque voluptas; „non trahit revelatus Chriſtus á Patre? Quid enim fortiùs deſiderat anima, quàm veritatem? “] Porrò hæc objecti propoſitio fit per divinam ſuaſionem, quæ ſemper lumen infundit & afflat initium bonæ voluntatis, ſic S. Auguſtinus, lib. de ſpir. & lit. cap. 34. („ Viſorum ſuaſionibus agit Deus, ut velimus & ut credamus . . . . . neque enim credere poteſt quolibet arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio vel vocatio &c.

tio &c. ") Ut autem S. Doctor significet se excludere á ratione gratiæ efficacis motionem prædeterminantem si-„ ve physicè, sive moraliter, subjungit: [„ Consen-„ tire autem vocationi Dei, vel dissentire, propriæ volun-„ tatis est. "]

Prob. 2da pars, nempè virtutem illius motionis seu gratiæ esse internam atque mirabilem ex S. Augustino, lib. de grat. Chri. cap. 24. („ Interna, *inquit,* atque occulta" mirabilis ac ineffabilis potestas operandi bonas voluntates." ") lib. de prædest. sanct. cap. 20. („ Mirabili modo &" ineffabili operari velle. ") Porrò si gratia efficax præde-" terminaret voluntatem ad actum, jam illa virtus non esset mirabilis; vis enim mirabilis in eo præcipuè elucet, quod gratia efficax infallibiliter suum sortiatur effectum, liberam tamen relinquat voluntati dissentiendi potentiam: atqui gratia prædeterminans non videtur nobis liberam relinquere voluntati potentiam dissentiendi; ergó &c.

Prob. 3tia pars, nimirùm motionem illam suum assequi infallibiliter effectum; („ Si ergo, *inquit S. Augustinus, Epist.* 107. ita præpararet, atque operaretur Deus hominis voluntatem, ut tantummodò legem suam, atque doctrinam libero ejus adhiberet arbitrio, nec vocatione illâ" altâ, atque secretâ sic ejus ageret sensum, ut eidem legi," atque doctrinæ accommodàret assensum. ") Undè sic conficio argumentum. Illa gratiam suum infallibiliter assequitur effectum, quæ ita sensum seu mentem agit, atque illi persuadet, ut consensum doctrinæ, quæ sibi prædicatur, accommodet; si enim Deus per ejusmodi gratiam ita movet voluntatem ad alliciendum ejus consensum, ut assensum

præbeat, consequens est illam suum infallibiliter obtinere effectum: atqui per motionem illam moralem Deus ita mentem agit, voluntatemque movet, ut suum alliciat consensum; ergó illa motio suum infallibiliter obtinet effectum. Itaque quando („ Deus, *ait Faber Faventinus Franciscanus, celeber-„rimus Theologus, disp. de prædest. Dei. lib. 1. dist. 40. quæst. 1ma: disp. 57.* vult voluntate ultimatâ, & be-„neplaciti inducere voluntatem creatam ad actum aliquem, „proponit ei objectum mediante cognitione intellectûs sub „tanta ratione boni, & sub tot circunstantiis moventibus „ipsam voluntatem, quod quamvis ipsa resistere possit, non „tamen resistit; vel immittit tantum affectum, & amorem „in voluntate supernaturaliter, ut est charitas, quòd libentissimè se determinat ad actum. Si enim affectus & amor „terrenarum rerum ita inflammat voluntatem, ut præsen-„tato objecto terreno statim, ut plurimúm ad illud diligen-„dum se determinet, multó magis hoc facit inflammata impulsu divino.“) Sic immisit visum seu rationem menti Ægyptiorum, quam Deus prævidebat idoneam esse, ut per eam judicarent bonum esse commodare Hebræis pretiosas vestes & vasa; sic fecit Deus, ut menti Philistinorum occurrerent objecta seu rationes, ob quas timendum esse judicarent. Sic immisit in Israëlitas, qui secuti sunt Saülem, rationes, ob quas judicarunt bonum esse obedire Regi á Deo electo. Vide in 4to. cap. 1mæ partis objectiones, quæ vulgò fiunt adversús præsentem conclusionem.

Quæres undè repetatur infallibilitas illius motionis seu gratiæ efficacis?

Resp:

Resp. repeti vel ex interna ejus virtute, quam Deus ita accommodat, ut prævideat voluntatem infallibiliter ei consensum præbituram, vel dico quód cùm Deus perfectè noverit omnes propensiones animi nostri, nec ignoret omnia quæ ei possunt occurrere in singulis deliberationibus, perspectamque habet vim motionis seu gratiæ, quæ movet animum tali propensione & ingenio præditum, infallibiliter infert quam ad patrem voluntas sit se determinatura. Hæc responsio suum habet in Scripturis fundamentum, ubi dicitur Deus scrutari corda & renes, & investigare omnes semitas nostras, Psal. 138. Quapropter si Deus infallibilitatem effectûs gratiæ videret in sua voluntate prædeterminante omnia, non diceretur scrutari corda nostra, & investigare semitas, sed intueri voluntatem suam. Adde quód non esse mirabile, Deum omnia prænoscere, si omnia prædeterminaret, nam & nos facilè præscimus & prædicimus omnia, quæ facturi sumus nihilominùs: canit Psaltes Regius prædicto psalmo, *Mirabilis facta est scientia tua ex me*, quia de longè, cognoscit cogitationes nostras.

Dices 1mo. Si motio hæc ex virtute internâ & mirabili suum infallibiliter operetur effectum, sequitur talem motionem esse gratiam per se & ex natura sua efficacem; sed hoc militat adversùs ea, quæ supra in favorem gratiæ per se efficacis allata sunt; ergo &c.

Resp. Neg. maj. Non enim omnis gratia; quæ ex intrinseca virtute suum effectum assequitur, est per se & ex natura sua efficax; sed sola gratia talis est, quæ prædeterminat sive physicé, sive moraliter voluntatem ad actum, effectumque

ctumque per ſe attingit. Porró motio illa moralis, in qua cum S. Auguſtino cenſemus reponendam eſſe efficaciam gratiæ, non prædeterminat voluntatem ad actum, neque effectum immediaté attingit & producit, ſed mediante voluntate & gratiâ cooperante; ergo non poteſt appellari gratia per ſe & ex natura ſua efficax, quàmvis ſuum effectum infallibiliter operetur.

Dices 2do. Si efficacia gratiæ in ſimplici motione morali conſiſteret, gratia efficax non differet á gratia ſufficiente, hæc enim eſt etiam ſimplex motio moralis: ſed diximus ſuprá gratiam efficacem diſtingui á gratia ſufficiente; ergo gratia efficax non conſiſtit in ſimplici motione morali.

Reſp. Neg. maj. Licét enim efficacia gratiæ ſit in ſimplici motione morali ſita, differt tamen intrinſecè á motione morali gratiæ ſufficientis, in hoc ſcil. imò. Quòd gratia efficax ordinetur ex natura ſua ad effectum infallibiliter producendum, gratia verò ſufficiens ordinetur ad effectum contingenter & fallibiliter aſſequendum. 2do: Quód gratia ſufficiens ordinetur ad effectum aſſequendum in facilibus, gratia veró efficax in arduis & difficilibus. 3tio: Quód gratia ſufficiens ſit via & pia diſpoſitio ad gratiam efficacem obtinendam, nam ex ejus bono uſu Deus gratiam efficacem ac productivam effectûs præſtantioris largitur; undè Schola Sorbonica, ait Iſaacus Habertus, deſcribit gratiam ſufficientem apud Philippum Gamachæum Regium „Theologiæ Profeſſorem, quæſt. 2. de grat. cap. 5. („ "Auxilium ex cujus ope & bono uſu homo à Deo excita- „tus gratiam efficacem conſequi poteſt. ")

Dices;

Dices 3tio: Si homo per gratiam ſufficientem obtinere poſſit gratiam efficacem, non eſt undè S. Auguſtinus confugiat ad inſcrutabile arcanum Dei, cur nempè gratiam efficacem huic tribuit, alteri verò non? quippe facilè hujuſce diverſitatis ratio reddi poteſt, dicendo nimirùm quòd ille gratia ſufficiente benè uſus fuerit, ille veró non.

Reſp. Huic inſtantiæ non ſemel anteà ſatisfactum eſſe diſtinguendo ſcil. duplicem hypotheſim, alteram ordinariam, alteram extraordinariam. In hypotheſi ordinaria, gratia efficax datur propter bonum gratiæ ſufficientis uſum; in hypotheſi veró extraordinaria, immediatè abſque gratia diſpoſitionis ſeu gratia ſufficiente præcedenti confertur, ſic S. Matthæus gratiâ efficaci nullius ſufficientis prævio molimine á Chriſto Domino vocatus eſt. Undè quoties S. Auguſtinus ſcribit, cur Deus aliquibus ſtatim primam gratiam efficaciſſimam tribuat, qua certiſſimè convertuntur, aliis verò tantùm ſufficientem? cur è duobus pariter gratiæ ſufficienti reluctantibus, uni efficax detur gratia, alteri denegetur? cur è duobus juſtis in peccatum æqualiter lapſis, unus efficaciter reſurgat à lapſu, alter verò relinquatur? cur ex duobus perſeverentiam à Deo non petentibus, uni detur alteri non? cùm SS. Paulo & Auguſtino recurrendum eſt ad altitudinem ſcientiæ & judiciorum Dei. Illud enim in hypotheſi extraordinaria ſolùm contingit, quoniam in hypotheſi ordinaria ſolet Deus gratiam efficacem benè utentibus gratia ſufficiente, & perſeverantiam petentibus concedere.

GLOS.

GLOSSEMA THEOLOGICUM.

Differentiam formalem ſtrictè ſumptam gratiæ efficacis à ſufficiente ſtatuere prorsùs difficilimum eſt, alter labyrinthus, vel ille Nodus Gordius, quem cum Alexandro Magnô potiùs ſcindere faciliùs quàm ſolvere. Scio farraginem Sententiarum inter Theologos ſpeculativos in hac materia reperiri. Omnes tamen Auctores, quorum quisque pro ſuo ſenſu abundat, veri ſunt Catholici, qui libertatem hominis cum ea concordare ſemper habent in voto, uti debent, ne impingant in dogma pravum Calvini, vel Janſenii, qui omnem gratiam & ſolam vult eſſe efficacem, ſufficientem verò nullam. Gratia Scholaſticorum, ſi quævis ipſis ſententia hactenùs nondum arriſerit, etiam hujus boni Auctoris P. Aſſermet; qui benè diſtingvit, benè docet, ùt fert axioma Philoſophicum, pono ſententiam aliquorum Theologorum, maximè Bionii de auxil. grat. ut ſequitur: Tu verò Lector Amice, ſi pariter contentus non fueris hâc reſolutione noſtrâ, per quam, principium conſtitutivum formaliter gratiæ efficacis, & ſimul idem diſtinctivum, reponimus ſub diſtinctione, nos minimè offendes; namquè ex Martiali Pöeta:

Hæc ſi diſplicui, fuerint ſolatia nobis:
Hæc fuerint nobis gaudia, ſi placui.

Itaquè Notandum 1mo. Gratiam efficacem dupliciter poſſe ſpectari; in actu primo, & in actu 2do. Efficax in actu primo eſt, quæ eſt conſenſum hominis effectura. Efficax in actu ſecundo eſt, quæ conſenſum, ſeu actum revera efficit

efficit: ſicuti cauſa actu, eſt cauſa potentiâ; ita differunt inter ſe, non quidem adæquatè, ſed ùt includens & incluſum, inadæquatè, tanquàm pars & totum, ſeu duæ rationes mutuò præciſæ.

Nota 2do. Patres & Theologi ad Gratiam in actu primo efficacem quinque requirunt conditiones. 1. ut ordine naturæ & cauſalitatis, prior ſit conſenſu voluntatis, & influxu ejus actuali in eundem conſenſum, tanquàm actum vitalem, ſeu qualitatem quæ per actionem vitalem à voluntate humanâ producitur, veluti terminus: Porrò, hanc ipſam actionem, per influxum gratiæ in conſenſum, intelligo ipſammet entitatem gratiæ, quæ ſimul cum voluntate eſt principium adæquatum illius conſensûs in bonum; gratia quidem, ſe ſolâ movendo moraliter & efficaciter, voluntas phyſicè & vitaliter; & hæc gratia concurrit ad conſenſum tanquàm terminum, per quem formaliter voluntas propendet in bonum, aut recedit à malo. 2. Vt omninó conſenſum & infallibiliter hæc gratia ſit pro futuro impetratura à voluntate, vi ſuâ. 3. ut voluntas ei non poſſit reſiſtere, ſeu conſenſum denegare in ſenſu compoſito, id eſt conjunctim cum efficacia talis gratiæ. 4. ut conſenſum obtentura ſit non quomodocunquè, ſed ùt dixi, omninò certò & infallibiliter. 5. ut tamen relinquat uſum libertatis, ſeu indifferentiam contradictionis, ad agendum vel non agendum liberè; hoc eſt non imponat neceſſitatem voluntati ad conſentiendum. Hæ præfatæ conditiones, demptâ 1. & 2. competunt gratiæ efficaci in actu ſecundo. Dixi dempta 1. & 2. conditione, videlicet ſi reduplicativè formaliter ſpectetur, proút cauſa, & effectus proút actu

 cauſa-

causatus : quia, sic causa, proùt actu causans, & causatum proùt actu causatum á causa, sunt simul naturâ & cognitione, tanquàm relata, ex Arist. Hîs itaqué prænotatis, facilé jam devenit in cognitionem cordatus Theologus, quid velim in hac farragine Scholasticorum, varié varias congregantium opiniones, de formali distinctione gratiæ efficacis á sufficiente. Nimirum sit nova

CONCLUSIO I.

Gratia efficax in actu primô, formaliter constituitur per vim obtinendi consensum, quatenùs tanta est, ut eum reipsa obtentura sit; seu quatenùs connotat consensum, per eam reipsa efficiendum. Ratio, quia idem est principium constitutivum, quod distinctivum. Atqui vis obtinendi consensum, essentialiter distingvit gratiam efficacem in actu primo, ab efficaci gratia in actu secundo, quæ actu obtinet consensum; eô feré modô, quô causa in actu primo, pro differentia formali habet potentiam causandi: jam veró causa in actu secundo, habet ipsammet actualem causalitatem; distingvit etiam ab efficaci, quæ non est obtentura consensum, tametsi quoad hoc sit potens simpliciter.

Quod autem hæc gratia sit infallibilis, seu efficax infallibiliter hoc fit per ordinem ad scientiam Dei conditionatam, qua DEus ab æterno prævidit, tanquám agens dianó èticum seu intellectuale, eam, si daretur, consensum liberum fore obtenturam, undé statuit eam dare infallibiliter, sed præsuppositivé ad consensum. quia quod est infallibile in statu conditionali si daretur, est infallibile in statu absoluto, in quo reipsa datur. Per denominationem ergò extrinsecam á scientia media, illa gratiæ infallibilis efficacitas

ficacitas petitur. Apagé itaque procul hinc ficta Thomistarum, non verò S. Thomæ, physica prædeterminatio, quâ dicunt sed non explicant, cur fatalem necessitatem præstando, tamen libertatem auferre minimè autument, quod intelligi non potest ab ullo legitimè; etsi dicatur in sensu composito, non verò divisô: sed hoc ipsum est in quæstione, an videlicet in sensu compositô gratia efficax cum voluntate agente, illius non officiat libertati. Ergo explicatio talis potiús intricat difficultatem non solvit, videturque esse inanis petitio principii. Sed licetsi, sivé in Theologicis, sivé Philosophicis materiis alieni procul simus, ab hac doctrina Prædeterminationis Physicæ, utpoté inintelligibili; absit tamen á nobis, ut eam doctrinam quasi hæreticam aspernemur; prout illam persecutus est, sed sané ineptissimé, Jansenius lib. de grat Christi, 2. cap. 1. his verbis: *Qui medicinalem* (id est efficacem) *Christi gratiam, sic defendere conantur, ut eam in prædeterminationem physicam transforment, omni statui hominum, lapsorum & innocentium, ex vi Primæ Causæ & indifferentiæ voluntatis, necessariam; magis profectò Aristotelici, quàm Augustiniani sunt. Nam talis prædeterminatio sic asserta, non solùm nullò testimonio ejus probari potest: sed potiùs universam ejus doctrinam, innumeris locis traditam, inexplicabili confusione perturbat: tollit enim indifferentiam integræ naturæ, lapsæquè voluntatis. Tollit item & obscurat radicem veram necessitatis Gra-*

tiæ Medicinalis : nec ſinit intelligere veram naturam ejus , dum æqualiter ſtatuit illam Prædeterminationem omnibus neceſſariam. Prædeterminatio phyſica , tanquam gratiæ ab Auguſtini ſenſibus eſt remotiſſima, & potiùs in humana Philoſophia, quàm Auguſtiniana Theologia, expreſſa, & inventa eſt. Et quidem ſic arguit Thomiſtarum ſententiam, quia totam vim efficacis gratiæ in ſuavi delectatione victrice neceſſitante voluntatem, reponit. Janſeniſtæ pariter ejus diſcipuli ſtolidi apud Eleutherium, divinant aliquandò futurum, ut Thomiſtica non minús, quam Moliniſtica doctrina proſcribatur. Sed fruſtra de Moliniſtica ſupra diximus, & demonſtravimus eam eſſe ſaniſſimam. Thomiſticam hic licet non ſequamur, contra caninos tamen dentes eam lacerantes, vindicamus ab omni injuria, quæ Catholica eſt, cúm ſupponat, libertatem hominis cum gratia ſic prædeterminante licet, conſervari immunem. Nimirúm Thomiſtæ, nequaquàm Janſeniani ſunt, quia hi in Angelis & primo Homine, in ſtatu innocentiæ, ubi non fuerat concupiſcentiæ delectatio ad terrena illicita, proinde ex neceſſitate eos peccaſſe autumant, ſed falsó ; Thomiſtæ veró liberrimam voluntatem tam in Angelis, quàm Primis Parentibus ſupponunt. 2. quód Janſeniſtæ nullam gratiam ſufficientem admittant, ſed omnem & ſolúm efficacem, neceſſitantem ad conſenſum neceſſitate antecedente; Thomiſtæ omninò ſufficientem admittunt, & ſic non æquantur Janſeniſtis, cùm dicunt efficacem gratiam conſiſtere in motione phyſica prædeterminante conſenſum voluntatis: ſeu, non ſolùm concurſum ſupponunt, (ut

alii

alii passim Theologi, contra Durandum, in omnibus actionibus hominis liberis, sive indifferentibus, aut necessariis) sed etiam præcursum seu prædeterminationem physicam, ex officio, ut ajunt, Causæ Primæ & Principalis. Neque idem sentire volunt, quod Jansenistæ, cum dicendo, in sensu composito gratiæ efficacis, non esse voluntatem indifferentem ad actum positum concedunt, in sensu diviso negant: quia licet verbis idem dicere Jansenistæ videantur, tamen reipsa & sensu discrepant à Thomistis, qui hoc sensu id dicunt: quôd in sensu diviso gratiæ efficacis, homo liber est ad gratiam sufficientem cui assentitur, & coöperatur; sed cùm DEus efficacem gratiam faciat, in sensu composito homo non potest non facere. &c. Quamvis his responsis, utrum satisfaciant, nec ne? arbiter esse nolim. Dici etenim potest: difficillimum esse, quomodo supponatur completa potentia, & tamen gratia physicè prædeterminans sit omninò necessaria ex ipsis? difficillimum est, quód per eum stet, qui gratiam sufficientem habet, cùm uti sufficiente non possit, quin DEus prædeterminet, hoc est, quin efficacem concedat? ita Gradin Theologus sorbonista. Verissimé celeberrimus Philosophus Petrus Barbæus in Academia Parisiensi, plusquám 40' annis Professor, nunquám intelligere potuit has responsiones, quas in tota Summa Angelici Doctoris nusquám legere potuit; proinde prædeterminationem physicam Thomistarum non verò Divi Thomæ prolocutus est in sua subtilissima Metaphysica, ubi de hac præmotione nùm detur? Porró nos cum PP. & veterrimis Theologis asserimus infallibilitatem efficacis gratiæ, seu necessariam connexionem quam habet cum voluntatis con-

ſenſu, planè nihil libertati officere: quia hæc, non eſt neceſſitas antecedens, ſed conſequens; ſiquidem ſupponit fundamentum quo nititur, hoc eſt præſcientiam conditionalem, quâ DEus prævidit eam, ſi daretur, conſenſum liberè fore obtenturam. Quæ præſcientia, ut patet, ſupponit voluntatem conditionatè priùs, tanquàm ſuum objectum, liberè conſenſuram, ſi gratia præveniretur; & ſic DEus, qui cæcô impetu nunquam agit, nec agere poteſt, abſolutè decrevit dare hanc gratiam; hinc ſupponimus in ſcientia Divina quæ licetſi una ſit realiter, virtualiter tamen multiplex, dari inſtans non reale quidem ſed rationis tantùm, & per modum noſtrum concipiendi; nàm ſi realiter ſpectemus quidquid eſt in DEo, DEus eſt, qui unus & ſolùs eſt eſſentialiter. Et certè ſine hac *præſcientia media*, quæ connexio foret gratiæ omninò efficacis infallibiliter? nempè ſi nihil planè præſcitur de voluntate, jam hæc utpotè relicta ſuæ indifferentiæ ſeu libertatis dominio, & nihil cogitando, in quam ſe partem determinatura foret: quid niſi continenter & fallibiliter conſenſum habitura vel non, crederetur illa efficax? quia voluntatis incognitus ex hyppotheſi hac actus, eſt indifferens; ſi non præſupponantur ſcientia qua illam præcognoſcat DEus, infallibiliter ſeſe determinaturam ad conſenſum.

Ex dictis, patet illam infallibilitatem efficacis gratiæ, non eſſe quid conſtitutivum proùt ſuprà ſatis explicatum eſt, & infra fuſiùs dicetur adhuc; ſed ſolùm affectio quædam eſt & proprietas aliqua, ſupponens jam, gratiam in ſuo eſſe, efficacem in actu primô conſtitutam, quam conſequitur naturâ poſteriùs.

CON-

CONCLUSIO II.

Gratia efficax in actu ſecundo, conſtituitur formaliter per actualem obtentionem conſensûs. Ratio á pari plané ſimilis proút in I. Concluſione diximus. Namqué ſicut cauſa, apud Phyſicos, in actu ſecundo, conſtituitur per actualem cauſalitatem; e. g. ignis per actualem calefactionem; ſic & gratia efficax in actu ſecundo per actualem obtentionem conſensûs: inquantúm actu eſt principium activum, à quô actu egreditur voluntatis liber conſenſus, ſeu moraliter; quia phyſicè, ſeu vitali modô procedit à voluntate, proút á potentia vitali. Hinc eodem planè modo aſſerimus, quòd hæc gratia efficax in actu ſecundo, ſit talis infallibiliter efficax per ordinem ad præſcientiam divinam, qua DEus prævidit, eam, ſi daretur, conſenſum voluntatis fore impetraturam.

Pro ſolutione objectionum, contra has duas Concluſiones, & defenſione ſcientiæ mediæ, quam fictam Thomiſtæ, gratis aſſerunt, noviter inventam, ſed fruſtra, quia antiquiſſima eſt, & Sanctis PP. ferè omnibus maximé nota, proút alibi demonſtratur; multó magis Janſeniſtis, cum quibus ſolis, tota hic noſtra eſt dimicatio, quatenùs varias impoſturas contra ſcientiam mediam jacere non verentur, ſed in caſſum; ſolem contra, vibrare habent ſagittas ſuas acutas, ſint hæc perſpicilia optima, ſeu tubus opticus; quód inutiliter nos prorsús perſequantur, quaſi hac in parte nimis Molinizare videamur, ut nemo nos deſpiciat gratis: meminerint pſeudodiſcipuli Janſeniani, quám delicaté loqui debeant de gratia Dei in Chriſto IESU Domino Noſtro, quæ ab Hieronymo Sanctô, eôqué antiquiſ-

ſtimô

ſimô Doctore *lib 3. advers. Pelag. Prima ſtola & ros cœleſtis* rectè appellatur; opus periculi ac laboris ſit plenum; ſi enim gratiæ nimiúm tribuas, ſtatim liberum læditur arbitrium; quódſi libertati plús æquô concedas è veſtigiô gratiam tollis. Undé, has inter ſyrtes ſecurum oportet navigare, nè in utrumqué ſcopulum humani ingenij ratis impingat. Fides Orthodoxa, hac in parte, vana quæcumque commenta & præcipuè hujus ævi Ianſeniſtarum delubra quævis, proterens; creatum arbitrium docet, ſic cum Divina gratia conciliandum: ut, & illud agnoſcat, unde propriam ſalutem ſperare debeat; & hæc habeat, quód illi còoperari poſſit. Itaque.

Dico: quod licet ſcientia media ad gratiam efficacem ſit neceſſaria, ex dictis, tanquám conditio ſaltem ſine qua non: tamen non debet peti ratio formalis, efficacis gratiæ á ſcientia mediâ ſeu conditionatâ, ſed præſuppoſitivé tantúm, proút ſupra meminimus, & directivé duntaxat; nam ab entitate ſolâ, tanquàm ab activo principio peti debet, ut ſupra. Efficacia enim ejus, antecedit ſcientiam ejuſdem, viſionis, ſeu abſolutam; quamvis præſupponantur ſcientiæ mediæ ſeu conditionatæ. *Dices.* Gratiæ ſoli ratione entitatis non convenit efficacia.

Reſp. *diſtingvo*: non convenit per ſe, quaſi ad ejus eſſentiã & proprietatẽ ſpectet, *Concedo*; quaſi non ei conveniat tanquàm cauſæ, in aliqua temporis differentia erumpenti in ſuum actum, *Nego.* Pictori convenit perſe, tanquàm cauſæ, etſi non ſit ejus eſſentia ut prorumpat in actum

pingendi

pingendi imaginem; per se convenit lapidi; quòd descendat; igni, quód comburat: etsi possit lapis non descendere; puta, si divinitùs saltem teneatur suspensus in aere, sicút potest; & ignis non comburere, ut in fornace Babylonica.

Dices. Omnis infallibilitas ac certitudo, peti debet à scientia. Resp. *distingvo*: omnis infallibilitas ac certitudo formalis, C. objectiva, N. namquè hæc illi præsupponuntur. S. Aug. lib. 1. quæst. ad Simplicianum, qu. 2. ait: *Nullius Deus frustra miseretur; cujus autem miseretur, sic eum vocat, quomodò scit ei congruere, ut vocantem non respuat.* En, scientia media, directivè necessaria, ad efficaciam gratiæ; utiquè clarè id demonstrat à scientiâ pendere, quód talis gratia concedatur, quæ consensum sit impetratura; quod est, efficaciam gratiæ pendere á scientia Dei; cujus quidem scientiæ usus, in eo positus est, ut toties diximus: quòd DEus prævideat futurum sub conditione, si hanc gratiam concedat, ut sequatur consensus; atqué eandem gratiam pro sua misericordia conferre decernat. Hinc, per istam scientiam, duo intellige: 1. DEum in concedendâ gratiâ efficaci non agere temerè. 2. quód homini consentienti possit dicere illud 1. Cor. 4. *quis te discernit? quid habes, quod non accepisti?* Sufficit, ut accipiat gratiam à DEO, cum illa speciali misericordiâ, ut effectum suum consecuturam prævideat; cùm alia gratia concedi posset aliundè sufficiens, quæ eundem effectum non obtineret: sed hoc fit á DEO; quis enim neget aliquem sibi tribuere non posse, quòd imminente

periculô excitetur à somno ab amico, quandò prævidet amicus eum à somno experrecturum, qui aliô tempore sufficienter quidem, sed absquè fructu excitari potuisset.

Dices. Ergo gloriari potest, quòd consenserit? Resp. quòd consenserit simpliciter, C. quòd consenserit independenter à gratia, gloriari potest, N. *Hoc utique totum ideò,* ait S. Aug. ep. 106. *non ùt homo non glorietur ; sed, ut qui gloriatur, glorietur in Domino* ; quia : licet ejus, qui non consentit, culpa sit, quòd non consentiat; tamen is qui consentit, consensurus non esset, nisi Deus eum, sic, & tunc vocasset, cùm eum consensurum prævideret. *Oppones* S. Aug. lib. de prædest. SS. cap. 14, reiicit scientiam conditionatam seu mediam, quam Molina finxit. Ergò frustra directivé dicitur gratiæ effiicaciam pendere ab ea. Resp. Distingvo; reiicit conditionatam Semi-Pelagianorum asserentium parvulos prædestinari, aut reprobari, ex præscientiâ meritorum vel demeritorum quæ gessissent, si vixissent; C. reiicit eam absolutè, N. Priori sensu ait cit. loc. illud : *raptus est ne malitia &c.* dicit esse dictum secundùm pericula hujus vitæ, non secundùm præscientiam, *quia,* inquit, *hoc præscivit, quod futurum erat, non quod futurum non erat.* Atqui S. Aug. Mediam scientiam in Deo absolutè admittit lib. de gratia & lib. arb. cap. 23. ubi vult ad divina judicia revocari; quòd è duobus parvulis, originali peccatò infectis æqué, uni subveniatur per baptismum alteri minimè; & quòd é duobus baptizatis, unus, quem Deus præscivit iniquum futurum, in hac vita relinquatur; alter

alter veró rapiatur, ne malitia mutet intellectum illius; quod posterius sine media scientia nullo modo intelligi potest: quia est objectum sub conditione futurum, quod quidem non erit absolute, sed certò esset si poneretur talis conditio &c. Sic 1. Reg. 23. nisi David fugisset, certó præscivit Deus eum à Ceilitis tradendum fore fuisse Saulo. Sic Matth. 11. si in Tyro & Sydone factæ fuissent virtutes tales, quales Ierosolymis factæ fuerant; prædixit Christus eosdem Tyrios & sydonios in cilicio & cinere pænitentiam acturos. Sic Jon. 3. dixit Deus: *post quadraginta dies & Ninive subvertetur.* & tamen non est factum, non aliâ ratione, nisi quia conditionaté prædixerat per scientiam mediam, quam non intellexerat tunc Ionas. &c. &c. De hac scientia lege similia in sacra Pagina. Gen. 1. & 4. Reg. 14. & Sap. 4. & Ierem. 38. & Ezech. 33. & alibi.

Instabis denique. Quidquid pro Media scientia afferatur propugnanda; falsum esse debet, ait nonnemo Jansenistarum, quia in disputatione coram Clem. VIII. de auxiliis gratiæ, rejecta est talis scientia. Resp. distingvo; ad sensum Semi-Pelagianorum, út pauló supra dictum est contra Massilienses Monachos, C. absoluté N. Quippe Innocentius X. suo Decreto an. 1654. die 23. Apr. in Congregatione Generali S. Romanæ & Vniversalis Inquisionis declarat, fidem habendam non esse quibusdam actis, sivè manuscriptis, sive excusis, quæ circumferuntur Congregationum habitarum sub Clem. VIII. & Paulo V. sicut nec autographi, cujusdam Constitutionis ejusdem Pauli V. super definitione quæstionis de auxiliis; nam hæc, & similia á malevolis scientiæ mediæ persecutoribus injusté sunt excogitata, ut inficias

irent licet iniquè, & planè prorsùs imprudenter. Hîs positis, Janſeniani nos jam Molinizare glocitent, ut velint; quid tum? *veritas Domini maneat in æternum*; & ut dicamus cum Platone: *omnes amici, magis amica veritas.* Hoc quidem dixit Divinus Philoſophus de multiplici opinionum ſenſu in naturalibus; quòd licetſi mundum Deus tradiderit diſputationi eorum; ſed in Divinis, ac Eccleſiæ rebus, dogmatibus fidei & morum, prout in noſtra hac diſputatione agitur, Janſeniſtæ ſunt noſtri inimici, capitaleſque hoſtes, quos juſtè perſequimur, reſipuerint, & ad meliorem frugem redierint; pæna non ſolùm æterna, quam proculdubiò minatur ipſe ſalvator ei, qui non audierit Eccleſiam; ſed & temporali pæna capitis, non ſolùm exilii, aut ad triremes, digni. Audi Iſrael, & tace.

DE CONCORDIA.
Liberi Arbitrii cum Gratia efficaci.

Concordia libertatis cum gratia efficaci, in eo ſtat, quód voluntas ſub motione gratiæ quantùmque efficacis poſita perfectam ſervet conſentiendi, vel diſſenitendi libertatem, nam inquit Concilium Trident, *poteſt diſſentire, ſi velit.* Ita quód gratia efficax majorem vim non habeat ad alliciendum voluntatis conſenſum, quám voluntas ad hunc illi denegandum.

Repones, ut voluntas libertatem ſervet, ſatis eſt, quód poſſit diſſentire gratiæ in ſenſu diviſo, non verò in ſenſu compoſito, in illo ſcil. inſtanti, in quo gratia illam determinat actu ad agendum.

Contra:

Contra: Concilium disertis verbis declarat voluntatem posse dissentire, si velit gratiæ actu cor tangenti, seu in sensu composito, non autem in sensu diviso; nam si voluntas, ut est actu sub gratiâ, posita, non posset dissensum componere cum gratia; seu non posset illi suum consensum denegare, suam non servaret libertatem, dum auxilium gratiæ cor actu tangit, tametsi horis & diebus sequentibus, quando nempè non aderit gratia, suam resumat pristinam libertatem; sicut infirmus in infirmitate constitutus non censetur posse vincere hominem sanum & robustum, quàmvis fortasse infra quindecim dies, quando nempè convaluerit, ipsum perfectè debellare queat: sed Concilium vult hominem sub gratia positum & à gratia motum & excitatum perfectam retinere libertatem illi consentiendi vel dissentiendi, quia, inquit, *potest dissentire, si velit*; ergò &c.

Objic. Concordia liberi arbitrii cum gratia efficaci est mysterium non minùs explicabile, quàm mysterium SS. Trinitatis: jam veró si gratiæ efficaci resisti potest, facilè explicatur talis concordia, ut constat; ergó gratiæ efficaci non potest resisti in sensu composito, in hoc enim stat mysterium, quòd voluntas efficaci gratiæ refragari non valeat, quàmvis incolumen suam servet libertatem.

Resp. Neg. maj. Mysterium enim SSS. Trinitatis est ita incomprehensibile, ut etiam difficile á nemine concipi & intelligi possit; at concordia libertatis cum gratia est quidem valdé difficilis, ait S. Augustinus de grat. Chri. cap. 47. sed non est incomprehensibilis, imó monet S. Augustinus, Epist. 205. ad Valent. illam posse intelligi modó ac-

dò accuratè & vivâ attentione legatur: Et ibid. monet S. Doctor Monachos Adrumetinos, ut Deum orent ad concipiendum præfatæ concordiæ arcanum, deinde Epist. 214. ait illud arcanum esse paucis intelligibile, si paucis? ergo aliquibus intelligibile est, mysterium verò SS. Trinitatis minimè. De hoc supra jam aliqua dicta sunt.

SOLAMEN

MÆRENTIUM JANSENISTARUM,

Seu

Confutatio quærimoniarum & expostulationum PASQUASII QUESNELLI, *contra centum & unam propositionum condemnationem, &c.*

Profectò meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis. Rogate DD. Jansenistæ solem justitiæ Christum IESUM cum illo Bartimæo cæco: Domine ut videam?

Absoluta præsentis tractatus editione pervenit ad me libellus sic Gallicè inscriptus:

EXPOSTULATIO ET CONTESTATA DENUNTIATIO P. QUESNEL *adversùs damnationem centum & unius propositionum,*	PLAINTE ET PROTESTATION DU P. QUESNEL, contre la condamnation des cent & une propositions,

Cum

Cum	Avec
ampla expositione suorum germanorum sensuum sensibus erroneis falsò sibi, ascriptis oppositorum in documento pastorali XL. *Episcorum.*	un ample exposé de ses vrays sentimens opposés aux sens errones qui lui sont faussement imputés dans l' instruction pastorale des XL. Evêques.

Quoniam modus quo P. QUESNELLUS explicat hoc in suarum expostulationum libello centum & unam propositiones à sancta Sede fulguratas, videtur prima fronte Catholicus, alienum non est exponere quæ fuerit quesnelli doctrina ab anno 1685. quo illam manifestare cœpit, ne quis ejus verbis in speciem orthodoxis seductus, fidem ejus expositionibus habeat. Itaque Vide librum sub titulo *Causa Quesnelliana* pag. 163. inde disces, quòd cúm Oratorii Berulliani Superiores statuto verè Catholico é Scholis suis dogmata Baïana proscripsissent; *Quesnellus* in hoc superiorum suorum statutum, cui obedire debebat, rebellare ausus est, scribens ad illustrissimum Episcopum Gratianopolitanum nonnullas Baii propositionum *puram S. Augustini doctrinam* continere,

2do. In opere suo inscripto: *tradition de l' Eglise*, Traditio Ecclesiæ pag. 333. scribit primam Jansenii propositionem ab Innocentio X. summo Pontifice damnatam, esse veram, tam enim impossibile est, inquit, justum, cui deest gratia efficax, observare mandata, quam homini impossibile est sine æquo equitare. en jam Quesnellus Baïi & Jansenii discipulus, lege ex toto *causam Quesnellianam*

facile

facilè noveris Quesnellum esse accerrimum inter Baïanos & Jansenianos seu nov-Augustinianos Baïanismi ac Jansenismi vindicem; quapropter in sententia quam, adversùs eum tulit Illustrissimus Mechliniensis Archiepiscopus, habetur Quesnellum ea præcipuè de causâ noluisse formulæ doctrinali suorum superiorum subscribere, quòd ista formula contineret damnationem doctrinæ *Jansenii & Baii*, undè ex Gallia sese anno 1685. recipit in Belgium, ubi variis in locis Jansenianiam hæresim docet & spargit, modò asserens, quod summis Pontificibus in causa *Jansenii* fuerit obreptum, modò Jansenismum merum esse *phantasma*, modò *factum Jansenii* non fuisse à Sede examinatum, necdum tempus advenisse reddendi justitiam *Jansenio* debitam, quòd si discipuli S. Augustini existimassent, quòd sensus *Jansenii* esset condemnatus per Innocentii X. Bullam, eidem sese non submisissent &c. Vide prædictam sententiam &c. Quibus patet Quesnellum palàm & publicè ab anno 1685. Jansenismum huc usque profiteri, ac proinde suarum centum & unius propositionum explicationes, quas tradit, speciem Catholicam non induere, nisi ad ludificandos imperitorum oculos, ut ex confutatione præcipuarum expostulationum patebit.

IN PRIMO PLANCTU.

Felicem se arbitratur quod propter veritatis vindicias in Christi Domini tribulationum participationem venerit. Has tamen cruces se non æquo & patiente animo, sed molestissimè ferre non dissimulat; suos enim adversarios diris

diris devovet iiſdem verbis, quibus Propheta Regius, *Pſal.* 82. mala hoſtibus Dei precabatur . . . . . *Ne taceas, neque compeſcaris Deus*, ait Queſnellus, pag. 16. *pone illos ut rotam . . . . . imple facies eorum ignominiâ &c.* Ecce fauſta, quæ inimicis ſuis apprecatur Queſnellus. Quis non diceret, eum Dei cauſam, ſicut præſtabat Pſaltes Regius, nervosè tueri propriam tamen, imò & hæreſeos cauſam defendit. Ergò, plangite eum DD. Janſeniani, quaſi unigenitum veſtrum, filium perditionis.

IN 2do. PLANCTU.

1mo. Significat ſe injuriam ſibi illatam facile oblivioni tradere, ſed ad aſpectum fidei totius Eccleſiæ, quæ, ut ait, in propriæ ſuæ fidei damnatione proſcribitur, excandeſcit. At quæ eſt illa Eccleſia, cujus tuendæ fidei gratiâ tam ardenti ſtudio flagrat Queſnellus? an Eccleſia Romana extra quam non eſt ſalus? minimè: ab illa enim proſcriptæ ſunt centum & una propoſitiones, quas teſtato denuntiat ſe quoad vixerit defenſurum. quæ ergo eſt illa Eccleſia? nulla ſané niſi Janſeniana, cujus caput, nullum; doctrina, error; fundamentum, rebellio; propugnaculum, factio &c.

2do. Comminiſcitur Conſtitutionem *Unigenitus* non fuiſſe á Præſulibus Gallicanis ad ſenſum Clementis XI. acceptatam, ſed in ſenſu duntaxat relativo ad explicationes quas dederunt. Verúm oſtenſum eſt ſupra ejuſmodi explicationes, nonniſi poſt acceptatam Conſtitutionem puré

& ſimpliciter, traditas fuiſſe in gratiam populi ſibi commiſſi &c.

3tio. Producit in propoſitionum ſuarum gratiam ſcriptum poſthumum Illuſtriſſimi Domini Boſſuet Epiſcopi Meldenſis & Paſtoralem inſtructionem ſub nomine Illuſtriſſimi Epiſcopi Mirapiſcenſis, ſed perperam; ſcriptum enim vulgatum ſub nomine DD. Boſſuet, an ſit germanum ejus opus, multi dubitant, quare enim, inquiunt, illud ante mortem ejus propalatum non fuit, quare toties vivens dixit coram viris fide dignis ſe purum Janſeniſmum in Novo Queſnelli Teſtamento reperiſſe, ut jam obſervatum fuit. Deindè eſto DD. Boſſuet conſiderationibus moralibus Queſnelli favet, ſed illa Eccleſia proſcripſit, cui credendum? quantum ad inſtructionem Paſtoralem Mirapiſcenſem, anonyma eſt, ac proinde dubiæ fidei. Adde quod in illa vigent gratiæ neceſſitantis & adimentis libertatem principia, ut ſuprà in defenſione Bullæ *Unigenitus*, annotatum fuit.

4to. Conqueritur Queſnellus, ſe inauditum damnatum fuiſſe. At quid opus erat ipſum audire, cùm ſcripta ejus tam altè loquebantur? prætereà ſi auditus fuiſſet, vel contraria illis, quæ in ſuis *Conſiderationibus* ſcripta ſunt, dixiſſet; vel illa in benignam partem expoſuiſſet. Si primum: ſcripta ejus, quæ perverſa ſunt, anathemati ſemper ſubmittenda remanſiſſent. *Si* ſecundum: non obſtante quâvis explicatione, propoſitiones, cùm ſint univerſales, & in ſenſu obvio damnabiles, fulmen Apoſtolicum neutiquam declinaſſent. Adde quod explicationes infrà proferendæ, etſi aliquam Catholicam ſpeciem exhibeant, nihilominùs odorem Janſenianum undique ſpirant.

5to. Ne quis ipſum hæreſis Janſenianæ accuſare poſſit, declarat ſe ſinceriſſimè quinque famoſarum propoſitionum condemnationibus latis ab Innocentio X. & Aléxandro VII. ſubſcribere, & ſemper ſubſcripſiſſe, modò nempè, inquit, nihil formulario immiſceatur, quod fidei fundamento obſit, id eſt, teſtatur ſe ſubſcribere condemnationi quinque propoſitionum ſimpliciter; non verò ut jacent in libro Janſenii; ut ſunt ex Janſenii libro excerptæ, & in ſenſu à Janſenio intento. Undè Archiepiſcopus Mechlinienſis in ſententia contra Queſneſlum lata, aſſerit [„ Ipſum poſt Breve & Decretum Innocentii XII. anno 1694. editum, pertinaciter contendiſſe ſenſum obvium formularii non requirere, ut quinque propoſitiones damnentur *in ſenſu ab auctore intento*, edendo hunc in finem, ſeu publicam & communem explicationem, in qua affirmat, quod per formula-" rii ſubſcriptionem, non ſubſcribatur condemnationi *libri*" JANSENII. "] Certè Janſenianorum heroes, Arnaldus," Nicolius, Lalane, Girard &c. nunquam aliter loquuti ſunt; ut Præſules Gallicani ſcripſere anno 1654. ad Innocentium X. ſic. *Quinque & enim propoſitiones decreto illo proſcriptas damnare ſe quoque profitentur* Janſeniani, *ſed alio planè ſenſu, quàm à Janſenio traditus & explicatus eſt, ad quem propoſitiones illas nullatenùs pertinere, conſtantiſſimè hac arte reſtaurandis diſputationibus iiſdem ſibi locum apertum relinquere putant, & rediviva litis prolixam materiam,*

6to. Invehitur in Illuſtriſſimum DD. de Fenelon, Archiepiſcopum Cameracenſem, quem adhuc Eccleſia luget, ut virum veré Apoſtolicum; ut verum populi ſibi concrediti

concrediti Paſtorem; ut hæreſeos Janſenianæ ab imis fundamentis profligatorem, & in cujus morte magnam jacturam fecit. Conſolamini, conſolamini DD. Janſenii; aſpicite & levatè capita veſtra; quieſcite agere perversè.

IN 3tio PLANCTU.

1mo. Poſtquam ſe Eccleſiæ Pariſienſis Presbyterum nominavit; profitetur ſe nullatenùs auctoritatem Sedis Apoſtolicæ, ac Clementis XI. ſummi Pontificis, S. Petri ſucceſſoris, necnon Epiſcoporum Eccleſiæ Gallicanæ poteſtatem in dubium revocare; ſed ſi in dubium illam non revocat; quare illi non obtemperat; Quare non exclamat cum S. Auguſtino, *cauſa finita eſt*, & cum Patribus Synodi Chalcedonenſis, *Petrus per os Pontificis Romani loquutus eſt?* Quid tardat, quid moratur? At tantùm abeſt, ut reſipiſcat, imò intercedit, & teſtato reclamat contra Bullam *Unigenitus &c.* & acceptationem factam ab univerſa Eccleſia.

2do. Dicit ſuos hoſtes, eſſe ipſius veritatis hoſtes. Qui ſunt Queſnelli hoſtes? ſummus Pontifex, CX Epiſcopi, verbô dicam, univerſa Eccleſia, quæ Bullam cum ſumma reverentia acceptavit. Ecce inimici P. Queſnelli, hi omnes hoſtes ſunt veritatis, id eſt, Eccleſia non eſt ampliùs veritatis columna; ab illa, contra quam *portæ inferri*, erroris, & mendacii *non prævalebunt*, receſſit ſpiritus veritatis, ut in ſolo Queſnello, tanquam in ſuo defenſore & amico reſideat, de hoc ſibi adblanditur: quæ præſumptio! quæ arrogantia in eo, qui eſt totius factionis Janſenianæ princeps!

Inimici

Inimici mei, ait pag. 37. *qui non sunt alii, quàm hostes veritatis.*	Mes ennemis, *dit il*, *pag* 37. qui ne sont autres, que ceux de la verité.

Meritó dicité DD. Jansenistæ vestro Quesnello illud Tobiæ: quale mihi gaudium est, dum in tenebris sedeo, & lumen cæli, non video! O! Prima Veritas infinita! quæ nullum fallere potes, nec ipsa usquàm falli: illuminare his qui in tenebris, & in umbra mortis sedent!

Ad præcipuas partes propositionum, quas proscripsit Ecclesia, & de quarum proscriptione expostulat Quesnellus, Breviter descendamus.

Primum mihi imputatum accusationis caput, in eo positum est, inquit, quód gratia efficax, quam admitto, sit necessitans: solam tamen agnovi & profiteor me agnoscere gratiam efficacem, cui juxtá Concilii Trident. decretum, voluntas dissentire potest, si velit: quæ profectó gratia non est necessitans; ergo &c.

Secundo mihi objicitur, quód nullam admiserim gratiam inefficacem, cui obluctatur voluntas, quod similiter falsum est, nam semper admisi & admitto ejusmodi gratias, quæ propter voluntatis contumaciam non producunt omnem effectum, quem producere possent.

3tio: Quòd docuerim solam gratiam operari in homine, ejus verò voluntatem se habere merè passivè.

4to. Quòd absque gratia efficaci homo sit in vera impotentia bonum operandi, & consequenter servandi mandata: sed duo postrema hæc capita mihi etiam falsó im-

 putan-

putantur, contrarium enim teneo; ergó &c.

Aliis accuſationum capitibus, quæ P. Queſnellus in ſuo querelarum libello recenſet, ſuperſedeo; patet enim, tum ex dictis in Conſtitutionis defenſionem, tum ex infra dicendis, nullum ex his capitibus eſſe conquerenti Queſnello injuſtè & per calumniam irrogatum: nam quoad primum conſtat P. Queſnellum pulvere Janſeniano ad intima uſque viſcera ſordeſcere, nec ipſum alia ratione natale ſolum deſeruiſſe, niſi ut apud exteras regiones hæreſim Janſenianam, quam in patria ſua palàm ſectari nefas eſt, publicè & immoderatâ licentiâ profiteretur: atqui omnis Janſenianæ hæreſis cultor nullam efficacem gratiam agnoſcit præter neceſſitantem, ut centies ſupra oſtenſum eſt. Nec refert, quód ibidem addat voluntatem eſſe facultatem ad oppoſita; ſic enim loquuntur Janſenius, ejuſque diſcipuli omnes, quibus tamen fatentibus, voluntas ſub gratia efficaci poſita, non eſt libera à neceſſitate; quare quæ illi relinquitur facultas ad oppoſita, nihil eſt aliud, quàm liberi arbitrii flexibilitas modó ad bonum, quò voluntatem pellicit delectatio cœleſtis relativè victrix, modó ad malum, quò illam prolectat delectatio terrena ſuperior; quapropter cùm dicit Queſnellus ſe cum Concilio Tridentino aſſerere liberum arbitrium poſſe diſſentiri, gratiæ ſi velit, verbis quidem Concilii utitur: ſed ad mentem Concilii non loquitur, nam ſic loquitur Concilium, quia in homine quacumque gratia afflato agnoſcit proximam diſſentiendi potentiam; Queſnellus verò è contra; quippe docet per gratiam efficacem ita hominem applicari & alligari ad conſentiendum, ut non poſſit non conſentire. *Poteſt ſi velit*, ait poſt Arnaldum, Nicolium,

colium, San - Bovium &c. ita eſt, ſed poteſtne velle? nequaquam; fruſtrá ergó ad fucatam hancce locutionem confugiunt Janſeniani plenis faucibus obſtrepentes *poteſt diſſentire, ſi velit*, cùm ut velit, debet poſſe velle: non poteſt autem velle diſſentire gratiæ efficaci, ut aiunt. Nec iterùm refert, quód Queſnellus obtrudat ſe SS. Patrum more loqui, hoc enim falſiſſimum eſt, ubi é S. Patribus aliquis protulit unquam gratiam neceſſitare voluntatem? extititne ab orbe condito inter eos ullus, qui Janſenianum duplicis delectationis relativé victricis ſyſtema ſibi aſciverit? loquitur, inquit Queſnellus pluribus in locis, ut S. Patres, verum eſt; ſed locutiones Patrum mutilat, truncat, & extra aleam rejicit, in ſuo enim naturali loco, alium planè ſenſum referunt.

Ad 2dum. Queſnellus jactat ſe gratias inefficaces, quibus obluctatur voluntas admittere, ſed mera eſt jactantia: ſi quidem reſiſtere gratiæ, eſt illam privare effectu, quem habere poteſt, ut pluriès ſupra oſtenſum eſt, ſed gratia inefficax Queſnelli non poteſt relativè ad præſentes ſubjecti circunſtantias, ſeu ad oppoſitam cupiditatem habere effectum ſecundarium, de quo loquitur ipſe Queſnellus, quia ut illum habere poſſet, deberet poſſe moraliter, aut phyſicè proximè vincere cupiditatem oppoſitam: atqui gratia inefficax ſeu parva nequit moraliter vincere oppoſitam cupiditatem, quippe talis gratia ſemper conjuncta eſt cum impotentia morali, aiunt Janſenii ſectatores; neque etiam poteſt phyſicè proximè, quia non habet ſat virium; igitur gratia Queſnelli inefficax concupiſcentiam relativé contrariam debellare non poteſt, ac proindé nequit effectum ſecundarium

darium assequi, quapropter voluntas non potest illam privare suo effectu, & consequenter ei propriè resistere. 2do. Quesnellus fucato nomine vocat gratiam illam inefficacem; omnis enim gratia juxta ipsum & alios ejusdem sortis Theologos, est efficax, quia semper obtinet effectum, cujus est capax relativé ad circunstantias subjecti, cui hîc & nunc confertur.

Ad 3tium. Nemo unquam objecit Quesnello, quód negaret voluntatem gratiæ cooperari activè, neque id etiam potest Calvino exprobrari, quàmvis illud falsò ei imposuerint Janseniani in prima pagella scripti trium columnarum; vide supra, sed insimulatur solùm Quesnellus, quód voluntatem activé quidem; non autem liberé cooperari gratiæ evidentissimé doceat; quare? quia docet gratiam efficacem esse delectationem relativé victricem, ac proinde esse gratiam necessitantem.

Ad 4tum. quesnellus clarissimè significat pag. 134. 135. &c. libelli suorum planctuum, hominem posse multipliciter absque gratia efficaci operari bonum & servare mandata, 1. potest, quia habet naturalem liberi arbitrii facultatem. 2do. quia habet fidem. 3tio. quia habet charitatem, & quasdam parvas gratias, quæ ex defectu virium in solis velleïtatibus remanet, hoc ratum & fixum est in doctrina Quesnelli, sicut & in doctrina Jansenii tom. 3. de grat. lib. 3. cap. 15. vide supra parte 2da. pag. 154. nihilosecius proscripta est Jansenii doctrina, quare? quia cum hoc multiplici *posse* non admittebat gratiam verè sufficientem quæ dat proximum *posse* mandata Dei servare. Quid ergo de Quesnelli doctrina censendúm est? judicet æquus lector.

Atta-

Attamen canit, buccinat se longé à necessitante gratia abesse; se admittere gratias, quibus refragatur voluntas; se veram agnoscere in justo gratiâ efficaci destituto potentiam servandi præcepta: talis est hominis astuti candor.

Reponit Quesnellus, se gratiam efficacem admittere ad mentem SS. Pontificum Clementis VIII. & Pauli V. qui proposuerunt 15. articulos, ut veram S. Augustini doctrinam circà gratiam continentes: quintus autem articulus sic habet: *Hæc gratia habet suam efficaciam ab omnipotentia Dei & à Domino, quod sua divina majestas habet in voluntate Dominium, sicut in cætera omnia, quæ sub cœlo sunt.* Talis autem propositio nihil differt à 19na propositione per Bullam *Unigenitus &c.* proscriptâ. *Dei gratia nihil aliud est quàm ejus omnipotens voluntas &c.* Quare cùm prior propositio fuerit à prædictis SS. Pontificibus proposita in Congregationibus *de Auxiliis*, tanquam germana S. Augustini doctrina; consequens est propositionem posteriorem esse doctrinam S. Augustini.

Contra: Falsum est 1mo. Clementem VIII. esse auctorem scripti continentis 15. articulos, de quibus hîc agitur; illud enim PP. Dominicani cùm elaborassent, Clementi, tanquam veram S. Augustini doctrinam tradiderunt, ut ejusmodi scriptum Congregationi proponeret; ad Clemens, ut erat doctus & prudens illos 15. articulos, non ut germanam S. Augustini doctrinam, sed an esset vera S. Augustini doctrina, Congregationi discutiendos subscripsit sic: *An ista sit doctrina S. Augustini in materia gratiæ?* CLEMENS PAPA VIII. *pro prima Congregatione.* 2do. Si

Si Clemens fuisset illius scripti auctor, judicium suum censuræ Congregationis reformandum tribuisset; sicque non judicium Pontificis censuram Congregationis, sed censura Congregationis judicium summi Pontificis reformaret, quód quám sit insolitum & absurdum nemo non videt. 3tio. Cúm illi articuli discussi non fuerint, nisi sub Paulo V. biennio à morte Clementis, si illud scriptum fuisset Clementis definitio, Paulus passus fuisset retractari sui prædecessoris definitionem, & in disputationem venire; Quod si ista esset, quid haberemus certi in definitionibus SS. Pontificum? Id sané non displiceret Jansenianis, qui vehementer optarent retractari definitiones Innocentii X. & Alexandri VII. Quám gratum foret Quesnello, si Bulla *Unigenitus &c.* quæ Hydræ Jansenianæ ultimam mortalem plagam inflixit, in disputationem, problema, venire posset!

Denique Ferdinandus Bastida illi scripto respondet, se admittere 15. articulos satis conformes menti S. Augustini, excepto articulo quinto, quem rejecit, ut alienum á S. Doctore; si enim omnipotentia Dei per gratiam tale exerceat dominium *in voluntates hominum*, quale exercet, *in cætera omnia, quæ sub cœlo sunt*, v. g. in entia, quæ creat; in mortuos, quos, ad vitam revocat; consequens est, quód sicut ens, quod educitur é nihilo, non potest refragari suæ actioni creativæ, nec mortuus, qui ad vitam revocatur, resistere potest, actioni ipsum suscitanti; sic nec voluntas gratiæ obluctare posset, quod fidei repugnat.

Nihilominús talis est idea, quam de gratia efficaci Quesnellus tradit in pluribus é suis propositionibus, sed disertiús in XXIII. si P. Bastida admisisset hunc quintum

articu-

articulum, illum ad mentem Thomiſtarum Prædeterminantium, qui negant phyſicam prædeterminationem voluntati neceſſitatem imponere, admiſiſſet; non veró ad mentem Queſnelli & aliorum Janſenianorum, qui non aliam gratiam efficacem, quám neceſſitantem agnoſcunt.

Tandem Cardinalis Bellarminus alios articulos compoſuit ex verbis S. Auguſtini deſumptos, in quorum ſecundo ſic habet: *Hæc vocatio ideò ſecundùm Auguſtinum eſt efficax, quia apta eſt, congrua mentibus eorum, quibus adhibetur, propterea ex uno modo vocatis alii ſequuntur, alii non.* Ex quibus conſtat, quám ineptè Queſnellus & alii Janſeniani nobis obtrudant Congregationes *de auxiliis*, in quibus nihil definitum eſt, ſed res in eodem ſtatu, ac erant anteá, remanſerunt. imò ferunt plures non infimi ſubſellii, quód ſi Clemens VIII. pauló diutiùs vixiſſet, ſpes affulgebat é ſcholis proſcribendæ opinionis de gratia per ſe & ex natura ſua efficaci; tum quia nova eſt, & á S. Auguſtino prorsús aliena, ut in 1ma parte prolixè oſtenſum eſt; tum quia una eſt inter domeſticas ac familiares recentiorum hæreticorum opinio; tum quia ſub gratiæ per ſe & ex natura ſua efficacis velo, Calviniani & Janſeniani ſuam hæreſim occultant, eamque in aliòrum animos inſinuare nituntur.

Reſpondet Queſnellus in defenſionem XXX. propoſitionis, quæ ſic habet: *omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter*, ſe de voluntate Dei abſoluta loqui.

Contra: Hæc excuſatio intempeſtiva eſt; nam cùm

præfata propositio universalis sit, nec ad voluntatem Dei absolutam limitata, hinc ut jacet, universaliter falsa est, damnabilis & meritó damnata. Nec S. Prosperi auctoritas, quam prædictus auctor allegat, ipsi quidquam favet; quàmvis enim fidelissimus ille S. Augustini discipulus usurparet verbum *redimere* pro *salvare*; quid inde pro Quesnello? an sicut in duobus carminibus supra memoratis pag. 112. S. Prosper loquitur de voluntate absoluta, ita & Quesnellus in XII. propositione. Hoc quidem libenter ei daremus, si alicubi declarasset, Deum velle salvare omnes voluntate antecedente & conferente omnibus media ad salutem sufficientia, ita ut penès illos sit hisce mediis uti vel illa respuere, sicut S. Prosper pluribi docuit, sic in respons. 1ma. ad object. Vincent: *Sangvis Christi*, inquit, *redemptio est totius mundi*; igitur est in omnium potestate illum bibere; qui enim renuunt bibere, *redemptionis alieni sunt*, ait ibid.....*sed si non bibitur, non medetur*, inquit: At Quesnellus nullibi significat, Deum velle omnes salvare ejusmodi voluntate, ex qua inferre licet propositiones XII. & XIII. restringendas esse ad voluntatem absolutam & consequentem.

Etenim dum in suo responsionum & expostulationum libello declarat sibi compertum esse, Deum velle antecedente voluntate omnes salvare, non aliter intelligendus est vir astutus de voluntate antecedente, quàm in sensu Jansenii, qui lib. 3. de grat. Salvat. cap. 20. scribit, antecedentem illam Dei de omnium salute voluntatem pertinere ad homines in statu innocentiæ, quibus gratias ad salutem promerendam contulisset, non verò ad homines Adamiticâ labe conspersos, quorum respectu talis voluntas est

otiosa,

otiosa, & nullius gratiæ productiva: at voluntas Dei antecedens in sensu Ecclesiæ omnibus tribuit, aut præparat hoc in præsenti statu gratias sufficientes, quibus, seclusâ quâcumque efficaci gratiâ, salvari possunt; nam de fide est, hominem solâ sufficiente gratiâ munitum posse mandata servare, & salvari. Porrò hanc á Deo antecedentem pro omnium salute voluntatem prorsùs ablegat Quesnellus, ut constat tum ex Jansenismo, quem palàm profitetur; tum ex quinque articulis à D. Girard, aliisque Jansenianis summâ calliditate elaboratis, quos Quesnellus animosé defendit. Girard verò in libro Gallice inscripto: *Eclaircissement du fait & du sens de Jansenius.* Elucidatio facti & sensûs Iansenii: aperté docet 1ma parte, cap. 5. ad mentem Jansenii, antecedentem Dei voluntatem fuisse productivam gratiæ, respectu hominis innocentis, non respectu lapsi. Sic Quesnellus in libello suarum defensionum, pag. 141. Gallicé loquitur:

Quod Scriptura & Traditio docent de voluntate Dei & morte Christi pro omnium salute, hoc accipio, rejicio solùm falsas consequentias, quas indé infert Schola Molinæ ad stabiliendum dogma de gratiis omnibus datis, quæ sint absoluté sufficientes, cum exclusione gratiæ efficacis quam existimo necessariam ad omnes pietatis actus.

Tout ceque l'Ecriture & la Tradition enseignent touchant la volunté de Dieu, & la mort de Jesus-Christ pour le salut des hommes...... je le reçois, je ne rejette que les fausses consequences, qu'en tire l'Ecole de Molina pour ètablir son dogme favori des graces données generalement à tous les hommes, & qui-

ſoient abſolument ſuffiſantes avec l'excluſion de la grace efficace, que je crois neceſſaire pour tous les actes de pieté.

Nota has voces *cum excluſione gratiæ efficaci*; per illas enim deſignat, gratiam ſufficientem ſeparatam à gratia efficaci non dare proximum *poſſe* bonum operari; ac proinde mandata eſſe juſto, cui deeſt gratia ſufficiens juncta cum gratia efficaci, impoſſibilia, quod ſané hæreticum eſt.

Nec reſpondere poteſt Queſnellus gratiam efficacem eſſe duntaxat neceſſariam ad actùs pietatis eliciendos, non veró ad *poſſe* illos elicere; id, inquam, reponere non poteſt, diſertis enim verbis contrarium docet, *in Joann.* 15. 5. *edit.* 1693. ubi ſic ſcribit: *Jeſu Chriſti gratia principium boni cujuſcumque generis neceſſaria eſt ad omne opus bonum, magnum aut parvum, facile aut difficile, ad illud inchoandum, continuandum, & perficiendum; abſque illa non ſolùm nihil fit, ſed nec fieri poteſt.*

Quòd ſi obtrudat prædictus auctor, ſe pluribus in locis, Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus indiſcriminatim, aſſeruiſſe, id etiam dicit Janſenius, & dicunt quotidiè Janſeniani; ſed quomodo pro omnibus mortuus eſt? Reſpondent, quoad ſufficientiam pretii, non veró quoad intentionem ſalvandi. Etenim ſi Queſnello placeret, Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus omnino hominibus, quoad intentionem illos ſalvandi; placeret & illi, derivari in omnes ex morte Chriſti gratias ſufficientes, quibus ſine gratia efficaci poſſent ſervare mandata, & ad ſalutem æternam pervenire: ad quid enim

enim inserviret mors Christi pro omnibus, si illius meritô non acciperent auxilia, quibus salvari possent: sed Quesnello non placet derivari in omnes á morte Christi gratias sufficientes, quibus salvari possunt, ut dictum est, vide scriptum cui Quesnellus nomen dedit: *la vocation des Gentils: de vocatione Gentilium*, ibi nervosè contendit nec Deum velle salvare omnes, nec Christum mortuum pro salute omnium, sed pro singulorum generibus tantùm.

2do. Quesnellus acriter invehitur in Episcopos Gallicanos, qui explicando & illam validè adoriendo LXIX. propositionem: *Fides, usus augmentum, & præmium fidei, totum est donum puræ liberalitatis Dei*: dicunt auctorem *Considerationum moralium*, per illam propositionem impugnare bonorum operum merita? sic, inquam, invehitur in illos, pag. 160.

Ubi ergo habent oculos, non videre suam condemnationem in eadem, quam damnant, propositione; unum enim illud nomen PRÆMIUM, *talem habet cum merito relationem, ut idea unius includatur in idea alterius.*

Où ont ils donc les yeux, de ne pas voir leur condamnation dans la proposition même; car le seul mot de RECOMPENSE a un rapport si essentiel avec le merite, que l'idée de l'un renferme l'idée de l'autre.

Certé facile est liberáre á ludibrio Præsules, quos Quesnellus ludibrio lædit; si enim arbitretur augmentum, & præmium fidei non esse dona puræ liberalitatis Dei, cùm sint

ſint etiam á merito hominis, ut diſertè definiit ſynodus Tridentina, can. 22. Seſſ. 6. Quorsùm igitur ſcribit illa eſſe puræ liberalitatis dona, poſſunt-ne Illuſtriſſimi Præſules de ejus mente meliùs judicare, quàm per ejus verba & ſcripta? Deinde falſum eſt, illam vocem, *Præmium*, tantam habere connexionem cum merito, quantam fingit Queſnellus: ſiquidem Calvinus, lib. 3. *inſtit.* c. 15. &c. nullum agnoſcit meritum, nec vult utendum eſſe nomine meriti, attamen concedit bonis operibus à Deo dari præmium, quod appellat compenſationem liberalem; ſic quis perſuaſit Præſulibus Gallicanis, queſnellum aliter ſentire, quàm ſentit Calvinus, cùm ſimili locutione utatur, & hæreſis Janſenianæ, quæ á Calviniana non procul abeſt, ſit ardentiſſimus cultor.

Adde, quód juxta Janſeniſmi principia homo gratiæ neceſſariò conſentit, nec per hunc gratiæ conſenſum propriè mereri poteſt, quia meritum, eſt opus eſſentialiter liberum; undè ſequitur non ſolúm gratiam, ſed opera per gratiam facta, eſſe dona puræ liberalitatis Dei. Ecce, Queſnello, quò Præſules Gallicani conjiciebant oculos, dúm dixere per 69nam propoſitionem impugnari bonorum operum merita?

Exemplum Judæ, quod adducit Queſnellus, non ſubducit juſtæ, quâ inuſta eſt, cenſuræ ſexageſimam propoſitionem his conceptam terminis: *ſi ſolis ſupplicii timor animat pœnitentiam, quò hæc eſt magis violenta, eò magis ducit ad deſperationem.* Nam quæro ab iſto auctore: vel pœnitentia Judæ concepta erat ex motivo timoris ſupplicii æterni, vel non; ſi non; talis pœnitentia non eſt illa, de qua

de quâ hîc controvertitur, quia de sola pœnitentia, quam timor supplicii animat, quæstio est: si sic, iterùm quæro cur ergó Judas non recessit ab illo supplicio, quod timebat; nam qui supplicium metuit, illud, quoad potest, fugit: attamen Judas non fugit supplicium, imò festinavit ad laqueum, ait S. Leo, qui fuit supplicii illius æterni initium; ergo Judas hoc supplicium nec timuit, nec proinde ductus est illâ pœnitentiâ, quam animat metus gehennæ. Quorsúm igitur profert exemplum, quod nihil supradictæ propositioni favet?

2do. Loquitur de Scribis & Pharisæis, quos metus plebis ab injiciendis in Christum manibus deterrebat; quid indé? Scribæ & Pharisæi erantne pœnitentes? minimé: hîc verò de pœnitentiâ ex solo suplicii metu conceptâ agitur; quæ sané pœnitentia tantúm abest, ut in desperationem ducat, imó gaudii æterni desiderium semper includat, & spem veniæ. Quippe ei, qui ex metu gehennæ pœnitens est, spes veniæ obtinendæ, & gloriæ possidendæ semper affulget; cur enim supplicium æternum timeret? nisi quia gaudium æternum desiderat; nihil quippe inter utrumque mediat, & ideò pœnitentiam agit, quia vult æternum esse felix, non miser.

Auctoritates Doctorum, ut SS. Gregorii & Bonaventuræ irrito conatu congerit ad vindicandam 95. propositionem á senectute, quam inepté attribuit Ecclesiæ. Imo: Sanctus Gregorius non de senectute, sed de *quasi senio Ecclesiæ loquitur*; at quod est *quasi senium* seu *instar senii* non est senectus, sed ad senectututis similitudinem, perindé ac si diceret S. Doctor, sicut senex non potest mundo generare filios ex senectu-

tis impotentia, ita vix potest Ecclesia Jesu Christo Filios parere, ex morum coruptela, non ex veritatis senecta; veritas enim Ecclesiæ non consenescit, quippe quam ab initio populos docuit, hanc ad finem usque docebit. Equidem *diminutæ sunt veritates* divinæ non ab Ecclesia, sed *á filiis hominum*, ait Psaltes Regius, Psal. 11.

Quod ad S. Bonaventuram spectat, dico per Ecclesiam finalem, ipsum intelligere Ecclesiæ militantis finem, quæ sicut cum mundo nascente exordium habuit; sic cum mundo desinente finem habebit: at omne quod finem accipit, senex non est, ut liquet in Juvene moriente.

Idoneam magis excusationem non affert Quesnellus ad persuadendum, se in propositionibus 72. 73. 74. 75. 76. &c. non docuisse Ecclesiam ex solis justis conflatam esse; quippe eandem hæreseos crambem in eodem suo definitionum libello recoquit, pag. 9. 10. ubi sic Gallicé scribit; in latinum genuiné transponendo: *Falsi & cæci Zelatores tuæ gloriæ & tuæ laudis, quæ est in sola Ecclesia Sanctorum, vellent, ut tu, DEus Sancte, qui es Charitas ipsa, posses agnoscere, ut veram Ecclesiam, & tuæ Religionis sedem, synagogam profanam.* Ibi loquitur de omnibus, qui ad Bullæ *Unigenitus &c.* emanationem & acceptationem concurrerunt, vultqué illos non esse in Ecclesia Dei, hæc enim est sola, ait, Ecclesia Sanctorum; sed in Synagoga profana; quia nempé peregrini sunt, inquit, á charitate, id est, nec justi, nec Sancti sunt. Ecce quomodó mentitur iniquitas sibi. Quodsi in Symbolo, Ecclesia appelletur Sancta, Sancta est ratione IEsu Christi sponsi sui, doctrinæ, fidei, gratiarum, Sacramentorum, & aliarum rerum sanctarum, quas continet; non veró

San-

Sancta Sanctitate formali, seu gratiâ habituali, quasi hæc necessarió competere deberet, ut aliquis sit de Ecclesiæ sinu. Sic S. Paulus appellat Sanctos omnes fideles; quia nempè doctrinæ Sanctæ, virtutibus, Sacramentis, &c. participes fiunt.

At *Inquies* Multos textus citat Quesnellus in Considerationibus seu Reflexionibus suis, textibus propositionum damnatarum plané contrarios. Resp. Quid tum? imo: Naturale est hæresi, sibi ipsi contradicere. 2do. Qualemcunque textum sibi faventem producat, alii sunt numerô & claritate longè plures, qui absquè fuco illius errores referunt. 3tio. Solemne est priscis & modernis hæreticis, quosdam sparsim usurpare in scriptis suis terminos, in speciem Catholicos, ut aliis in locis, ubi hæreses suas ex protesso stabiliunt, minùs suspecti habeantur. Sic Nestorius Beatissimam Virginem Mariam aliquandó θεοτοκον, seu Dei genitricem appellabat, cúm aliundé contrarium doceat; sic Quesnellus, ut constat ex dictis. Hæc sufficiant. Cætera, quæ in aliarum propositionum defensionem profert, exilioris sunt momenti, ut in illis refellendis immorer, plura quidem propria vanitate fulgent, ad fallendos simplices, ignaros, mulierculas, & incautos, non veró doctos, respectu quorum suapté fragilitate cadunt. Et certè libellus quem nunc refellimus, & duo postremi, quos scriptrix Jansenianorum phalanx in vulgus nuper clanculùm, & sub pallio spargere curavit, nihil aliud efficiunt, quám refricare, quæ ab illius cabalæ principibus Arnoldo, Paulo Iræneo, Dionysio Raymundo, &c. dicta & scripta sunt; ab annis enim 60 & amplius eandem cantilenam sine fine, diversis quibûsdam terminis

 recinunt.

SANCTISSIMI DNI. NOSTRI DNI:

CLEMENTIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPÆ XI.

Literæ ad universos Christi fideles datæ adversús eos, qui Constitutioni Sanctitatis Suæ, quæ incipit *Unigenitus* anno Incarnationis Dominicæ millesiomo septingentesimo decimo tertio, sexto *I*dus Septembris, editæ debitam obedientiam præstare hactenus recusarunt, aut in posterum recusaverint.

ROMÆ MDCCXVIII.
Ex Typographia *Reverendæ* Cameræ Apostolicæ.

CLEMENS
EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI.

Universis CHRISTI fidelibus præsentes Literas inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem.

Pastora-

PAstoralis officii, quod superni dispositione consilii gerimus, cura Nos admonet, ut Animarum saluti ubiquè terrarum procurandæ, ac præsertim Orthodoxæ Fidei, sine qua impossibile est placere DEO, puritati servandæ omni studio advigilemus. Ea propter cùm in quibusdam ultrá Montes Provinciis, & præcipué in amplissimo Galliæ regno, varia parvarum Doctrinarum, imò & Hæresum semina, occasione damnati cujusdam Libri Gallico idiomate jam pridem editi, sub titulo: *le nouveau Testament en Francois, avec des reflexions* Morales *sur chaque Verset &c.* Aliter veró: *Abbregè de la Morale de l' Evangile, des Actes, des Apotres, des Epitres de Saint Paul, des Epitres Canoniques, & de l' Apocalypse*: vel: *Pensées Chretiennes sur le Texte de ces livres sacres &c.*: germinare cognovissemus; iisdem eradicandis, nostri non minùs muneris debito admoniti, quám crebris multorum Catholici Orbis, ac præsertim Galliæ Episcoporum, precibûs excitati: quin etiam piis, ac sæpiús repetitis claæ mem. Ludovici XIV., dùm vixit, Francorum Regis Christianissimi votis, & officiis adducti, quascunque potuimus Apostolicæ nostræ solicitudinis partes, adjuvante Domino, interponere non prætermisimus. Quæ autem, & quanta in hoc arduo, gravissimoque negotio per plures annos egerimus, & passi simus, quæve inobedientium hominum, & paucorum (quod valdè dolentes dicimus) illustrium etiam Ecclesiarum Antistitum veritati non acquiescentium operâ in idem inclytum Regnum mala provenerint, vobisferè omnibus minimé ignota esse existimamus. Postquám siquidem, Divino

in primis implorato præsidio, curâque omni, studio, ac labore, prout rei gravitas exposcebat, diutissimè collatis, adversùs prædictum librum Constitutionem Nostram, quæ incipit: *Unigenitus* DEI *Filius*: Annô Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo decimo tertio, sexto Idus Septembris, editam promulgavimus; in qua plures noxios articulos ex eodem libro excerptos censuris variis, quas respectivè, ut ajunt, hoc est, singuli aliquam saltem earum merebantur, notatos pro hujus Sanctæ Sedis more proscripsimus: cujusmodi remedii necessitatem tùm memoratus Ludovicus Rex, tùm plerique ex Gallia Episcopi supradicti iteratis obtestationibus inculcaverant, non aliter suborta dissidia sedari posse constanter affirmantes; tota quidem CHRISTI Ecclesia Petrum per Nos, tametsi indignos, loquentem secuta, Apostolicam ejusdem Constitutionis doctrinam debito obsequio, atque obedientiâ suscepit; At Novatores, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident, ex inconsulta eorundem paucorum Antistitum hæsitatione ità animos extulerunt, ut incredibili audaciâ Constitutionem ipsam perversè interpretari, & incessere, pravæque etiam doctrinæ per impudentes calumnias insimulare non erubuerint. Itaque, ut reluctantes illos Episcopos ad sectanda Fratrum suorum vestigia excitaremus, ac turbarum, malorumque omnium fomitem, quem improvida illa cunctatio ministraverat, extingveremus; canonicas animadversiones post diuturna trium annorum longanimitatis experimenta adhibere constitueramus. Verùm Venerabiles Fratres nostri S. R. E. Cardinales, quibuscùm rationem consilii Nostri communicare æqvum esse censuimus, Nos enixè obse-

obſecraverunt, ut paulisper ſeverioribus remediis ſuperſedere vellemus, dùm interim communibus literis Collegam ſuum Conſtitutioni noſtræ ſeſe ſubjicere detrectantem, atque iiſdem propterea animadverſionibus obnoxium ad unitatis, & pacis conſilia revocare conarentur. Eorum igitur precibus annuentes, ne quàm lenitatis viam intentatam relinqueremus, per illas ipſas inducias Nos quoquè ad univerſos Archiepiſcopos, & Epiſcopos Regni Galliarum literas in formâ Brevis die xx. Novembris MDCCXVI. expeditas dedimus, quibus rerum geſtarum ſerie, & Eccleſiarum perturbatione uberiùs expoſitâ, illos hortati ſumus, ut diſſentientes Coëpiſcopos ſuos noſtro etiam nomine convenirent, eoſque officii ſui fraterna charitate admonerent, nec non omnibus Sacerdotalis ſolicitudinis argumentis, imploratoque, noſtris etiam verbis, dilectiſſimi in CHRISTO filii noſtri Philippi Ducis Aurelianenſis, ejuſdem Regni Rectoris, patrocinio, ad reparanda Eccleſiaſticæ unitatis, & diſciplinæ detrimenta, atquè ad avertenda Catholicæ Religionis pericula flectere ſatagerent. Speravimus quidem uberem ex ejuſmodi noſtris literis fructum, junctoque nobiſcum præclariſſimorum Galliæ Præſulum zelo, qui maximo ſanè numero pro veritate certabant, factum iri credidimus, ut diſſidentes Fratres, quòd Nobis adeò in votis erat, lucrari poſſemus. Atqui ſpe noſtrâ fruſtratos confeſtim Nos vidimus dolenteſque clamare coacti ſumus: ſuſtinuimus pacem, & non venit, quæſivimus bona, & ecce turbatio; Et ſanè tam gravis, ut qui ex adverſo erant, illas ipſas noſtras & huius Sanctæ Sedis voces variis artibus penè intercludere tentaverint. Neque profectò feliciùs ceſſerunt

officia

officia illa, quæ Cardinales prædicti per impetratas á nobis, ut diximus, inducias præſtiterunt. Quanquàm enim communi totius Sacri Collegii epiſtolâ, ſuaſiones, conſilia, obſecrationes atque omnem miniſterii ſui, fraternæque benevolentiæ fidem, ſedulitatem, ac ſolicitudinem adhibuiſſent, fruſtrà ſe tamen laboraſſe intellexerunt, neque alium, præter inanes ſcandalorum, ac diſſidiorum expoſtulationes, ſed ſine voluntate veram amovendi cauſam, undè illa emerſerant, operæ ſuæ fructum reportarunt. Non tamen propterea concidimus animo, imò necdùm á mitioribus conſiliis receſſimus: nihil interim curantes, quomodò homines modum hunc agendi noſtrum interpretarentur, quippe qui ſciremus DEO æqué per infamiam, & bonam famam ſerviendum eſſe. Itaque ut aberrantes in viam juſtitiæ ſvaviter rovocaremus, iteratis ſæpiùs hortationibus noſtris, etiam preces addidimus, eundemque in ſcopum, privatis literis manu noſtra conſcriptis, ea omnia paternæ manſvetudinis officia implevimus, quæ ſuggerere nobis potuit Chriſtiana charitas, quæ patiens eſt, benigna eſt, omnia ſuffert, omnia ſuſtinet. Plures intereà Gallicani Antiſtites non minùs ſapientiâ, & doctrinâ, quám pietatè, ac ſtudio tuendæ Religionis illuſtres, ex iis ſcilicet, qui debita ſubmiſſione Conſtitutionem noſtram amplexi fuerant: dignitatis, & muneris ſui probè memores, votiſque, & officiis noſtris obſecundantes, favente etiam eorum conatibus memorato Philippo Duce, ac Rectore, curas omnes ſuas aſſiduoſque labores ad diſcordantium Fratrum animos permovendos enixé conferre non omiſerunt. Sed hæc omnia proſperum illum, quem ſummoperé præſtolabamur, exitum minimé habuerunt;

erunt. Obſcurati ſiquidem ſunt renitentium oculi, ne viderent, ac obturatæ ſunt aures, ne audirent; adeò ut nonulli eorum, non ſine bonorum omnium luctu, hoſtiumquè Eccleſiæ plauſu, ad ea inſuper publicè devenire auſi fuerint, quæ omnes ex vobis, quibus illa innotuerunt, improbaſſe non dubitamus, quæque ipſimet, qui ea perpetrarunt, á Nobis, & à Sancta Romana Eccleſia palam, atque perpetuó damnanda, atque execranda eſſe non ignorabant. Quarè Nos, qui ſupremo Divini Paſtoris mandato deeſſe nec poſſumus, nec debemus, quo & illius Oves paſcere, & Fratres noſtros confirmare præcipimur, animo nobiſcum reputantes, quòd Verbum DEI non eſt alligatum, poſtquám diú tentatis inutiliter conſiliis pacis hucuſque ſiluimus, adhúc ulteriùs tacere Nobis non tutum, Chriſtiano autem Populo perniciosum fore cenſemus. Ad vos proinde omnes ex unaquâque Natione, quæ ſub Cælo eſt, Chriſti fideles, paternas voces noſtras dirigimus, quó primum quidem doloris noſtri participes, veſtras nobiſcum ad Deum preces deferatis, ut ſupernâ adſpirante gratiâ, qui hactenùs contumaces fuerunt, non jam ulteriùs alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes ad debitam cum cæteris Chriſti fidelibus in ſana, Catholicâque Doctrina profitenda veniant unitatem. Hoc nempe ex animo unicè quærimus, hoc dies, noctesque, nec ſine lachrymis à Domino imploramus; nequé enim obliviſci poteſt mulier infantem ſuum, nec Sancta Romana Eccleſia filios ſuos. Deinde ne quis Chriſtianum Populum ſeducere pergat inanibus verbis, vos omnes, ut neceſſe eſt, monitos volumus, & certos facimus, quod fruſtra, & quidem non ſine fermento malitiæ, & nequitiæ, iſtiuſmodi homines nobiſcum in Doctrina Religionis conſentire ſe jactant, dúm interim, Heterodoxorum exemplo præeunté, editam à Nobis Conſtitutionem, quam

 univerſa

universa Ecclesia veneratione debita complectitur, non modò alienis ab ipso verborum tenore interpretationibus, sed & apertis calumniis superinductis, maligné carpere audent & immanium errorum accusatione perstringere; perindé ac si ipsi soli, aliis Christi fidelibus ubique gentium desipientibus, saperent, ipsi soli, reliquis cæcutientibus, lumen veritatis aspicerent. Nec profectò minor est illorum culpa, qui ut faciliùs incautis illudant, cum hæc ipsa moliuntur, eidem Constitutioni nostræ nequaquam adversari, sed solas declarationes, in rebus tamen apud cæteros omnes planè perspicuis, postulare se simulant, non quidem discere, sed tentare cupientes, ut Ecclesiam, si possint, quæstionibus inutilibus, & interminatis immisceant, & luci Catholicæ veritatis tenebras quoquo modo obscuritatis offundant. Ita sanè patientiâ nostrâ abutentes, Apostolicæ auctoritati obsequium, ac reverentiam se exhibere gloriantur illo ipso tempore, quo ei gravissimam inferunt injuriam; Iisdem siquidem explicationum petitionibus satis apertè ostendunt, ideò se Constitutioni nostræ debitam obedientiam nondum præstitisse, quia verentur, ne per illam Catholica Dogmata convellantur: ne laudabilis, & ab hac Sancta Sede probata Ecclesiastica disciplina infringatur: neve demùm salubriores Christianorum morum regulæ subvertantur; quod planè idem est ac vereri, ne defecerit Fides Petri, totaque Christi Ecclesia magisterio Apostolicæ vocis imbuta à via veritatis, & salutis erraverit. Præterea, ut pessimæ causæ splendidum patrocinium concilient, præfatæque Constitutioni majorem undecumque invidiam faciant, se ab ea suscipienda retardari affirmant, eò quod suspicentur per illam damnari Sententias, atque Doctrinas, quas Insignes Catholicarum Scholæ absque ulla censura hactenùs tenuerunt, ac tradiderunt; cùm tamen, nisi ab antiquis semitis, Sanctorumque Pa-

trum

trum vestigiis, imò & ab earundem Scholarum instituto, quod verbis profitentur, re ipsa recessissent, probé reminisci deberent, quod illarum Principes, quorum nomina pertinaciæ suæ temeré prætendunt, quemadmodùm & cæteri illustriores Ecclesiæ Scriptores, suum semper esse duxerunt, ut ab Apostolica Sede discerent quid credere, quid tenere, quid docere deberent: ut ad illam scripta sua examinanda, & emendanda dirigerent: ut inde lumen Catholicæ Fidei reciperent, ubi non posset Fides ipsa sentire defectum: ut nemo eorum denique sententiam suam adversùs Petri auctoritatem defenderet. Cæterum in hoc ipso præpostero judicio consvetum calumniandi morem non derelinquunt; nisi enim excæcaret eos malitia eorum, ac nisi diligerent magis tenebras, quàm lucem, ignorare non deberent sententias illas, ac doctrinas, quas ipsi cùm erroribus per Nos damnatis confundunt, palam, & liberé in Catholicis Scholis, etiam post editam à Nobis memoratam Constitutionem, sub oculis Nostris doceri, atque defendi, illasque propterea minime per eam fuisse proscriptas. Verùm supercecidit ignis contentionis, & æmulationis, & non viderunt Solem lucidissimæ Veritatis. Hinc justo Dei judicio ambulantes in tenebris, nesciunt plané quò vadant: Scandalum siquidem de Constitutione Nostra comminiscuntur; sed se ipsos potius de pervicaci sua inobedientia scandalum facere non agnoscunt. Sacrosanctam Episcopatûs Dignitatem exaltare se velle declarant: sed re ipsa deprimunt, dum interim fraternitatem ipsi contemnunt, audacissimæ inferioris Cleri rebellioni fomentum tribuunt, universumque Ecclesiasticum Ordinem Laicis Tribunalibus, vel in ipsa Religionis causa, indecoré, ac perperàm subjici non attendunt. De veteris, ac novæ Legis discrimine, tanquàm de re ipsis solis perspecta, multa, & plerumque inuti-

liter diſputant, novæque præſtantiam, quam omnes agnoſcunt,& profitentur,inculcare non deſinunt; utriuſque tamen Legis plenitudinem, quæ eſt dilectio, minimè obſervant. Charitatem nulli impenſiùs laudant: nulli impudentiús violant. Divinæ gratiæ virtutem prædicant, quam Catholicus nullus negat: ſed damnatis erroribus faventes Spiritui Gratiæ contumeliam faciunt. Quód verò Nos de puſillorum ſcandalo ſolicitos plurimùm excruciat, illud eſt, quód dúm plerique eorum hæc faciunt vel conſentiunt facientibus, adhuc ſpecioſo quodam ementitæ ſeveritatis amictu ſe contegentes, rigidioris doctrinæ gloriam captare non ceſſant, inſtituendæque in meliùs Chriſtianorum vitæ, & ad normam Evangelii componendæ zelum magnificé oſtentant. Quare Nos pernicioſam hanc larvam,quæ animabus pretioſiſſimo Chriſti ſangvine redemptis certum parare poſſet exitiū, palám detrahere,urgente Nos Apoſtolici miniſterii debito, volentes; ipſos primùm aberrantes Fratres, ut aliàs ſæpè privatim fecimus, puplicè modò, & coram Univerſâ Eccleſiâ monitos facimus, ne ſibi ulteriús de falsâ exactioris diſciplinæ fama blandiantur; neque enim vera virtus abſque humilitate, pietas abſque obedientia, Chriſtiana demùm perfectio abſque charitate poteſt conſiſtere. Porrò quæ humilitas? ſenſum proprium communi Fratrum ſententiæ, quin & ſupremæ Beati Petri Cathedræ judicio obſtinaté præferre? Quæ obedientia? Apoſtolicis definitionibus reluctari? Quæ tandem charitas, injuriis, & contumeliis agere, iras, rixas, & contentiones ubique diſſeminare? Agnoſcant igitur, Divini luminis irradiante fulgore, quàm gravibus coram Deo, & Eccleſia reatibus, & periculis involvantur. Meminerint ſcriptum eſſe, quod quaſi peccatum ariolandi eſt, repugnare, & quaſi ſcelus Idololatriæ eſt, nolle acquieſcere, Omnipotentis Dei, qui ſuperbis reſiſtit,

ſtit, tremendum, & imminens ſibi judicium timeant, Eccleſiæque pacem ſimul, & Reipublicæ tranquillitatem perturbare tandem aliquando reſiſtant. Reliquos deindè Vos omnes per Univerſum Terrarum Orbem Apoſtolicæ Fidei Cultores paternè admonemus, requirimus, & obteſtamur, ut ad eos, qui veniunt ad Vos in veſtimentis ovium, probè dignoſcendos, certiſſimam illam, quam Dominus, ac Salvator noſter Nobis reliquit, Regulam adhibeatis, videlicet: A fructibus eorum cognoſcetis eos. Qui autem fructus iſti ſunt, ex eorum, qui Conſtitutioni Noſtræ ſeſe ſubmittere renuerunt, contumaciâ provenientes, toti jam penè Chriſtiano Orbi nimiùm perſpecti ſunt, & manifeſti; De illis propterea, ne acerbiſſimi doloris noſtri vulnera refricemus, prolixiùs eloqui libenter abſiſtimus. Nolite ergó, Filii dilectiſſimi, Voſque potiſſimùm, qui ut loco, ita & periculo propinquiores eſtis, nolite effici participes eorum, nolite omni ſpiritui credere, doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci, ſed ſanam, & Orthodoxam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Doctrinam, quæ ſacrum Fidei depoſitum intemeratè ſervat, tutó ſequimini, & firmiter cuſtodite. Nos verò, quos cæteris zelo Domus Dei non minùs, quàm Dignitate, præire oportet, ut ingruentium tot malorum gravitati, quantum rèrum, & temporum præſens conditio patitur, opportuné occurramus, præſertim ne Paſtores errantes, in errorem mittentes, diſperdere, & dilacerare gregem Domini, nemine cohibente, proſequantur: Neve oves Chriſti, Nobis tacentibus, rapi in præcipitia ſe ſinant, Univerſis Chriſti fidelibus, quid interim graviſſimâ hac in re Nos agere duxerimus, palam edicere, ac declarare ſtatuimus. Noverint ergò omnes qui ubicunque terrarum Catholico nomine gloriantur, Nos, qui Unigeniti Filii Dei, & Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti vices, nullo licèt meritorum noſtro-

 rum

rum ſuffragio, in terris gerimus, eos omnes, cujuſcunque ſtatûs, gradûs, Ordinis, & condiritionis illi ſint, etiamſi Epiſcopali, Archiepiſcopali, autalia qualibet, etiam Cardinalatûs Dignitate præfulgeant, qui memoratæ Conſtitutioni Noſtræ debitam, & omnimodam obedientiam præſtare hactenùs recuſarunt, aut in poſterùm recuſare auſi fuerint, ut veros Sanctæ Romanæ Eccleſiæ filios non agnoſcere: neque ut Nobis, & beati Petri Cathedræ quod falsô autumant, adhærentes & conſentientes, ſed contrà potiùs, uti aperte inobedientes, ac notoriè contumaces, & refractarios habere, tenere, ac reputare; Et quoniam primò ipſi à Nobis, & Sancta Romana Eccleſia, ſi minùs expreſſis verbis, factis certè, pertinaciſque & obduratæ mentis multiplici ſignificatione receſſerunt, illos ſimiliter à Nobis, tanquàm à Noſtra, & ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ charitate prorsùs ſegregatos haberi: nullamque proindè Nobis, & ipſi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ deinceps cum illis Communionem Eccleſiaſticam extituram, donec (quod faxit Deus) integrè reſipiſcant, rejectaque penitùs audacia refragandi, per exhibitionem veræ obedientiæ, quam complures eorum Romano pontifici Beati Petri Succeſſori, ac Jeſu Chriſti Vicario in ipſamet ſolemni profeſſione Catholicæ Fidei, interpoſita jurisjurandi Religione, ad Sancta Dei Evangelia ſæpiùs ſpoponderunt, priſtinæ charitati, & unitati ab eadem Apoſtolica Sede reſtitui mereantur. Ad Vos poſtremò, Venerabiles Fratres, Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi, cœterique omnes Eccleſiarum Præſules, gaudium noſtrum, & corona noſtra, Apoſtolicæ dilectionis noſtræ ſermonem convertimus, hortantes Vos, & obſecrantes in Domino, ut pro eo, quo polletis Paſtorali zelo, commiſſas Vobis Chriſti Oves à venenatis paſcuis, ideſt profanarum Vocum, & Doctrinarum novitatibus

tibus ſeduló arceatis, ſimulque paternam ſolicitudinem noſtram in revocandis ad ſaniora conſilia quibuſcumque diſſidentibus efficaciùs adjuvetis, ita ut Vobis indivulſam cum Sancta Romana Eccleſia in Doctrina Fidei unitatem, quod jam plerique Veſtrum egregiè præſtitiſtis, firmiſſimé profitentibus, Chriſtiani omnes agnoſcant Vos longé ab iis eſſe, qui elongaverunt ſe á Nobis, ac illorum damnabilem inobedientiam unà Nobiſcum averſari, & improbare, eoſque, niſi reſipuerint, à communis ſocietatis charitate prorsús alienos habere. Utinam qui Paternis hactenús humilitatis noſtræ vocibus reluctati ſunt, Vobis omnibus non modó arguentibus, obſecrantibus, & increpantibus, ſed & ab eorum conſortio penitùs, abſtinentibus, erubeſcant, confundantur, & convertantur, detque illis Deus pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem; ut ſecundúm Apoſtolicam Doctrinam, id ipſum tandem, dicamus omnes, & non ſint in Nobis ſchiſmata: ſimus autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia, auxiliante Nobis per omnia gratiâ Domini Noſtri Jeſu Chriſti, cui eſt honor, & gloria in ſecula. Amen. Ut autem præſentes literæ ad omnium fidelium quibuſcumque locis exiſtentium notitiam faciliùs perveniant, volumus earum exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, ac ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eamdem prorſùs fidem haberi, quæ ipſis originalibus literis haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergó omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ admonitionis, edicti, declarationis, hòrtationis, obſecrationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majo-

rem

rem anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo decimo octavo, quinto Kalendas Septembris, Pontificatus Nostri anno XVIII.

I. Card. Pro-Datarius. F. Card, Oliverius.
Visa de Curia L. Sergardus Pro- Abbrev.
Loco † *Plumbi* L. Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno à Nativitate Domini Nostri JesuChristi millesimo septingentesimo decimo octavo, Indictione undecima, die vero 8. mensis Septembris. Pontificatûs autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divin â providentia Papæ. XI. anno ejus xviij, supradictæ Literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, Magnæ Curiæ Innocentianæ, in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consvetis Vrbis per me Antonium Placentinum Apostolicum Cursorem.

Ludovicus Cappellus Mag. Curs.

Aut Congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur? quasi nulla hæresis aliquando nisi Synodi Congregatione damnata sit. Cum potiús rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas talis necessitas extiterit. S. Aug. lib. 4. ad Bonifac. cap. ult.

Cathedræ Petri Communione consocior, super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio, quicunquè extra hanc Domum Agnum comederit, profanus est. Si quis in Arca Nòe non fuerit, peribit regnante diluviô. S. Hieron. ep. 57. ad Damas. Pap.

Qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit: quomodò in Ecclesia se esse confidit? S. Cypr. lib. de unitate.

Soli Deo Honor & Gloria.

II. PARS. Speculi veridici contra Calvinistas & Lutheran. adhuc est in typo.

INDEX.

Rerum omnium potiorum, quæ in 1. Parte Speculi Veridici, contra Jansenistas continentur.

In

In II. Perspicilio.

SPECULI VERIDICI

Sola-

Menda.

Typi Thorunensis Lutheranici, In I. Parte Speculi Veridici; sic emenda.

AB initio Libri, ubi approbatio vers 20. *de gratia Christum*, corrige: *De gratia Christi.* pag. in Procemio ad Lectorem, ver. 9. *niminis*, corrige *nimis*. pag. 14. ver. 21. *unicumquè* corr. *unicuiquè*, pag. 16. ver. 1. *proposuiste*, corr: *proposuisse*; pag. 19. ver: 7. *qui*; cor: *quia*; pag. 19. vers. 21. *agunt*, corr: *ajunt*; pag: 123. ver. 11. *eamdem*; cor: *eandem*; pag. 208. ver: 26. *tristia est*, corr: *tristitia est*; pag. 218. ver. 2. *volumus*, cor. *velimus*; pag. 241. ver. 6. *nec nullus*; corr: *nec ullus*; pag. 278. ver. 12. *nihi*; corr. *nihil*. pag. 306. num: 19. *ab efficaci*; corr: *ab inefficaci*; pag. 313. num. 9. *præsupponuntur*; corr: *præsupponitur*. pag. 316. num. 10. *resipuerint*; adde: *nisi resipuerint*, pag: 319. num. 6. *Episcorum*, corr: *Episcoporum*; pag. 324. ver: 23. *portæ inferri*, corr. *portæ inferi*; pag. 329. ver. 24. *ad*; corr: *at*.

Ecclesia est ubiquè, hæresis ubiquè; sed Ecclesia ubiquè eadem, hæresis verò diversissima.

S. Aug. lib. de Pastor. cap. 8.

Catholicum est, quod ab omnibus, quod ubiquè, quod semper creditum est.

Vinc. Lyrin. lib. cont. hæreses, cap. 3.

De natura purâ, Jansenius, minùs sanè;
de natura sanâ, minùs purè;
de lapsâ minùs rectè sensit.
Post calumnias naturæ, non pepercit *Gratiæ*;
ut negaret *Sufficientem*, finxit inutilem;
ut destrueret *Efficacem*, fecit crudelem;
ut evinceret *Liberum arbitrium*, reddidit captivum.
ut corrumperet *Bona opera*, corrupit *Merita*.
ut excusaret *peccatum*, fecit necessarium.
ut redderet CHRISTUM odiosum, negavit cum Calvinô, pro omnibus mortuum. *Ita Petrus Labbe S. I. in Elogijs Sacris.*

PERSPICILI-ORUM

Pro nasutis Protestantibus,

PARS II.

SPECULI VERIDICI

Contra

CALVINISTAS,

&

LUTHERANOS.

JUSSU

Illustrissimi & Reverendissimi Officij Consistorialis Culmensis, ab eodem (à quo I. PARS contra Jansenistas) Polono Presbytero Romano Catholico

REIMPRESSA ANNO DOMINI 1726.

BREVIS
&
JUCUNDA.

Cum Evangelicis ſeu Reformatis dictis,

CONCERTATIO.

In qua
clarè retorquentur tela in Caput Calviniſtarum & Lutheranorum oppugnantium Catholicos.

Jtem
Dilucidè religionem eorum eſſe falſam, imò nullam demonſtratur.

FACULTAS

Illuſtriſſimi, Excellentiſſimi, ac Reverendiſſimi Domini D. JOANNIS IOACHIMI, Comitis de Czekarzewice TARŁO, Epiſcopi Poſnanienſis.

OPus nobile ſub titulò *Speculi Veridici*, contra Hæreticos noſtri ævi; cujus I. Pars contra Ianſeniſtas, juſſu Jlluſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Epiſcopi Culmenſis, & Pomeſaniæ, ac Officij Ejuſdem Conſiſtorialis Thorunij Pruſſiæ Regalis, Civitate S. R. M. Polon. prælô edita eſt Annô 1724. II. verò Pars contra Calviniſtas & Lutheranos, in eadem Typographia jam cæpta (quia Radius Divinæ veritatis de eodem *Speculo Veridico* in oculos cæcutientium hæterodoxorum repercuſſus, errores oſorum veritatis ſincerè repræſentat) quatuor circiter annis per eoſdem filios tenebrarum, ne in lucem publicam exiret impedita. Tandem

dem non ſine labore, ex mandato Celſiſſimi Primatis Primiq; Principis Regni Noſtri & M. D. Litth. ArchiEpiſcopi Metropolitani Gneſnenſis, vindicata; toties à multis gravibus Theologis Orthodoxis, ad inſtantiam ipſorum & Lutheranorum, diligenter reviſa & approbata; ut imprimatur & reimprimatur, lbentiſſimè facultatem concedimus. In quorum fidem &c. Varſaviæ primis Januarij, Annô Domini 1728.

JOANNES Epiſcopus Poſnanienſis.

mpp.

PROEMIUM.

Nihil magis abhorrent Reformati dicti, hæretici Calvinistæ & Lutherani, quàm formam Syllogisticam in argumentis Fidei Orthodoxæ; veritas enim clariùs patet in bona forma Syllogistica, positis præmissis, necessariò intellectus ad assensum Conclusionis rapitur. Quâ de causa SS. Doctores Ecclesiæ Nostræ Orthodoxæ, qui breviter & nervose Scholasticam Theologiam tradiderunt maximè de Fidei Articulis, uti S. Thomam Aquinatem, procul amandant. Gaudeo quod ipse Martinus Lutherus Doctor, nos provocet hac viâ, cui Respondebimus DEO dante ad ipsius scrupulos, & retorquebimus in bona pace & formâ Syllogisticâ, non Sophisticâ, proùt ipse Catholicos aggreditur, sed demonstrativâ & verissimâ. Igitur Anno 1535. D. MARTINUS LUTHERUS, contra MISSAM PRIVATAM, sic disputat, in Barbara, 1mæ Figuræ: sub, præ, prima.

Barbara I.

Omnis cogitatio humana de rebus divinis est error.
Sed omnis Missa privata est ejusmodi,
Ergo omnis Missa privata est error.

Item. in Barbara 2dum Argumentum D. Lutheri sic sonat:

Omnis voluntas humana in rebus divinis est impietas.
Sed Missa privata est ejusmodi,
Ergo Missa privata est impietas.

Item ejusdem Lutheri Doctoris famosi, in Barbara, tertium Argumentum, ut sequitur,

Omnis Cultus humanus in rebus divinis est. Idololatria.
Sed omnis Missa privata est ejusmodi.
Ergo omnis Missa privata est Idololatria.

Igitur:

Problema Disputabile.

In Missa privata videtur non esse Sacramentum.
Et: Adoratores ejus esse veros Idololatras.

Demonstratio pariter alia D. Lutheri Doctoris ægregii, præclari 5ti Evangelistæ, proùt ipsi dant titulum sui coriphæi, De OBSERVATIONE PRÆCEPTORUM DIVINORUM. est talis, & in hæc ejus verba. Tom. 1. Fol. 398. edit. Wittemberg. & Fol. 386. *Referamus*, inquit, *in formam Syllogisticam, ut apertior sit nostra, contra eos* (hoc est Catholicos) *expostulatio & insultatio.*

Quicunque vult intrare in vitam, debet servare mandata DEI.
Sed nullus Sanctorum servat mandata DEI,
Ergo nullus Sanctorum potest intrare in vitam.

Major est manifestæ auctoritatis Divinæ, ubi Christus dicit: Si vis intrare in vitam &c. qui non fallit, neque mentitur.

Minor facile probatur, ex supradictis, quia omnes Sancti sunt peccatores, & mandata DEI non servant.

Conclusio est in bona forma Consequentia in secundo secundæ deducta & irrefragabilis. Quo nunc ibitur? Hi Justitiarii,

tiarii, (nempe Catholici) *deprehenduntur inter angustias, & meritò redirent ad cor, ut Esàias loquitur.* Et paulò ſupra ait ibidem, loc cit: *Expectamus proindè à lactatoribus bonorum operum & legis, quibus Justitiam tribui volunt, ut oſtendant vel unum exemplum impletæ Legis ab initio mundi, etiam in Eccleſia uſque in finem mundi.*

Videat æquus Lector, hic tales propoſitiones, quas ſimpliciores etiam ruſtici riderent, ſi iiſdem proponerentur. Nimirum ſi hoc Lutheri argumentum valeret, omnis Religio rueret; & ipſa fides (quam tamen ſolam Lutherus propugnat ad ſanguinem, ſine bonis operibus) etiam non juſtificaret ad ſalutem. Nam verba Chriſti manent, ex te, retorqueo.

Quicunque vult intrare in vitam, debet ſervare mandata DEI. (*) Sed nullus qui habet fidem, ſetvat mandata DEI. Ergo nullus, qui habet fidem, poteſt intrare in vitam. Major eſt manifeſtæ Authoritatis Divinæ; Minor eſt certa ex eo, quod ſi nullus Sanctus ſervet mandata DEI, etiam ille qui habet fidem non ſervat mandata DEI, quia ſine fide nemo Sanctus & Juſtus eſſe poteſt. Concluſio eſt legitima. Infertur:

Ergò ſecundùm Lutheri principia nullus hominum ſalvatur. Ecce Reformatorem Eccleſiæ, qui religionem introducit, in qua nemo ſalvus fieri poſſit. Nunc ad præcipuum Diſputationis caput accedamus. Nimirum.

(*) *Matthæi Capite* 19. *Verſu* 18.

DE SACRIFICO MISSÆ & Adoratione EUCHARISTIÆ.

ANNO 1710. die. 26. Augusti Theses publicas ausi sunt proponere Reformati Heidelbergæ, tales ut sequuntur: quibûs contendebant Adorationem Christi in Eucharistia esse cultum Idololatricum, sed irritô eventu. Ita arguunt Lutherani & Calvinistæ:

1mo: Ille cultus est Idololatricus qui non habet fundamentum in scriptura, in veteri Ecclesia non fuit usitatus, & quando cultus soli Deo debitus, exhibetur creaturæ; Sed adoratio Eucharistiæ & Sacrificium Missæ non habent fundamentum in scriptura, nec in veteri Ecclesia fuerunt usitata, præsertim quo ad publicas processiones, & ibidem creaturæ defertur honor soli Deo debitus, Ergo est cultus Idololatricus. Prætermissis duabus primis partibus minoris, probant tertiam partem minoris, in hunc modum:

Sacramentum Eucharistiæ continet etiam species; Ergo qui adorat Sacramentum Eucharistiæ, adorat species; Sed species sunt creaturæ, Ergo defertur Cultus Deo debitus creaturæ. Resp. absolute in Sacramento Eucharistiæ adorari contentum sub speciebus, non autem ipsum continens, nisi respectivé, quia cum vero adorabili conjunctum est. Sicut qui Imperatori exhibet reverentiam flectendo genua, necessarió etiam reverentiam debet exhibere ipsius vestibus, quibus indutus est,

quas

quas etiam quis osculatur; non, quod vestes tali reverentiâ dignæ sint, sed quia cum Cæsare sunt conjunctæ, quibus si se Imperator exuat, nemo amplius honorem exhibebit. Applicetur, & apparebit, quanta sit argumenti vis. Ut autem nullitas hujus argumenti clariùs appareat, perpendamus ipsum argumentum, per quod Reformati se probant ipsimet Idolatras, hoc modo: Reformati adorant Christum, Ergo deferunt creaturæ cultum soli DEO debitum. Consequentia evidenter probatur: Ad Christum pertinet humanitas, Ergo qui Christum adorat, adorat Humanitatem Christi. Sed Humanitas Christi est creatura, Ergo adoratur creatura. Undé sequeretur pessima hæc propositio: Ergo Magi, quando procidentes adoraverunt Christum, fuerunt Idolatræ. Primum igitur argumentum prorsùs nihil probat, uti cuivis patet.

Obijc. 2do: Probant Reformati sic: Ille cultus est Idolatricus, cujus non expressum habetur in scrptura mandatum, sed Adorationis Eucharistiæ expressum mandatum non habetur. Ergo est cultus Idololatricus; nam Christus in Institutione Eucharistiæ non dixit: Adorate. Resp. Jor Propositio falsissima est, nam subsumo: Atqui Magi non habuerunt expressum mandatum adorandi Christum Neonatum, & tamen adorarûnt, & quidem hominis formâ propositum. Ergo fuerunt Idolatræ; quod est plasphemum dicere. Hinc ubi Lutherus ad Valdenses, negat Corpus Domini in Sacramento Eucharistiæ adorandum esse. In contrarium asserit, quod sicut Magi in terra adorabant Christum, sic in Eucharistia, posse fieri. Lutherus ad Waldenses.

Obijc. 3tio. Etiam ille cultus est Idololatricus quandò Christus adoratur contentus sub speciebus; nam

non

non ideò Iſràélitæ fuerunt Idololatræ, quia vitulum aureum adoraverunt (nam hunc non adoraverunt) ſed ideo, quia in vitulo adoraverunt DEUM verum. Ergo etiam qui adorat Chriſtum ſub ſpeciebus, committit idololatriam. Reſp. Efficax ſanè probatio, cujus totum fundamentum evidenter falſum eſt ex ſcriptura. Nam primo Exodi 3. Cap. v. 8. dicit DEUS ad Moyſen: *Fecerunt ſibi vitulum conflatilem & adoraverunt atque immolantes ei hoſtias, dixerunt: iſti ſunt Dÿ tui Iſràél.* 2do Pſal. 105. v. 19. David dicit: *Fecerunt vitulum in Horeb*, *& adoraverunt ſculptile*, & vers. 21. *obliti ſunt Deum, qui ſalvavit eos.*

Quæro nunc, quis prudenter dicere poſſit, quòd Iſràélitæ in vitulo adoraverint verum Deum? Ex textu primo clarè patet, quod vitulum adoraverint, & ei hoſtias immolaverint. In ſecundo dicitur quod adoraverint ſculptile, & Deum obliti ſint: quomodo ergo in vitulo poterant adorare Deum verum, quem erant obliti? Unde talia argumenta, proh! dolor! ſunt ad decipiendam rudem plebem, non ad convincendos homines literatos. *Inſt.* At. inquiunt, Iſràélitæ clamaverunt: *Cras ſolemnitas Domini eſt, aut Magnus dies Jehova.* Ergo voluerunt adorare in vitulo verum Deum. Reſp. Quaſi verò vitulum, quem ſibi Deum conſtituerant, non potuerint appellare *Jehova*, quod elucet ex textibus ſupra poſitis clariſſimis. Itaque jor propoſitio ab initio in argumento poſita, falſiſſima eſt, proinde abſolutè penituſque neganda.

Obijc. 4to: Quod eſt objectum comeſtibile, non eſt objectum adorabile. Sed Euchariſtia eſt objectum comeſtibile. Ergo non eſt objectum adorabile. Reſp. Qui vel prima principia ratiocinandi novit, mox opponet

Syl-

Syllogismum sequentem : Quod est objectum comestibile, non est objectum visibile; sed panis quotidianus est objectum comestibile; Ergo non est objectum visibile. Igitur major falsa est; id enim , quod sub una ratione est comestibile , etiam sub alia ratione est adorabile. Non tamen inde inferes ; Ergo omne comestibile est adorabile , sed illud comestibile tantùm , in quo Christus verus DEUS sumitur.

Objic. 5to: Reformati glocitant : Si Christus potest adorari sub speciebus ; Ergo potest adorari Deus in omni creatura , in qua est. Resp. In quacumque creatura si verus Deus adoratur, non committitur idololatria, quia tunc confertur verus honor vero DEO. An autem Deus debeat adorari in quacumquè creatura, alia quæstio est, de qua modò non agitur, nec hîc ad rẽ facit, ubi probanda erat contra Catholicos Idololatria.

Objic. 6to. Reformati latrant: Catholici Authores aliqui docent , quòd possim me prosternere coram omni creatura. Citatur Vasquez. Hunc ipsa sua verba lecta, & bene intellecta defendent , & Catholicum probabunt.

Objic. 7mo: Reformati hinniunt sic urgendo : sensus non percipiunt ibi esse Christum. Ergo Christus ibi non est. Sensus percipiunt ibi panem , ergo ibi panis est. Si enim ibi panis non est , Deus falleret oculos hominum, quod facere non potest. Resp. Sic paulò infrà.

Ultimam denique Probationem emendicabant balando & coaxando, ab impossibilitate penetrationis corporum (quod præcipuum est Calvinistarum assertum) ubi necessariò debebant negare Christum clausò sepulchrô resurrexisse: Sed opus fuisse, ut quis priùs lapidem revolveret ab ostio monumenti. Item negave--

runt Christum intrasse januis clausis ad Apostolos, & dixerunt Christum tam artificiosè januam aperuisse, ut nemo Apostolorum adverterit; vel ut ipse impius ait Calvinus, per fenestram, aut caminum, Christum tunc intrasse januis clausis. O quam efficax probatio! sic ruerent præcipui articuli fidei. Nunquid non simile argumentum valet contra Mysteria Sanctissimæ Trinitatis & Incarnationis?

Retorsiones in Reformatos. Humana ratio non capit, quomodo tres Personæ realiter distinctæ sint unus Deus! Ergo tres Personæ Divinæ non est unus Deus. Humana ratio non capit, quomodo Divina & Humana natura subsistant in eâdem Personâ: Ergò Christus non potest esse Deus & homo; quæ consequentia? Nunquid Christus apparuit Magdalenæ sub specie hortulani, cur suis fidelibus Christianis non posset adesse sub specie panis? decepitnè ideo Magdalenam, quòd secundùm speciem judicaret horutulanum adesse, & non Christũ? Decepitne Deus Moysen, quando Angelus apparuit, & Deus locutus est in rubo ardente; etiamsi Moyses videret in rubo ignem, tamen credebat adesse Deum.

Et quis non ridiculam æstimet scripturæ Interpretationem? Jesus ingressus est januis clausis; hoc ipsis idem est, ac Christus tam artificiose januas aperuit, ut Apostoli non adverterint, sed judicârint, eum januis clausis esse ingressum. Illud bonum est, quod Reformati ante duos annos in publica disputatione fassi sunt, se non habere infallibilem interpretationem scripturæ, nam alius sic, alius aliter, sicut per nasum, ut ajunt, torquent scripturam, & quidem sibi contradictoria non semel opponentes: unde etiam exemplum regulæ dare voluisse videntur in hac explicatione: Christus intravit januis clausis; hoc est: Christus tam artificiosè januas aperuit, ut Apostoli adverterint. Quæso,

Quæro, ubi ſcriptum eſt, quòd Deus velit, vel debeat Divina myſteria humanis ſenſibus accommodare. Ecce! quid moliantur Reformati, ut Catholicos probent Idololatras, in controverſiam vocant Dei Omnipotentiam, & ne hæc latiùs extendatur, conſtringunt eam intra trinam Carthesii dimenſionem; quaſi verò Carthesius ille fuerit, qui Omnipotentiæ Divinæ potuerit tres illas columnas ponere illiſqué inſcribere: Non plus ultra. Infirmus fuiſſet Deus, ſi Carthesii vorticibus in Conſtitutione mundi opus habuiſſet.

Seriùs hic venit quatripartita Philoſophia ad eliminandam corporum penetrationem, quæ per legitimas conſequentias probatur ex Sacra Scriptura. Joan. 20. *Venit JESVS januis clauſis & ſtetit in medio.* Certùm eſt 1mo. quòd JESUS ſteterit in medio eorum cum corpore ſuo, quia oſtendit eis latus & manus. Certùm eſt 2do. ex ipſo textu, poſitô, quòd venerit januis clauſis, & ſteterit in medio eorum. *Jam formatur argumentum ad hominem convictivum de penetratione ſupernaturali:* Chriſti corpus poſt reſurrectionem eſt verum Corpus. Janua etiam eſt verum corpus. Chriſtus venit januis clauſis in medium Diſcipulorum, quia ſi artificiosè aperuiſſet, non veniſſet januis clauſis in medium. Ergò Corpus Chriſti & janua ſimul fuerunt in eodem ſpatio loci. Ergò Corpus Chriſti & Janua fuerunt penetrata. Ergò poſſibilis eſt divinitùs penetratio corporum.

Hâc ſuppoſitâ, qua fronte audent Reformati negare poſſibilem penetrationem corporum, & penetrationem ſub ſpecie panis; quare hic non in ſubſidium vocant fidem ſuam, quam ubique ita extollunt? audiant illud D. Thomæ Aquin: *quod non capis, quod non vides, animoſa firmat fides, præter rerum ordinem.* Claré igitur

 nunc

nunc apparet ex omnibus Reformatorum propositis argumentis, ne unicum quidem esse, quod præter umbram & inanem fucum aliquid contineat. Sed Nos claré ac dilucidé in simplicitate Christiana (*qui enim ambulat simpliciter, ambulat confidenter,* teste sacrâ paginâ) proponamus jam.

ARGUMENTA.

Quæ probant Religionem Reformatam dictam seu Calvinianam, esse falsam religionem.

I. ILla Religio est falsa, quæ apertè negat fieri posse, quod Deus in veteri & Christus in novo Testamento expresse fieri præcipit. Sed Reformata Religio negat fieri posse, quod DEUS in Veteri & Christus in Novo Testamento fieri præcipit. Ergò Reformata Religio est falsa religio.

Major propositio est evidens. Aliàs sequeretur, Deum præcipere posse impossibilia, quod tamen in humano Legislatore stultum judicatur; cum contra legem rationis sit, aliquem velle obligare ad impossibilia.

Minor probatur: Deus in Veteri, & Christus in Novo Testamento, præcepit servare præcepta. Levit. 18. 41. *Præcepta mea servate & ambulabitis in eis. Ego Dominus Deus vester:* & cap. 35. v. 18. *Facite præcepta mea, & custodite & implete ea.* Et Christus Matt. 19. 18 *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Atqui Reformata religio negat mandata servari posse. Ergo negat id fieri posse, quod Deus in veteri & Christus in Novo Testamento præcepit.

Major

Major est clara. Minor est reformatorum; conclusio est legitima. *Infertur*, Ergo reformata Religio est falsa religio.

2dum. Illa Religio est falsa, quæ suâ doctrinâ scripturam apertè facit mendacem. Sed religio reformata scripturam apertè facit mendacem. Ergo Reformata religio est falsa religio.

Major est evidens. Minor probatur: Reformata religio dicit præcepta servari non posse. Scriptura dicit à pluribus esse servata. Ergo cùm religio reformata dicat fieri non posse, quòd scriptura dicit esse factum, Reformata religio scripturam apertè facit mendacem.

Præcepta autem servata esse, claris verbis ostendit scriptura; imo.4.Reg.23.25.de Rege Josia: *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota animâ sua & in universa virtute sua, juxta omnem legem Moysis.* Et Luc. 1. 6. de Zacharia & Elisabeth dicitur: *Erant autem justi ambo ante Deum incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini sine querela.* & Marci 10. 20, & ver. 21. dicit adolescens de mandatis: *Magister hæc omnia observavi à juventute mea.* sequitur: *JESUS autem intuitus eum, dilexit eum.* Infertur: Ergo religio reformata est falsa religio.

3tium. Illa religio est falsa, quæ docet Christi passionem & mortem nihil nobis conferre ad salutem. Sed Calvini religio docet Christi Passionem & mortem nobis nihil contulisse ad salutem. Ergò religio Calvini est falsa religio.

Major est evidens. Minor probatur, ex verbis Calvini lib. 2. instit. cap. 16. num. 10. ubi ait: *nihil actum erat, si corporeâ tantùm morte defunctus fuisset.* * Ergò mors & passio Christi corporea, nihil nobis profuit ad salutem.

* *Verba Calvini impia.*

lutem. Ergo quando JESUS in Cruce expiravit, homo redemptus non erat. Quid igitur adhuc erat necessarium? audiant & horreant Christianæ aures! *Sed operæ simul pretium erat, ut divinæ ultionis severitatem sentiret; quo iræ ipsius intercederet, & satisfaceret justo judicio. Unde etiam eum oportuit cum inferiorum copiis, æternæque mortis horrore, quasi consertis manibus luctari. Correctionem pacis nostræ illi impositam fuisse nuper ex Propheta retulimus; fuisse propter scelera nostra à Patre percussum, attritum propter infirmitates nostras, quibus significat, in locum sceleratorum sponsorem, Vadem, adeoque instar rei submissum, qui defenderet ac persolveret omnes, quæ ab illis expetendæ erant pœnas, uno hoc excepto, quod doloribus mortis non poterat detineri. Ergo si ad inferos descendisse dicitur, mirum nihil est, qvum eam mortem pertulerit, quæ sceleratis ab irato Deo infligitur.* Et paulò infra; *ubi enim, quæ in hominum conspectu passus est Christus, exposita fuerunt, opportunè subjicitur invisibile illud & incomprehensibile judicium, quod coram Deo sustinuit, ut sciamus non modò corpus Christi in pretium redemptionis fuisse traditum; sed aliud majus & excellentius pretium fuisse, quo diros in anima cruciatus damnati ac perditi hominis pertulerit.* Et N: II. *Hoc sensu dicit Petrus, Christum resurrexisse solutis mortis doloribus, à quibus impossibile erat ipsum teneri vel superari. Non simpliciter nominat mortem, sed Filium Dei implicitum fuisse doloribus, exprimit, quos parit maledictio & ira Dei, quæ mortis origo est; quantulum enim fuisset securè & quasi per lusum prodire ad subeundam mortem; hoc verò immensæ misericordiæ verum fuit specimen, mortem, quam tantopere horrebat, non refugere.* Ita Calvinus. Horreant inquam Christianæ aures audire voces: Christum judicium Dei sustinuisse, pœnasque perditi ac damnati hominis pertulisse; pertulisse pœnas, quæ, sceleratis

ab

ab irato Deo infliguntur. Morte corporali Christi nihil actum esse; & illud maximè : *securè & quasi per lusum prodire ad subeundam mortem.* Nunquid hoc est totam Christi corporalem passionem & mortem tanquam lusum prodire ad subeundam mortem. Nunquid hoc est totam Christi corporalem passionem & mortem tanquàm lusum traducere? Ergo secundùm Calvinum, effusus pro salute humani generis Sangvis Christi nihil profuit? contra manifesta Christi verba: *qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Si in remissionem peccatorum Sangvis Christi effusus est: Ergo profuit ad remissionem peccatorum. Ergo corporali passione & morte Christi non actum est nihil.

Quæritur nunc: an hæc sit religio Christiana, quæ effuso Christi Sangvini effectum adimit, quem Christus ipse tribuit? Et tamen Calvinus, qui est reformatorum potius ipse Idolum, hanc doctrinam expressis verbis docet: *nihil actum erat, si corporea tantum morte defunctus fuisset Christus.* Nolumus, brevitatis studio, alias consequentias blasphemas, & Christo Salvatori injuriosas deducere, sufficit illam religionem manifestè falsam esse, quæ hæc & similia docet. *Catholicis tamen hoc solatio esse potest*: si cogitent Christum ipsum Salvatorem fuisse invisibili & incomprehensibili Judicio Dei damnatum ad inferos, secundùm judicium reformatoris: cur molestum adeò erit, á reformatis Catholicos idololatras nominari? *Non est servus major Domino*; & quàm parùm Christus fuit Samaritanus, Dæmoniacus, seductor, etiamsi ut talis à Judæis fuerit proclamatus; tam parùm, Catholici Christani sunt idololatræ, etiamsi adhuc 100. Cathechismi Heidelbergenses, eos ut tales deprædicarent.

4tum: Illa religio est falsa, quæ est reformata. Sed refor-

reformatorum religio eſt reformata. Ergo reformatorum religio eſt falſa. Minor eſt certa.

Jor probatur; Illa religio eſt falſa, quæ non eſt religio Chriſti. Sed religio reformata, non eſt religio Chriſti. Ergo reformata religio, eſt falſa religio. Major eſt certa. Minor probatur :

Jlla non eſt religio Chriſti, quæ aliquando poſt Chriſtum non fuit. Sed religio reformata aliquando poſt Chriſtum non fuit. Ergo non eſt religio Chriſti.

Major eſt certa ex promiſſo Chriſti : *Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Ergo vera Chriſti Eccleſia & Religio nunquam eſſe deſiit. Ergo Eccleſia & Religio quæ aliquando poſt Chriſtum non fuit, non eſt vera religio & Eccleſia.

Minor probatur evidenter ſic, Eccleſia reformata non fuit ante ſuos reformatores. Ergo non fuit ante Lutherum & Calvinum; vel quemcunque demùm Hereſiarcham, qui ſe audet jactare reformatorem, Ergo aliquando poſt Chriſtum non fuit, Ergo non eſt vera Eccleſia & religio, Si enim Eccleſia reformata fuit ante Lutherum & Calvinum, ſicut defacto eſt. Ergo Lutherus & Calvinus non fuerunt reformatores. Et, ſi vera Chriſti Eccleſia à tempore Chriſti, uſque ad tempora Lutheri & Calvini duravit, his reformatoribus non habuit opus.

5tum: Illa Eccleſia non poteſt cognoſci eſſe vera, quæ nullum ſignum habet veræ Eccleſiæ diſtinctivũ ab Eccleſia falſa. Sed reformata religio nullum habet ſignum diſtinctivum ab alia Eccleſia falſa. Ergo Eccleſia reformata non poteſt cognoſci eſſe vera Eccleſia.

Minor probatur. Ponamus Eccleſias, Reformatam ſeu Calvinianam & Lutheranam; Ex his duabus una neceſſariò eſt falſa (non tamen ſequitur alteram eſſe veram)

verum) quia differunt in articulis substantialibus: V. G. Lutherani credunt realem Christi præsentiam in Eucharistia, quam reformati negant; religio autem quæ errat in uno articulo fidei, est falsa religio; quia *qui in uno deliquit factus est omnium reus* Et Theologicè loquendo: idem est motivum credibilitatis authoritas Dei revelans, seu prima Veritas infallibilis in essendo & dicendo, per veram Ecclesiam promulgata; unde non est potior ratio, unum credere, quàm aliud, quod à vera Ecclesia proponitur ad credendum; vel omnia credenda, vel nihil &c. Quæro nunc, quæ nam ex duabus his Ecclesiis est vera? Respondebunt necessariò reformati, suam esse veram: benè habet; Sed quô signô ostendunt? Respondetur nullô. Si enim scripturam prætendunt, eandem adducunt Lutherani; si scripturæ interpretationem: cur non etiam pro se interpretari liceat Lutheranis? Si Spiritum Dei privatum, eodem sensu regi se afferunt Lutherani; & quid amplius ipsis restat pro ostendenda suà religione? *Nihil.* Universalis non est, utpotè in certos aliquos angulos compacta; non est Catholica, communis, Orthodoxa. Una non est, in varias sententias & sectas distracta: Sancta non est, quæ omnis Sanctitatis vestigia extinxit, omnemque vitæ licentiam induxit: Ex quo ultimo formatur Argumentum.

6tum: Illa religio est falsa, cujus doctrina omnem vitæ licentiam inducit. Sed reformata religio omnem vitæ licentiam inducit. Ergo reformata religio est falsa.

Major evidens est. Minor probatur: Illa religio omnem vitæ licentiam inducit, in qua nec timor pœnæ potest absterrere à malo,, nec spes præmii allicere ad operandum benè. Sed in religione reformata nec timor

mor pœnæ poteſt abſterrere à malo, nec ſpes præmii allicere ad operandum benè. Ergo reformata religio omnem vitæ licentiam inducit.

Major eſt certa ex eo capite, quòd pauciſſimi hominũ ſolâ mali turpitudine abſterreantur, aut ſolâ boni honeſtate alliciantur ad operandum: imò plerique vix poſitis legibus, & ſtatutis pœnis continentur. Ergò ubi nullus eſt timor pœnæ, & nulla ſpes præmii: certum eſt, omnem vitæ licentiam induci. *Minor probatur*: Quòd ſcilicet in religione reformata ex actionibus malis non ſit timor pœnæ: nec ex actionibus bonis ſpes præmii: Ubi benè operantes æquè puniuntur, quam operarii iniquitatis, & hi æquè præmiantur ac bené operantes, ibi nullus poteſt eſſe timor pœnæ, qui abſterreat à malo, & nulla ſpes præmii quæ alliciat ad bonum. Atqui in religione reformata æquè puniuntur benè operantes, quam operarii iniquitatis; & hi æquè præmiantur quàm benè operantes. Ergo in religione reformata non eſt timor pœnæ qui poſſit abſterrere à malo, aut ſpes præmii quæ poſſit allicere ad bonum.

Major iterum certa eſt; *Minor probatur ſic*:

In illa religione æquè puniuntur benè operantes, & æquè præmiantur operarii iniquitatis, in qua Deus ſine ullo reſpectu operum, & independenter ab actionibus bonis vel malis, homines vel prædeſtinat ad cæleſtem gloriam, vel reprobat ad æternam pœnam. Sed in religione reformata Deus ſine omni reſpectu operum, prædeſtinat homines ad gloriam, vel reprobat ad æternam pœnam. Ergo in religione reformata æquè præmiantur operarii iniquitatis, & puniuntur bene operantes.

Major eſt certa; Minor eſt reformatorum doctrina; Concluſio eſt legitima, in optima forma Syllogiſtica.

Ergo

Ergo reformata religio omnem vitæ licentiam inducit. Ergo est falsa religio.

Et ex hac doctrinâ necessariò erumpunt funesta moribus Christianis, Calvini cornua hæc: * Quidquid egero, sive bonum sive malum, salvabor, vel damnabor, proùt sum prædestinatus. Si prædestinatus sum ad salutem, salvabor etiamsi vivam sicut homines ante diluvium, tanquam sodomitæ: Etiamsi cum impiis Prophetis sacrificem Beel, & adorem deos gentium; Non nocebit mihi homicidium & adulterium Davidis, non negatio Petri, non proditio Judæ & si his pejora perpetrem, salvabor, si sim prædestinatus. Si reprobatus sum non proderit innocentia Abelis, non justitia Nòé non fides Abrahæ, non pœnitentia Davîd, nec OO. SS. Sanctitas.

Quid hìc aliud concludi potest, quàm hæc fatalis Christianis moribus sententia: Vivam igitur sicut mihi libet quia peccando nihil amittere bené operando nihil lucrari possum. Hanc objectionem sibimet ipsi Calvinus ponit in Institutionibus cap. 14. num. 22. in hæc verba formalia, ut sequuntur. Quæ ideò cito, ut æquus lector abjectâ omni quacumque indignatione, tanquam veritatis amans, cognoscat quàm Sancta sit reformatorũ religio talibus fundamentis reformatorũ innixa. Sic igitur, loc. cit. paulo Calvinus ait: *Hoc quoque ad evertendam prædestinationem exagitant, quòd ipsâ stante concidat omnis solicitudo & benè agendi studium. Quis enim audiat, inquiunt, æterno & immutabili Dei decreto sibi fixam esse aut vitam, aut mortem, quin protinùs in mentem veniat, nihil interesse, quomodo se gerat? quando suô opere nihil aut impediri, aut promoveri queat DEI prædestinatio; ita omnes projicient se, & deploratum in morem,*

* *Dilemma Calvini de prædest.*

quocunque libido tulerit, præcipites ibunt. Et ſane non in univerſum mentiuntur. Sunt enim plerique porci, qui prædeſtinationis doctrinam impuris iſtis blaſphemiis conſpurcant, atque hôc etiam obtentu admonitiones & objurgationes quaslibet eludunt; ſcit Deus, quid de nobis agere ſemel ſtatuerit; ſi ſalutem decreverit, adducet nos ad eam ſuo tempore; ſi mortem deſtinavit, fruſtra contra tenderemus. At ſcriptura, dum præcipit, quanto majori & reverentiâ & religione ſit de tanto myſterio cogitandum; tum pios in ſenſum longè diverſum inſtituit, tum ſceleſtam illorum intemperiem probè redarguit. Non enim prædeſtinationem eo commemorat, ut in audaciam erigamur, & inacceſſa Dei ſecreta nefariâ temeritate tentemus; Sed potiús ut humiliati ac dejecti judicium ejus tremere, miſericordiam ſuſpicere diſcamus. Ad hunc ſcopum fideles collimabunt. Ille autem fœdus porcorum grunnitus à Paulo ritè compeſcitur, Securos ſe in vitiis pergere dicunt, quia ſi ſint è numero electorum, nihil obfutura ſunt vitia, quominus tandem ad vitam perducantur. Atque in hunc finē electos eſſe, nos Paulus admonet, ut Sanctam & inculpatam vitam traducamus; ſi electionis ſcopus eſt vitæ ſanctimonia, magis ad eam alacriter meditandam expergefacere, & ſtimulare nos debet, quàm ad deſidiæ prætextum valere. Quantopere enim hæc inter ſe diſſident? a bene agendo ceſſare, quia electio ad ſalutem ſufficiat, & electioni propoſitum eſſe finem, ut in bonorum ſtudium incumbamus? faceſſant ergò ejuſmodi ſacrilegia, quæ totum electionis ordinem perperam invertunt. Quod autem ſuas blaſphemias longius extendunt, dum eum, qui ſit à Deo reprobatus, perditurum operam dicunt, ſi innocentiâ & probitate vitæ ſe illi approbare ſtudeat; in eo verò impudentiſſimi mendacii convincuntur. Vnde enim tale ſtudium oriri poſſit, niſi ex electione? nam quicunque ſunt ex reproborum numero, ut ſunt vaſa in contumeliam formata, ita non deſinunt perpetuis flagitiis

gitiis

gitiis irã Dei in se provocare, & evidentibus signis confirmare, quod jam in se latum est, Dei judicium. Tantum abest ut cum ipso frustra contendant. Hæc est solutio quã Calvinus primariæ huic objectioni opponit. Sic stultus factus est, fortè cum Luthero impio dicet: Sic volo, sic jubeo, stet pro ratione voluntas. Nescimus, ubi sit responsio ad tam grandẽ eamq; per necessariã quæstionem, ad salutem humanã, quam tamen in toto hoc discursu non reperimus. Quæstionẽ pro solutione ponit! parturiunt montes, nascetur ridiculus mus. Obiicit sibi prægnans argumentum Calvinus stultus seu insanus suprapositum, sed non solvit; imò fatetur eos, *qui sic ratiocinantur in universum non mentiri.* Et quod amplius est, in suo discursu eo devolvitur, ut statuat, eos qui electi non sunt, bene operari non posse. Citemus denuó jam dicta ejusdem verba quinti Evangelistæ, aut octavi sapientum: *Vnde enim tale studium oriri possit nisi ex electione? nam quicunque sunt ex reproborum numero, ut sunt vasa in contumeliam formata, ita non desinunt perpetuis flagitiis iram Dei in se provocare, & evidentibus signis confirmare, quod jam in se latum est Dei judicium.* Et cum electionis finis sit, ut in bonorum studium operum incumbamus; è contrariò inferri potest, quòd electi malè agere non possint, cum tamen contrarium pateat in Divide, qui à Deo electus erat, & tamen graviter peccavit. Vides nunc, quam ineptè Calvinus propositam objectionem solvat. Ad occulta quoque Dei judicia recurrit Calvinus, te sed stulté. Sic ait ut supra: *ne illa excutere nefaria temeritate tentemus, sed humiliati ac dejecti judicium ejus timere, misericordiam suspicere discamus.* Quæso qualis iterum hæc est consequentia? occulta sunt DEI judicia, quæ humiliati ac dejecti tremere debemus, & misericordiam suspicere; Ergo ex doctrina prædestina-

 tionis

tionis non ſequitur fatalis moribus Chriſtianis conſequentia illa cornuta: *ſive bene egero, ſive malè; cum judicium in me jam latum ſit, nihil impedire poſſum vel promovere; vivam igitur ſicut mihi libet.* Numquid talis in univerſum non mentitur? concluditur igitur evidenter, eam religionem, quæ hanc ſententiam ſequitur, omnem vitæ licentiam inducere, quod nobis erat probandum. Sed religio reformata hanc ſententiam ſequitur, uti clarè ad ipſum hominem Calvinum, ipſiuſmet verbis & ſenſu eorum evidenter argumentati ſumus. Ergo religio Calviniana omnem vitæ licentiam inducit. Ergo religio Calviniana eſt omninò religio falſa. Non tamen idololatricam auſim dicere, quamvis ipſiſſima ſint idola Calvinus & Lutherus in religione reformata; Numquid iterum durus eſt ſermo iſte? imò, ſed necdum tam durus, quàm ille, quo ſuprema Imperii, & tot Regnorum Capita, ipſum Potentiſſimum Cæſarem, Dominum Clementiſſimum, Regem Galliæ Catholiciſſimum, Regem Hiſpaniæ, Regem Poloniæ, Regem Hungariæ, Regem Luſitaniæ, &c. totque Principes, tot Capita Catholica millena millia doctiſſima, quotidianæ idololatriæ reos agitis vos nequam reformati; quis vos conſtituit judices? ſi judicare præſumitis; judicate ſecundum allegata & probata; allegaſtis plurima, probaſtis nihil, & tamen ſententiam fertis: Catholici ſunt Idolatræ, ſacrificium Miſſæ eſt Idololatria. Quæſo in quo dicaſterio fuiſtis practicantes? ubi didiciſtis hunc ſtylum curiæ? numquid in lectionibus publicis calumniatorum? & tamen in his lectionibus famoſis explicandis, vultis haberi veſtræ reformatæ Eccleſiæ Doctores? O ſtulti & tardi corde ad credendū! Nonne ideò erratis neſcientes Scripturas neque virtutem Dei? O inſenſati Galatæ, quis faſcinavit vos, veritati

ritati contradicere? scrutamini meliùs Scripturas. Intelligite, & estote non in vobismetipsis sapientes, & erudimini. *Dic Ecclesiæ; si Ecclesiam non audieris*, veram, Catholicam, *eris velut Ethnicus & publicanus* ; *anathema, & maram & Thama*. Deus misereatur vestri, illuminet vultum suum super vos.

7mum: *& Vltimum Argumentum, in quo ostenditur, reformatam religionem esse prorsus nullam*: Illa religio est prorsùs nulla, quæ nullum habet Deum. Sed reformata religio nullum habet Deum. Ergo reformata religio est prorsùs nulla.

Major est certa. Minor probatur: Illa religio nullum habet Deum, quæ habet Deum imperfectum. Sed reformatorum religio habet Deum imperfectum. Ergò reformatorum religio nullum habet Deum.

Major iterum certa est, quia Deus necessariò est ens perfectissimum. *Minor probatur*: Illa religio habet Deum imperfectum, quæ habet Deum injustum. Sed reformatorum religio habet Deum injustum. Ergo reformatorum religio habet Deum imperfectum.

Major est certa. Minor probatur: Illa religio habet Deum injustum, quæ habet Deum damnantem innocentes. Sed religio reformatorum habet Deum damnantem innocentes. Ergô reformatorum religio habet Deum injustum.

Major est certa. Minor probatur: Illa religio habet Deum damnantem innocentes, quæ habet Deum homines damnantem independenter ab omni peccato & demerito; Sed reformatorum religio habet Deum damnantem independenter ab omni peccato & demerito. Ergò reformatorum religio habet Deum damnantem innocentes.

Ma-

Major eſt certa. *Minor probatur*: Secundùm reformatorum doctrinam, Deus ab æterno quos voluit elegit, quos noluit reprobavit independenter ab omni peccato. Ergo etiam independenter à peccato primorum Parentum Ergo ſecundùm doctrinam reformatorum Deus damnavit hominem ab æterno, independenter ab omni peccato & demerito qualicunque. Ergo habet Deum injuſtum, ergo imperfectum.

Ergo religio reformata nullum habet Deum.

Ergò religio reformata eſt prorsùs nulla.

Accedit; quòd actio Adami ſecundùm Calvini doctrinam peccatum non fuerit; nam qui facit voluntatem Dei peccatum non facit: Sed Adam ex mente Calvini, fecit voluntatem Dei, veſcendo de ligno ſcientiæ; namque non ſolùm voluntatem hic vult Calvinus negativam ſeu permiſſivam, (uti loquuntur Catholici in ſimilibus, ubi permiſſivè ſe tantùm volunt habere Deum in peccatis hominum, reprobando eorum peccata) ſed etiam voluntatem ad peccandum poſitivam, quia ajunt, determinare Deum homines, imò prædeterminare ad actum malum; & ſic ex ſententia impii Calvini expreſſa clariſſimis verbis in ipſius ſcriptis, Deus eſt author peccati. Ergò quia ex mente Calvini, eſum pomi, Deus ſuô decretô conſtituerat & abſoluta Dei voluntas erat, ut Adam veſceretur de ligno ſcientiæ, nec poterat abſtinere aliàs contra æternam Dei Ordinationem feciſſet; Itaque Adam guſtando pomum, & comedendo implevit abſolutam Dei voluntatem; Igitur non peccavit. Quod autem Deus ſic voluerit, collige ex Calvini verbis in comment. in cap. 3 Geneſ No. 7. *Flexibilem*, inquit, *Deus hominem creavit: tentari non modo paſſus eſt, ſed voluit. Nam & ſerpentis linguam diabolo præter ordinarium naturæ*

turæ usum commodavit; quemadmodum, si quis alteri gladium & arma suppeditet: cum infelix illi eventus esset præcognitus, remedium quale potuit non adhibuit. Indigebimusné adhuc ulterioribus testimoniis?

Sed Dices: imposturam magnam Calvinistis à me obijci, quasi vero ipsi Deum velint esse authorem peccati, Resp. videte boni viri cordati, quomodo Coriphæum vestrum, tertium Eliam, vocetis Calvinum? Ergò puto vos non discedere discipulos à sui Magistri reformatoris doctrinâ. Scrutamini ejus Scripturas, & clarè invenietis, oraque vestra obtrudetis lapide offensionis, qui Orthodoxos falsò & impiè Idololatras calumniari non veremini. Audiamus hystoriam fidelissimam, quam ex Theologia Scholastica Martini Becani Soc. Jesu, par. 1. trac. 1. de attributis Divinis, cap. 16. qv. 1. de verbo ad verbum cito: Dicam, (inquit iste author de se ipso) quid nuper contigerit Autumnô superiore: Noster Nicolaus Serarius & ego, eramus apud acidulas Schvalbacenses; ibi commodè incidimus in Davidem Pareum Calvinistam & Professorem Heidelbergensem; salutavimus hominem per humaniter, & ille vicissim nos. In progressu amicè ac modestè mihi objecit, quòd in quadàm disputatione, quæ typis edita est, scripsissem: *Deum Calvinistarum esse authorem peccati.* Respondi me solidè id probasse ex verbis & sententiis Calvini. Tum ille; Esto sane (*inquit*,) sit ista Calvini sententia, at non Calvinistarum. Hic subridens *Serarius* ita subjecit: Domine Paree, hæc lis facile inter vos, ut video, componetur; sola particula *starum* expungatur, & res erit salva. Placuit hoc Pareo; colloquium solutum. Vix Moguntiam reversi eramus, & ecce Pareus ad me Epistolam dat, in qua inter alia, monet nos nostri Officii hoc carmine:

Vos quoque promissi memores, delete liturâ
Ingenuâ Starum, *impegistis quod malè nostris.*

Non ergo Pareus hoc carmine negat Deum esse Authorem peccati ex sententia sui præceptoris Calvini, tametsi eum in hac re sequi nolit. Sed velit nolit, debet, cum sit ipsius verus discipulus; At Calvinus & Lutherus, sunt ipsi discipuli diaboli, à quo edocti sunt, prout ipse rotundè de se testatur, Lutherus de Missa abroganda. Itaque religio quæ asserit Deum esse authorem peccati tollit ipsum Deum, qui ab intrinsecò impeccabilis est, cùm sit perse essentialiter, & ex sua natura, necessariò infinita Bonitas. Ergo à primo ad ultimum, reformatorum religio est falsa, imo nulla.

Obij: & Resp Verum, quo devenimus in perscrutanda religione reformatâ, tandem res nostra ad nihilum recidit. Si reformata religio nulla sit; ad quid igitur argumenta supra posita? Nam, contra non ens non datur actio. Et hoc utique durum est, & nimis durum, Religioni eripere Deum, & religionem in nihilum redigere; an autem plus sit, quàm Catholicis, omni vi obtrudere idolum, hic non disputo. Defendant ipsi verum Deum, & ejus justitiam propugnent in damnatione hominis innocentis; sicut Catholici defendunt, & propugnant veram Christi veri Dei præsentiam in Eucharistia: tunc ostendent, malè seà Catholicis impugnari. Sed timendum, ne Deum secundùm principia Calvini defendendo, ipsum Deum etiam constituant peccatorem, & sic Deum propugnando, Deum prorsùs annihilabunt. Illud denique omnibus lecturis & audituris, notum esse volumus, omnia hactenus dicta & scripta, ad nullum alium finem dicta & scripta esse, quàm pro bono veræ Religionis, ut veritas eruatur. Nam quantum boni præstarent

ſtarent Reformati, ſi clarè oſtenderent in adoratione Euchariſtiæ committi idololatriam, & ſic à cultu idololatrico plurimos revocarent: Imò ſi verum Deum colunt & amant, tenentur hoc facere in conſcientia. Cum autem id hactenus non potuerint facere: nec facient unquam; conſulant honori & gloriæ Dei, ſaluti propriæ, & deſiſtant populum rudem, ſimplicem ac ſtultum falſis ejuſmodi perſvaſionibus à vera Catholica Religione avertere.

His expeditis, ut quivis cordatus vir, eò magis falſiſſima Calvini impii dogmata intelligat, ecce ad qualem inſaniam ipſius doctrina tendat, videbit clarè, ſepoſitô omni pertinaciæ peplô, & illuminante, quam ſupplex quivis in tenebris cæcutiens orare debet, Spiritûs Sancti gratiâ, ex ejuſdem falſis principiis tales, ut ſeqvũtur, impudentiſſimæ concluſiones formantur in bona forma Syllogiſticâ, prout ſupra citatus eruditiſſimus Theologus Martinus Becanus Soc. Jeſ. in ſuis opuſculis Controverſiarum cum Calviniſtis tom. 1. de auth. pecc. cap. 14. & ſequentibus, dilucidè probat. Sit ergo.

§. I.
DEUS, ex Calvini ſententia, alius eſt apud Calvinos, & alius apud Catholicos veros.

CAſtalio ſcripſit librum de prædeſtinatione ad Calvinum, in quo probat, alium eſſe Calviniſtarum, alium Catholicorum Deum. Et ſanè id optimè colligi poteſt ex doctrina Calvini hactenus tradita in hunc modum; *Deus Calviniſtarum eſt auctor peccati; Deus Catholi-*

Deus ex Calvini sententia, alius apud [Ca]*tholicorum non est auctor peccati. Ergò non est idem utrorumque Deus.*

2. Hæc ratio generalis est. Speciatim potest deduci hoc modo; Deus Calvinistarum ab æterno statuit duo decreta, quæ Calvino teste sunt horribilia. Alterum, quo decrevit majorem hominum partem, sine ulla ipsorum culpa, in perpetuum damnare, & æternis suppliciis devovere. Alterum, quo prædestinavit eos ad peccatum, ut haberet occasionem illos damnandi, & severè puniendi. In priore crudelis est, qui tot millia innocentum ex mera puniendi libidine, ad æternas pœnas destinarit in posteriori injustus, qui nulla necessitate, solo suo arbitrio decreverit, ut homines injustè agant, & ex bonis injusti efficiantur. Hæc decreta exequitur ad hunc modum. *Primò*, eos, quos ab æterno morti ac suppliciis destinavit, tum per se, tum per Sathanam impellit, incitat, & commovet ad omnia flagitiorum genera perpetranda. *Secundô*, Eosdem excæcat, & obdurat in peccatis. *Tertiò*. Omnia salutis præsidia ipsis negat. *Quartò*. Destitutis omni auxilio miserrimè illudit, simulans se velle bene illis facere, & nihil minus in animo sentiens; exterius offerens suam operam, & interius meditans ruinam ipsorum ac perniciem; Et ut verbis Calvini utar, *vocem ad eos dirigit, sed ut magis obsurdescant: lumen accendit, sed ut reddantur cæciores; doctrinam profert, sed quâ magis obstupescant, remedium adhibet, sed ne sanentur.* *

3. At, Deus Catholicorum fixit duo alia decreta, longè ab his diversa. Unum quo statuit omnes homines ad vitam æternam creare, & reipsa perducere, si ipsi suo vitio non impedirent. Alterum, quo, præviso primi Parentis & omnium posterorum lapsu, voluit

* *Calvinus l. 3. c. 24. §. 13.*

voluit omnibus, quantum in se est, succurrere. Hoc autem exequitur in hunc modum. *Primò*, mittit Filium suum unigenitum, qui pro omnibus mortem oppetat; omnes è potestate mortis ac diaboli eripiat; omnibus januam regni cœlestis aperiat. *Secundò*, proponit omnibus vitam æternam, tanquam præmium & bravium per Christi merita & nostram cooperationem obtinendum. *Tertiò*, offert auxilia gratiæ, quibus hoc præmium assequamur. *Quartò*, Paternè hortatur, ut oblatam gratiam acceptemus & strenuè cooperemur. *Quintò*, severè prohibet, ne in hoc negotio, aut negligentes ac tepidi simus, aut ad alia vitia & peccata dilabamur. *Sextò*, relinquit nihilominus cuique suam libertatem, ut si velit bene agere, vitam æternam assequatur; sin malè, in æternum crucietur. Hæc omnia in Sacris Literis expressa sunt. Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* An pro paucis tantùm? Audi porro. 2. Corinth. 5. *Pro omnibus mortuus est Christus.* 1. Timoth. 2. *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* 1. Joan. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.* Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Joan. 7. *Siquis sitit, veniat ad me, & bibat.* Hæc testimonia generalia sunt, nec ad certum genus hominum restricta. *Non, n. distinctio Judæi & Græci: Nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum.* Omitto alia, quæ passim obvia sunt.

4. Atquè hinc patet, aliam esse mentem Deo Catholicorum, quem sacræ literæ agnoscunt; aliam Deo Calvinistarum, qui in institutionibus Calvini depingitur. Hic natura crudelis est, ad puniendum & vindicandum propensissimus; ad miserandum parcus. Ille contra,

 Miserá-

Miserator & misericors Dominus; longanimus & multùm misericors qui non vult aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti; cui laus, honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Hactenus usus sum argumento sumpto ex præsenti materia, de qua agimus. Aliundè sumi possunt hæc duo. *Primum*. Deus Calvinistarum non est Omnipotens: Deus Catholicorum est Omnipotens. Ergò non est idem utrorumque Deus. Major probatur *Primò*, quia Deus Calvinisticus non potest efficere, ut Corpus Christi simul existat in diversis locis, nempe in cœlo & in altari. Hoc fatentur omnes Calvinistæ: & in hac die, sui impotentia & imbecillitate fundant præcipuum suum dogma, de Sacramento Eucharistiæ, in quo negant realem Corporis Christi præsentiam. *Secundò*, non potest efficere, ut Christus per fores clausas ad discipulos ingrediatur. Hoc apertè docet Calvinus; & ante Calvinum, nullus; post illum, plurimi. *Tertiò*, non potest efficere, ut camelus, vel funis nauticus per foramen acûs transeat: Quod post Calvinū & Bezam professi sunt duo Ministri Calviniani Spina & Suræus in colloquio Parisiis habito, ut lib. 1. Theomachiæ Calvinisticæ refert Franciscus Fevardentius, *Quartò*, illa propositio Gabrielis Angeli. *Non est impossibile apud Deum omne verbum*, de Deo Calvinistico affirmari non potest. Id fatetur Beza lib 2. contra Heschusium, asserens eam propositionem, nec credendam esse, nec universaliter recipiendam. *Quintò*, tàm angusta & limitata est potentia Dei Calvinistici, ut id solum possit facere, quod reipsa vult facere & facit; neque id possit facere, quod non decrevit facere. Hoc docet Calvinus in Catechismo brevi, ubi explicat primum articulum Symboli; & in inst. c. 6. §.

27.

27. Et alibi ridet Catholicos, quòd tribuant Deo potentiam absolutam, quâ si vellet, posset multa alia facere, quæ non est facturus, nec decrevit facere. Verba Calvini sunt hæc lib. 3. institut. cap. 23. §. 2. *Neque commentum ingerimus absolutè, quod sicuti profanum est, ita meritò detestabile nobis esse debet.* Jam minor propositio, quòd scilicet DEUS Catholicorum sit Omnipotens, apertè traditur in scripturis. Genes. 17. *Ego DEVS Omnipotens.* Psal. 144. *Magnitudinis ejus non est finis.* Matth. 19. *Apud DEVM omnia possibilia sunt.* Et in Symbolo. *Credo in DEVM Patrem Omnipotentem.* Et probatur contrariis argumentis. *Primò*, quia potest efficere, ut Corpus Christi simul existat in cœlo & in altari. Hoc fatentur omnes Catholici & antiqui Patres, nixi clarissimis Christi verbis, *Hoc est Corpus meum.* *Secundò*, potest efficere, & reipsa effecit, ut Christus januis clausis ad discipulos penetraret; quod Joannes vidit, & testatus est his verbis. * *Cum fores essent clausæ ubi erant Discipuli congregati propter metum Judæorum, venit JESVS & stetit in medio.* Et iterum. *Post dies octo iterum erant Discipuli ejus intus, & Thomas cum eis. Venit JESVS januis clausis & stetit in medio.* Verba clara sunt. Et quæ hîc difficultas? *Tertiò* potest efficere, ut camelus, vel funis nauticus transeat per foramen acûs; quod disertè asserit D. Augustinus lib. de Spiritu & litera cap. 1. Nec ab ullo Catholico negári potest, qui credit totum Christi Corpus cum sua quantitate contineri in qualibet particula consecratæ Hostiæ; posseque dari particulam tàm exiguam, quæ nullo negotio per foramen acûs traiiciatur. *Quartò*, illa propositio Gabrielis, *Non est impossibile apud DEVM omne verbum.* Verissima est DEO Catholicorum; nisi

* *Joann.* 22.

nisi dicamus Angelum mentitum esse, & suam legationem, quam DEI Nomine ac jussu obibat, inani mendacio obscurasse. Quod etsi credant Calvinistæ, nos minimè credimus. *Quintò*, DEUS Catholicorum non habet terminum suæ potentiæ, ut non possit facere, quod non decrevit facere. Multa potest facere, quæ nec facit, nec facturus est, ut pulchrè disputat D. Augustinus in libro de Spiritu & litera cap. 1. Et ex scripturis manifestum est. Matth. 3. *Potens est DEVS de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* In quem locum Chrysostomus, Ambrosius, & Hieronymus, dicunt, posse DEUM ex veris lapidibus formare veros homines; quod tamen nunquàm fecit, nec facturus est, opinor. Certè apud Catholicos, tales homines non apparent. An apud Calvinistas reperiantur, nondum audire potui. Item, Matth. 26. *Possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum.* Quô etiam exemplô utitur ad eandem rem probandam D. Augustinus loco citato. Idem, Marci. 14. *Pater omnia tibi possibilia sunt, transfer hunc calicem à me: sed non quod ego volo, sed quod tu.* Potuit DEUS transferre calicem, & tamen non transtulit: Nec Christus dubitat de potestate Patris, sed de voluntate inquirit. Potest ergo multa facere DEUS, quæ non vult facere. Concludo igitur, DEUM Catholicorum Omnipotentem esse, ac proinde diversum à Deo Calvinistarum, qui omnipotens non est.

6. *Alterum argumentum.* Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, & alii, quorum mentio fit in Martyrologiis & Litaniis Catholicorum; sunt veri amici DEI Catholicorum, & in ejus aula versantur: At non sunt veri amici DEI Calvinistici, nec in ejus aula versantur: Ergo alius est Calvinistarum, alius Catholicorum Deus,

us. Major eſt in confeſſo apud Catholicos; quorum ſenſus & vox eſt; *Nimis honorati ſunt amici tui Deus.* Minor probatur, quia ſi Calvinus & Calviniſtæ putarent, eſſe veros DEI amicos; procul dubio, rectè de ipſis ſentirent & loquerentur; neque tot convitiorum plauſtris eos onerarent. At contrà faciunt. Nam Calvinus vocat eos larvas, umbras, beſtias, carnifices Alii alia nomina & epitheta commenti ſunt. Nec lubet, nec vacat omnia huc tranſſcribere. Pauca è multis ſufficiant. Calvinus lib. 3. inſtit. cap. 20. §. 24. ſic habet; *Nugantur quidem in ſuis umbris, neſcio quid de fulgore Divini vultûs ipſos irradiante, in quo, ceu in ſpeculo res hominum ex alto deſpiciant.* Hìc planè loquitur de Sanctis omnibus, quos Eccleſia Catholica docet divino frui aſpectu, & in Deo tanquam in ſpeculo videre, quæ apud nos aguntur. Omnes hi, Calvino umbræ ſunt. Et §. 27. *Inde colligimus, nihil eos Chriſto reliquum facere, qui pro nihilo ducunt ejus interceſſionem, niſi accedant Gregorius & Hippolytus aut ſimiles larvæ.* Ecce; hic omnes larvas vocat, quos antè umbras appellarât. Et in libro de ratione reformandæ Eccleſiæ: *Omitto Dominicum, & ſimiles carnifices. Omitto Medardum, Lubinum & ſimiles ejus beſtias.* Et ego omitto reliqua Calvini teſtimonia. Hoc concludo, alium Calviniſticum, alium noſtrum eſſe Deum: Et qui unius amici ſunt, alteri eſſe larvas, umbras, beſtias, carnifices.

§. II.

DEUS, ex Calvini doctrina, & consequenter Calvinistarum, diabolus est.

JAm pridem multi objecerunt Calvino, quòd ipse Deum in Diabolum transformarit; ut ex Lutheranis Tilmannus Heshusius in lib. de erroribus Calvini; ex Catholicis, Ioannes Maldonatus in cap. 4. Matthæi; ex Calvini discipulis, Sebastianus *Castalio* in libro de prædestinatione ad Calvinum. Nam id optimè videtur colligi ex fundamentis Calvini, quod confirmo tribus argumentis. *Primum est.* Is censendus est verè diabolus, cui competit proprium officium diaboli, sed Deo Calvinistico competit proprium officium diaboli; ergo Deus Calvinisticus est verè diabolus. Minor probatur. Proprium officium diaboli est, tentare, seu incitare homines ad peccatum: Unde & tentator appellatur. Matth. 4. *Accedens tentator dixit ei.* Act. 5. *Cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto?* 1. Corinth 7. *Iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas.* 1. Thessal. 3. *Ne fortè tentaverit vos is, qui tentat, & inanis fiat labor vester.* Hoc autem officium verè competit Deo Calvinistico. Nam ipse est, qui propriè tentat homines; quique interno instinctu & operatione incitat & impellit ad omnia flagitiorum genera perpetranda; quod fatetur Calvinus locis supra citatis, præsertim cap. 9. & 10. Ergo ipse ex sententia Calvini est verè diabolus.

2. Alterum argumentum sumitur ex illo Matth. 13. *Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo?*

Vnde

Vnde ergo habet zizania? Et ait illis, Inimicus homo hoc fecit. Et infra. *Ager est mundus. Bonum semen, sunt filii regni. Zizania autem, filii sunt nequam. Inimicus autem, qui seminavit ea, est diabolus.* Ex hoc loco sic argumentor. Ille, qui seminavit zizania in agro, non est alius, quam diabolus, ut Christus interpretatur: At Deus Calvinistarum seminavit zizania: Ergo Deus Calvinistarum est diabolus. Minor probatur, quia seminare zizania in agro, nihil aliud est, (Christo interprete,) quàm homines impios seu reprobos miscere cum justis & prædestinatis in hoc mundo. Hoc autem facit Deus Calvinistarum, & quidem duplici ratione. *Primò*, quia æternô suô decretô efficaciter voluit & ordinavit, ut inter paucos prædestinatos permixti essent multi reprobi, & unà cum illis in hoc mundo crescerent usque ad consummationem sæculi. *Secundò*, quia hoc peccatum ipse exequitur. Nam incitando, impellendo & operando, facit homines peccatores, excæcatos, reprobatos, vertiginosos, ut jam antè ex Calvino probatum est. Ergo Deus Calvinistarum est ille ipse, qui seminavit zizania, & quem Christus diabolum interpretatur.

3. *Tertium* sumitur ex illo Ioan. 8. *Vos ex Patre diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio; & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo. Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, & Pater ejus.* Hinc ita argumentor. Nullus alius, nisi diabolus, est pater & primus auctor mendacii & homicidii: sed Deus Calvinistarum est pater & primus auctor mendacii & homicidii: Ergo Deus Calvinistarum non est alius, nisi diabolus. Major patet ex testimonio jam allato. Minor probatur, quia quicumque mentitur, ideo mentitur; quia

Deus inſpirat illi mendacium, & ab ipſo Deo manat efficacia mendacii & erroris, ut diſertis verbis affirmat Calvinus. * Ergo Deus eſt primus auctor & quaſi Pater mendacii: Ergo Deus eſt diabolus. Similiter, quicunquè vult homicidium committere, ideò vult committere, qvia Deus ſuâ prædeſtinatione & interno impulſu, vult illum committere: Ergo Deus eſt primus auctor homicidii: Ergo eſt verè diabolus. Hæc ratio confirmari poteſt ex ijſdem verbis jam citatis. Quæro enim ex Calvino, quæ ſint deſideria diaboli, quæ Judæi volebant facere? Certè non aliâ, quàm Chriſtum interficere. At teſte Calvino, Deus in æterno ſuo conſilio, non ſolùm deſideravit, ſed etiam decrevit interfectionem Chriſti ante prævisâm omnem cooperationem voluntatis creatæ. Ergo teſte Calvino, hoc deſiderium, quod Chriſtus dicit eſſe ſolius diaboli, verè & primariò, eſt ſolius Dei deſiderium: Ergò diabolus, & Deus Calviniſticus idem ſunt. Ergò Judæi volentes Chriſtum interficere, erant veri filii Calviniſtici; Ergò iidem Judæi ſunt veri fratres Calviniſtarum; ſi non uterini, ſaltem naturales. Ergò eadem hæreditas diſtribuenda illis eſt.

4. Nemo mirari debet, vel Calvinum ita ſenſiſſe de Deo, vel me ita argumentari contra Calvinum. Quid mirùm, illum ita ſenſiſſe, cùm antiqui hæretici, à quibus Calvinus hanc hæreſim edoctus eſt, per illum Deum, quem peccati auctorem faciebant, non alium, quàm diabolum intellexerint? præſertim Manichæi, Cerdoniſtæ, & Marcioniſtæ, ut infra dicam. Et quid mirum, me ita argumentari contra Calvinum, cùm ipſemet Calvinus fateatur, ex eo, quod Deus dicatur eſſe auctor peccati, rectè inferri, Deum eſſe Diabolum?

* *Sub cap.* 9. §. 1. *&c.* 10. §. 1.

lum? Hoc enim ipſe contra Libertinos infert his verbis. *Tales ſunt Libertini; qui non tantùm Diabolum cum Deo ſocietate conjungunt, ſed etiam in Deum ipſum transformant.* * Hinc argumentando, ut ajunt Dialectici, ad hominem: in forma Syllogiſtica bona, tali concludo argumentô in 1ma figura, in Darii:

Qui dicit Deum eſſe authorem peccati, transformat Deum in diabolum.

Atqui Calvinus dicit Deum eſſe authorem peccati: Ergo Calvinus transformat Deum in diabolum.

Quid hìc faciat Calvinus? Major propoſitio eſt ipſius in Inſtruct. contra Libertinos cap. 14. uti ſupra immediatè relatum eſt. Minor pariter eſt ejuſdem, prout toties declaravimus, lib. 1. Inſtitutionum cap. 18. §. 3. ſic expreſsè loquitur: *Iam ſatis apertè oſtendo, Deum vocari eorum omnium authorem, quæ iſti Cenſores (* Catholicos dicit *) volunt otiosô tantùm ejus permiſſu contingere.* Nimirum ridet inſaniſſimus Calvinus, Orthodoxos Catholicos; qui *permiſſivè*, non verò *poſitivè*, volunt à Deo velle peccata. At impius Calvinus loc. cit. loquens de peccatis, de quibus cæperat ibidem diſputare, nominatim de cæcitate & tyrannide Achabi; de inceſtu Abſalonis; de convitio Semei in David Regem; de apoſtaſia decem Tribuum; de cædibus, rapinis, & incendiis Chaldæorum in Judæa; de rabie furentium Judæorum in Chriſtum; de iniquiſſimo Pilati judicio, & de aliis ſimilibus; quæ omnia ore impudentiſſimo & planè blaſphemô, in Deum, ſummum & infinitè per ſe bonum, tanquam totalem & principalem cauſam omnium ſcelerum, evomere non eſt veritus. Eodem ſenſu dixerat loc. prox. cit. §. 1. *Abſalon inceſto coitu patris thorum*

* *In inſtr. contra Libertinos c. 14.*

polluens, deteſtabile ſcelus perpetrat; Deus tamen hoc opus ſuum eſſe pronuntiat. En pietas Calvini in Deum O. M. cui, cum S. Proſpero in reſponſione ad capitula Gallorum, cap. 14. replicandum eſſet: *Bonorum Deus author eſt, non malorum.* Et S. Fulgent. lib. 1. ad Monimum cap. 19. *Deus non eſt ultor, cujus eſt author.*

§. III.

De DEO, nullus unquàm tam impiè ſenſit, quàm Calvinus.

INter eos, qui male ſenſerunt de DEO; alii dixerunt otioſum eſſe, ut Epicurus: alii impotentem, ut Lucianus: alii actorem mali, ut Cerdoniſtæ, Marcioniſtæ, Manichæi; alii miſerum, & ſe affligentem, ut Thalmudiſtæ.

2. At omnium peſſimè Calvinus. Hoc ſigillatim oſtendo, conferendo illum cum ſingulis. Ac primo Epicurus, teſte Cicerone * fingebat Deum nihil agentem, nullis occupationibus implicatum. Rectiùs ſanè, quàm Calvinus, qui non otioſum, ſed injuſtè fingit negotioſum. Quid enim, auctore Calvino, agit? Prædeſtinat homines ad æternam mortem: incitat & impellit ad homicidia, furta, adulteria, perjuria, mendacia, ſacrilegia: hortatur & inſtigat omnes diabolos, ut ſe juvent in hoc opere: ipſe in omnibus clavum tenet., Quàm præſtaret in otio, quàm in tali negotio vitam agere.

3. * Lucianus, qui officio fabulator eſt, fingit Jovem ſuum impotentem, eo quòd Cupidinem ſupera-

* *Li. de natura Deorum.* * *Lucianus in dialogo.*

re

re non potuerit, sed ab eo victus sit. Calvinus autē, qui officio Theologus haberi vult & quidē Theologus Christianus; Luciano deteriore st. Obtrudit suis auditoribus, non pro fabula (quod esset tolerabile) sed pro articulo fidei, Deum non posse naturam superare; nec efficere, ut idem corpus existat simul in diversis licis.

4. Cerdon, Marcion, Manichæi, quanquam dicerent Deum esse auctorem peccati; non tamen bonum sed malum Deum intelligebant. * At Calvinus cum agnoscat duntaxat unum Deum (quanquam non recta fide) mirum est, quod illum, & bonum esse, & peccati auctorem esse, ausus sit affirmare.

5. Thalmudistæ, insigniter quidem delirarunt, quando commenti sunt, Deum dolere, & se affligere solitum, eò quòd Hierosolymæ Templum ac civitatem destruxisset, sed parum ad Calvini deliria. Illi enim asserebant, ideò eum dolere, quôd cum bonus esset, tanti mali fuisset auctor. At Calvini Deus, cum omnium scelerum ac flagitiorum, quæ in mundo fiunt, sit auctor & prædestinator; tantum abest, ut aliquo dolore ac commiseratione tangatur; ut potius sibi laudi ducat, quòd hoc modo suam potentiam & severitatem in vindicandis sceleribus possit manifestare ac mundo patefacere. A suo Coriphæo non longè distant, imò idem prorsus sentiunt, ac desipiunt Calvini discipuli, præcipuè Pareus Calvinista omnes articulos falsæ doctrinæ Calvini, tanquam fidus æmulator, impiè propugnare non veretur; prout in Libro, cui titulus: Aphorismi doctrinæ Calvinistarum approbatô à Leonardo Huttero Wittembergæ Professore hæretico, clarè stupidissima quæque, & non solùm Deo injuriosissima, sed & hominibus. Orthodoxis, tam Ecclesiasticis à primo Capite Ecclesiæ incipiendo, quàm

* *Vide supra cap.* 14. 5.

aliis Principibus Catholicis, videre est, quorum famam denigrant, plurimasque imposturas faciunt. Pudeat tam impudentissimè eos loqui, ut sequitur:

APHORISMUS I.

DEus ex Calvino, lib. 3. Instit. 21. §. 1. &c. ab æterno prædestinavit plerosque homines ad æternam mortem & damnationem, sine ulla ipsorum culpa aut meritô; solùm quia ipsi ita placuit. Cui impiæ assertioni repugnat S. Aug. lib. 3. contra Julianum cap. 18. *Bonus est Deus: justus est Deus: potest sine bonis operibus liberare, quia bonus est; non potest sine malis operibus damnare, quia justus est.*

APHORISMUS II.

DEUS, ex Calvino, lib, 1. Instit. cap. 18. §. 2, &c. occultâ quadam vi movet, impellit, & necessitat homines, ad omnia flagitiorum genera perpetranda. Cui impiæ assertioni reclamat Sacra Scriptura expressè Ecclesiastici cap. 15. ver. 21. *Nemini mandavit Deus impie agere.* S. Jacobi, ep. cap. 1. ver. 13. *Nemo cum tentatur dicat, quoniam à Deo tentatur, Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat.* Sap. cap. 14. ver. 9 *Odio est Deo impius. & impietas ejus.*

APHORISMUS III.

DEUS, ex Calvino lib. 1. Instit. cap. 18. §. 1. &c. mandat, urget, & incitat Sathanam, ut miseros ho-

homines ad peccatum inducat. Sed ex hoc impio asserto, quò se vertet miser homo? quandò à Deo, ut principali agente; & à diabolo tanquàm Dei instrumento, ad peccatum & sempiternum exitium pertrahitur!

APHORISMUS IV.

DEus, ex Calvino, lib. 1. Instit. cap. 18. §. 3. &c. Simpliciter dicendus est author omnium peccatorum, quæ ab hominibus committuntur. Hoc dogma impium refutatum est supra paulò.

APHORISMUS V.

DEus, ex Calvino lib. 3. Instit. cap. 24. §. 13. &c. non solùm prædestinat homines ad æternam damnationem, & ad peccandum impellit; sed etiam miris modis illudit miseris, simulans se velle illos juvare, cum tamen nihilominùs velit. O impium dogma! adquid ergò JESUS Christus vocet: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos?* Matth. cap. 11. quis credat ei vocanti?

APHORISMUS VI.

IMago Christi Crucifixi, ex Calvino, & Paræo ejus discipulo in cap. 1. ep. ad Rom. dub. 18. & ex Bezâ ante illum, in Colloq. Mompergalt nullô modô in templis toleranda est; omnesquè Catholici & Lu-

therani, qui eam tolerant, sunt idololatræ, sicut gentiles, qui imagines bestiarum colunt. Hoc dicere soli Judæi aut gentiles volunt; at Christiani quales sunt Calvinistæ sic memoriam Passionis Christi eliminant! *Si alienus maledixisset mihi sustinuissem utiquè?* sic Christus justè per Psalmistam conqueri potest.

APHORISMUS VII.

SAncti, ex Calvino lib. 3. Instit. cap. 20. §. 27. &c. qui dicuntur cum Christo regnare, sunt larvæ, bestiæ, carnifices. Nec ullô modô invocandi, quia non habent tam longas aures, ut ad nostras voces porrigantur. Huic impiæ assertioni, opponitur S. Aug. ser. 26. de Sanctis: *Quisquis honorat Martyres, honorat & Christum: & qui spernit Sanctos spernit & Christum.* Saulus habuitne tam longas aures, ad vocem Christi: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Et S. Stephanus Protomartyr tam perspicaces oculos: *video cœlos apertos, & Filium hominis stantem à dextris DEI?*

APHORISMUS VIII.

CAlvinus, Paræus, Povelus, Burdo, Brederodius, Helderbergenses, & maximé Beza, famosi, potius infamissimi talis Præceptoris tales discipuli, millena scommata eaque variô modô, ausi sunt proferre multis in scriptis, & dictis, *adversùs Dominum, & adversùs Christum ejus* immemores moniti Salvatoris: *qui vos spernit me spernit*; & Psaltis Regij: *nolite tangere Christos meos* namque testatur ipse Christus: *qui tangit vos,* *tangit-*

tangit pupillam oculi mei. Et tamen obliti timoris Dei, quorum frons meretricis facta est, impiè & blasphemè ausi sunt effutire: Quod Pontifex Romanus, (ex illis impiis) sit verus Antichristus, Dei hostis, Christi perduellis, religionis adversarius, hæreseos Antistes, Ecclesiæ parricida, pacis turbator, sentina impietatis, mancipium diaboli. Quòd Cardinales, Episcopi, & Canonici sint locustæ vastatrices, homicidæ, mendaces. Quòd Jesuitæ sint blasphemi monachi, impuri Spiritus, membra diaboli, turbatores pacis, inimici Regum, seductores Patriæ, corruptores juventutis, sicarii, proditores, progenies viperarum, ranæ, cauda Antichristi &c. Et sexcenta alia scommata jaciunt & sarcasmos, sicut canes mordentes famam intaminatam Sanctorum, omni pietate præditorum? quid mirum, quòd novum fuerit factum subsidium in militante Ecclesia per S. Jgnatium, en inimici Crucis Christi, majora sanè invenire non poterant tela, quibus seipsi confodiant necesse est. Mirum esse non debet: *si me persecuti sunt*, ait Christus, *& vos persequentur.* Calvinus in libro de ratione reformandæ Ecclesiæ ait: *Omitto Dominicum, & similes carnifices; omitto Medardum, Lubinum & similes bestias.* O, homo! non homo ipse, *comparatus jumentis insipientibus*, imò bestiis pejor, latrare potest sed non mordere; namque *etsi mortiferum quid biberint, non eis nocebit; mentita est iniquitas sibi, & veritas Domini manet in æternum.* Quid de Rege Hispaniæ Philippô, Archiducibus Austriæ, Duce Sabaudiæ, Sigismundo Rege Poloniæ, Regibus aliis Galliæ, Hungariæ &c. &c. *Summa:* ait, iniquissimus Povelus lib. 2 de Antichr. cap. 1 *Satanæ mancipia, & Antichristi Satellites; omnes Catholici etiam Principes, Reges, Imperatores, Turcis deteriores, nec*

ulla pax cum illis est ineunda. Calvinus impiissimus, Reges, Principes, Legatos, Oratores, Theologos, Cardinales, Episcopos; in anthydoto Concilii Tridentini, vocat: *asinos, porcos, crassos boves, quisquilias, Antichristi legatos, Christi hostes, otiosos ventres, mendicabula, putrida cadavera, siliceruia, blaterones, colluviem Tridentinam, Patres cornutos, exitialia monstra, degeneres ac spurios, magnæ meretricis filios, &c.* Bone DEUS! *per quem reges regnant, & legum conditores justa decernunt; exurge Domine, quare obdormis? donec ulciscaris de inimicis tuis;* quid frustra gladium portant: dividat eos rhomphea, qui talia agunt.

APHORISMUS IX.

HEidelbergenses Calvinistæ modos propagandi Calvinismi, sicuti vulpes dolosæ invenerunt tales. 1. Simulandus est, ajunt, consensus cum Lutheranis, qui cùm sint simpliciores ac stupidi, facile ijs persvaderi potest quidquid volueris: interim simulandus consensus cum iis, ut sic faciliùs obruamus Papistas, & in toto orbe Christiano dominemur. Lutherani facilè nobis credent. 2. Deinde Reges, & Principes Catholici vi & armis oppugnandi, aut è suis regnis & Provinciis expellendi. 3. Jesuitæ verò, qui se maximè nobis opponunt, aut necandi, aut si id commodè fieri non potest, eijciendi, aut certè mendaciis & calumnijs opprimendi sunt. 4. Sacr. Scriptura potiùs depravanda, & omnis antiquorum Patrum authoritas respuenda, quàm Calvinismus deserendus. 5. Liberè utendum est æquivocationibus, etiam in rebus fidei, quandò aliter Calvinismus defendi & propagari non po-

potest. Non magnopere curandum, si incidamus in varias contradictiones. 6. Omnia justorum opera sunt sordes, inquinamenta, & peccata mortalia, neque vitam, sed damnationem æternam promerentur. 7. Lex Dei est impossibibis, nec ab ullo quantumvis Sancto hactenùs servata est, aut deinceps servari poterit. *Calv. l. 2. Inst. c. 7. §. 5.* 8vo. Peccatum originale non tollitur per baptismum, sed manet in nobis, quàmdiu vivimus. *Calv. l. 2. Inst. c. 1. §. 8.*

9no. Omnes filii fidelium ab utero materno nascuntur Sancti & hæredes vitæ æternæ, ac proinde salvari possunt sine baptismo. *Calv. in antbid. Conc. Trid. Sess. 6. cap. 5.* 10mo. Qui autem ex thoro illegitimo nascuntur, æternæ damnationi & perditioni obnoxij sunt, nec ad baptismum admittendi. *Ita definierunt Vilnæ in Synodo Calvinianâ suâ An.* 1589. *die* 11. *Martij, teste Adriano Iungiô lib.* 3. *de doctr. & morib. Evangelicorum cap.* 17. 11mo. Peccata prædestinatorum nunquàm imputantur, reproborũ nunquàm remittuntur. *Calv. lib. 3. Instit. cap. 4. §. 28. & lib. 4. cap. 1. §. 20. & sequ.*

12mo. Impius Paræus in suo circulo Calvinistico contra Catholicos objiciens satis ineptè, arguit nos, quòd sæpius hanc quæstionem usurpemus: *Vnde scis, Scripturas esse divinas, & Evangelium Matthæi, esse Matthæi?* Ergò circulum nobis obvertere audet vitiosum, ut ait: si quæramus ex Catholicis: unde scis has Scripturas esse Divinas? respondent Catholici: quia Ecclesia Romano-Catholica, suâ infallibili auctoritate id dicit; & rursum vertendo; unde scis Ecclesiam quæ id dicit habere infallibilem auctoritatem? respondere solemus: quia scriptura suâ infallibilitate & auctoritate, id dicit. Et fortiùs, ut ipse putat, sic premit: Quæstio illa: *unde scis?* est curiosa, impia, & ex

Ecclesia meritè explodenda; prout S. Aug. lib. 6. confess. cap. 5. aijt: *Persvasisti mihi, ò DEVS! non qui crederent libris tuis, quos tantâ in omnibus ferè gentibus auctoritate fundasti: sed qui non crederent esse culpandos: nec audiendos esse, si qui fortè mihi dicerent:* undè scis *illos libros unius veri & veracissimi Dei Spiritu esse humano generi ministratos? idipsum enim maximè credendum erat.* En Achillem suum putat Paræus contra nos, qui tamen suô ictu propriô statim se confodiat; Resp. 1. retorquendo telum inane, quô Saulus malignô Spiritu agitatus, Davidem voluit confodere, ad parietem hastâ deviavit: Si, David Paræe! bone homo! licet insipiens; quæstio hæc: *unde scis?* inanis est: cur ipse contra nos urges hac eâdem quæstione? hinc, in quo alium accusas, teipsum condemnas. Dicas Paræe: *unde scis?* Scripturas Prophetarum & Apostolorum esse Divinas? in promptu scio te respondere: quia privatus Spiritus mihi hoc dicit. Sed insto: unde scis, privatum tuum Spiritum esse infallibilem & divinum? respondes: quia Scriptura hoc dicit. En tuus pariter circulus vitiosus. Unde scis? tu ipse hæretice ignoras! nos scimus præter Verbum Dei Scriptum, esse Verbum Dei non scriptum, seu Traditiones sacras, quas de fide tenendas propugnamus, juxta monitum Apostoli: *tenete traditiones vestras, quas accepistis, &c.* Tu autem nescis unde venisti, aut quò vadis? utinam saltem cum illo villico iniquitatis facias, & dicas: *scio quid faciam?* cùm nesciam, utrum privatus Spiritus meus sit albus vel niger: sæpius dicis bonum malum, & malum bonum; *& angelus Satanæ transfigurat se in angelum lucis,* teste Apostolô: *ibo ad Patrem meum* cum filio prodigô pœnitente, & dicam: *Pater peccavi in cœlum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus!*

Ibo

Ibo ad Matrem meam, Eccleſiam Sanctam, unicam, Catholicam, Romanam *quæ in toto orbe prædicatur*, teſte Apoſtolo in ep. ad Rom. revertar unde digreſſus ſum in perditiſſimo Calvino anteſignano meo. Memineris S. Auguſtini moniti: *Ego Evangelio non crederem, niſi me Auctoritas Eccleſiæ confirmaret*; & S. Cypriani adv. Montaniſtas: *Deum non habebit Patrem, qui Eccleſiam non habuerit Matrem.*

§. IV.

Præſtat, nullum Deum eſſe cum Athæo, quàm cum Calvino & Calviniſtis talem credere.

DIvus Baſilius in homil. *Quod Deus non eſt auctor malorum*, ait eandem eſſe dementiam, negare Deum, & peccati auctorem aſſerere. Nam ſi peccati auctor eſt; utique bonus non eſt. Et ſi bonus non eſt; utique nec Deus eſt.

2. Amplius dico: Tolerabiliùs eſt, negare Deum, quàm peccati auctorem aſſerere. Nam ſi Deus omninò non eſt; certè culpabilis non eſt. Si autem Deus eſt, & ſcelerum omnium auctor eſt; & quorum auctor eſt, ſimul etiam vindex eſt; quomodo culpabilis & injuſtus non eſt?

3. Quid ergo? Svadeo, Athæum potius, quàm Calviniſtam eſſe? Neutrum quidem bonum; hoc tamen deterius apparet. Luthetiæ publicè exuſtus eſt Godefridus Valle, Anno Chriſti 1572. Hic libellum ſcripſit de arte

arte nihil credendi, in quo, cætera omnia mendacia; hoc unum verum dixit, oportere prius Calviniſtam fieri, qui Athæus eſſe volet. Fuerat ille antea Calviniſta, fuit poſtea Athæus. Si ergò unicuique in ſua arte credendum eſt; certè in hac re illi credendum eſt. Cur autem dixit eum, qui Athæus eſſe volet, opportere priùs Calviniſtam fieri; niſi quod putaret, tam fœdam ac profligatam eſſe Calvini ſectam, ut qui eam prope aſpexiſſet, mallet nullam, quàm talem ſectam profiteri?

4. Et ſanè, ſi ex fructu doctrina cognoſcenda eſt; pejores fructus Calvini, quàm Athæorum doctrina parit. Hi tametſi negent Deum aliquem orbi præſidere, honeſtatem tamen, & rectæ rationis ductum ac directionem in multis ſeqvuntur, & multa rectè agunt, quæ laudari poſſunt. Cavent furta, homicidia, rapinas, à mendacio abhorrent; juramenti religionem colunt; ſervant fidem alteri promiſſam; bellum injuſtum deteſtantur; pacem ac tranquillitatem amant. At contrà docentur à Calvino diſcipuli, parvi pendere mendacia, perjuria, adulteria, rapinas, libidines, ſacrilegia. Unde hoc? Quia Deus; (inquiunt,) æternâ ſuâ prædeſtinatione neceſſitatem hæc faciendi nobis injecit. An verò impunè? omninò, ajunt; quia certò ſcimus ad vitam æternam nos eſſe prædeſtinatos. Ergò quidquid facimus; aut quocumque ſcelere nos obſtringimus; nihil obeſt: vitam ſemel deſtinatam amittere non poſſumus. Bone Deus, quis fructus ab hoc hominum genere, qui à Calvinô imbuti ſunt, ſperari poteſt?

§. V.

§. V.

Propter hanc impiam Calvini doctrinã, quivis Calvinista prudenter à Calvinismo deficere potest & tenetur.

1. CONstat quosdam Calvini familiares, ob hanc doctrinam, Calvini amicitiam, & sectam deseruisse. Ex horum numero fuit Sebastianus Castalio, qui Genevæ cum Calvino diu versatus, non modò defectionem ab eo paravit, sed librô etiam editô palâm oppugnavit. Et meritò. Nam si Plato, homo Ethnicus, censuit in Republica non ferendum esse, qui Deum peccati auctorem diceret; quantò magis homo Christianus prudenter censere debet, nec in privata amicitia conservari, nec in publica Sacramentorum participatione socium adhiberi oportere, qui tàm nefariam sectam profiteri ausus sit.

2. Et verò, qui ex animo de sincera Christi religione cogitet; qui de probis moribus, de vitæ innocentia, de regno cœlorum adeundo, de pœnis inferorum evitandis: quid quæso præsidi; ad hæc omnia habere possit ex doctrina Calvini? Nam si in primo ipso congressu ex Calvino audiat, Deum æterno suo & immutabili consilio, paucos ad vitam æternam multos ad gehennam, omnes ad peccata & flagitia prædestinasse; neque hoc decretum ullô nostrô conatu mutari aut mitigari posse: quid aliud cogitet, quàm perinde esse, quomodo se gerat, quando suo labore nihil effecturus sit? Et inane esse studium nostrum, ac inutilem veritatis inquisitionem, quando nemo eam

evenire possit qui reprobatus sit; & sponte ei obventura sit, qui electorum numero censeatur?

3. Scio multos esse, qui responsuri sint, se quidem Calvini doctrinam in aliis plerisque sequi; in hoc verò, cùm de peccato agitur, minimè. Sed qui ejusmodi estis, quæso paucis advertite. Ac primo, si Calvinus, vestro etiam judicio, in hac re, omnium penè gravissimâ, tam fœdè prolapsus est; quâ fiduciâ in aliis illum Ducem sequimini? Aut unde constare vobis potest; qui in primo ingressu aberravit, in reliqua via rectam semitam tenere? Sanè verisimile non est, Spiritum Sanctum voluisse per illud Calvini os, quod tam tetrum errorem contra Divinam bonitatem exhalavit, sanam & reformatam doctrinam proseminare.

4. Sed propiùs rem inspiciamus. Animadverto, tantam esse connexionem inter præcipua Calvini dogmata, ut unum sine aliis, aut repudiare, aut amplecti non possis. Si ergo unum repudias de Deo auctore peccati, cætera quoque repudianda sunt; aut si cætera constanter tueris, ab hoc recedere nullo modo potes. Connexionem sic ostendo. Hæc propositio, Deum ab æterno prædestinâsse omnia peccata, quæ futura sunt, pendet ex illa propositione, Deum ab æterno prædestinâsse alios ad mortem; alios ad vitam, nullo respectu nostrorum operum. Hoc primum principium in Calvini doctrina est. Ex eo cætera omnia deducam hoc ordine: Deus ab æterno, alios ad vitam, alios ad mortem prædestinavit, eo fine, ut in his continuè suam justitiam vindicativam; in illis continuè suam misericordiam possit exercere: Ergò necesse fuit, ut omnes ad peccata prædestinaret; quia sine peccatis, nec horum misereri nec illos justè posset punire.

Hinc

Hinc jam descendo per duplicem viam; alteram electorum, alteram reproborum: & colligo omnia ferè Calvini dogmata, hoc modo. Si DEUS ab æterno decrevit, in electis suam misericordiam continuè ostendere, condonando illis peccata; ergo electos semper relinquit in peccatis, ut semper eorum possit misereri, non quidem auferendo peccata, sed non imputando: Ergò electi non aliter justi sunt, quàm quia peccata illorum non imputantur. Ergò tàm justi sunt ab utero matris ante baptismum, quàm post Baptismum: Ergò baptismus illis necessarius non est: Ergò justitia illorum non est inhærens, sed tantùm imputativa: Ergò quidquid agant, non potest illis obesse, quia non imputatur. Rursum. Si Deus ab æterno decrevit, in reprobis suam justitiam vindicativam continuò exercere, imputando & puniendo illorum peccata; ergo semper vult illos peccare: Ergò nunquam vult liberos esse à peccatis: Ergò nullum salutis remedium illis procuravit: Ergò Christus pro illis mortuus non est: Ergò nec ad Christi fidem vocantur: Ergò non sunt in Ecclesia Christi: Ergò nec Sacramenta illis prosunt: Ergò Baptismus in illis non est Sacramentum, sed externa tantùm cerimonia: Ergò Christi corpus non est verè & realiter in Eucharistia, quia alioqui reprobi illud perciperent, quod est contra æternam Dei ordinationem. Ecce quàm multa hic connexa sunt. Et quisquis à Calvino edoctus es, negare non potes, hæc omnia & singula esse Calvini dogmata; nec hoc probandum mihi est. Solùm volui ostendere, quanta sit eorum inter se connexio; & quomodo unum ab alio necessariò dependeat. Hoc autem ideo feci, ut quisque vir prudens intelligat, aut omnia Calvini dogmata repudianda sibi esse; aut

omnia pariter retinenda. Qui ergo illud unum de Deo auctore peccati, de quo agimus, tanquam nefarium & impium aspernatur; cætera quòque, si prudens esse vult, aspernari debet.

5. Ut autem, quæ dicta sunt, facilius percipias & examines; certo ordine ac serie collocabo, quæ hanc connexionem inter se habent.

§. VI.
DOGMATA CALVINI
connexa.

1. Deus prædestinat alios ad vitam, alios ad mortem, solùm quia ita vult.
2. Deus est auctor omnium peccatorum.
3. Christus non est mortuus pro omnibus.
4. Soli prædestinati sunt in Ecclesia.
5. Soli prædestinati vocantur ad fidem.
6. Parvuli non necessariò baptizantur.
7. Non datur justitia inhærens.
8. Peccatum originale non tollitur per baptismum.
9. Peccata actualia non tolluntur, sed solùm non imputantur.
10. Justitia semel habita amitti non potest.
11. Christus non est in Eucharistia.

Hæc paucis scripsi, Christiane Lector, clarè, sincerè & sine ulla verborum asperitate & contumelia; eô fine ac animô, ut si hactenus â Calvino alienus fuisti, nunquam ad eum accedas, quia doctrina ejus impia est: Si autem sectatus eum es, prudenter apud animum tuum expendas, an deinceps sectari velis. Vale & boni consule.

SE-

SECUNDA SECUNDÆ PARTIS SPECVLI VERIDICI,

seu

PERSPICILIORUM

MYSTICORVM

Pro

Nasutis Dissidentibus.

POLEMICA
VERA THEOLOGIA CATHOLICA
DE PRÆDICAMENTIS
Theologiæ Lutheranæ.
Antilogias, ſeu contradictiones manifeſtas, in hæterodoxorum doctrina, clarè demonſtrans;

Quibus
Palam propoſitis, in certamen vocati, unô ictu propriô profligantur.

REIMPRESSA.

VARSAVIÆ

Typis S. R. M. Schol. Piar. Anno Dni. 1728.

Comparabitur viro, conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo *S. Jacobus Ap: in Catholicâ, Ep: ſuâ Canonica, cap. 1. ver.* 23.

Plus valet unus Petrus Lombardus, quàm centum Lutheri, ducenti Melanchtones, trecenti Bulingeri, quadrigenti Petrimartyres, & quingenti Calvini: qui omnes ſi in mortario contunderentur nec unam unciam veræ Theologiæ, præſertim de Articulis Fidei, de Trinitate, Incarnatione, Sacramentis, aliiſquè profunderent. Stannerus lib. de SSS. Trinit. & Mediatore.

Deindè legant Fridericum Staphylum de Trimembri Theologia & ſucceſſione diſcipulorum Lutheri. Qui unus Staphylus pro ſexcentis ſufficit. *Ita Anton: Poſſevinus Mantuanus S. I. in ſua Bibliotheca Select lib.* 7. *de juvandis hæreticis cap.* 20. Porrò.

Quemadmodùm Janſeniani, Libros de Gratia Chriſti, doctiſſimi *Aſſermet* in Gallia, Socij Sorbonici; ita impij Lutherani ſubdolis artibus ſuis, uti ſolent, eos Libros Catholicos, qui palam & in faciem, falſas eorumdem ſectas, ab ipſo exordio

dio pravi seminis (quod in rudium corda seminare sicut zizania, ausi fuerant) exprobrant; passim conculcare & suffocare nituntur, sed in cassùm. Exeat itaque denuò in lucem publicam veteranus Liber aureus, præfati Friderici Staphyli Philippi Melanchtonis coætanei, de Trimembri Theologia Lutheri, quem librum cineri & favillæ mandandum, hæretici Thorunenses, ne typô, uti Phænix de pulvere renasceretur, totos tres annos in sua typographia, cũ sũmo odio (quod veritas parere solet) supprimere conati sunt. Sed frustra; nam jussu ejusdem Authoritatis, cujus supra ab initio, coactè receptus ab hostibus veritatis, alibi recudi debuit, qui errores illorum clarè detegeret. Tu verò, Lector Amice, minimè mirare, imò DEO O. M. gratias age; quòd juxta monitum. Augustini lib. 1. contra. Julian. cap. 2. *Scribamus omnes, Catholici veri, & si non modò de rebus iisdem scripturi, sed eadem etiam alijs verbis, fortasse scripturi.* Quippe, nullam penitus muscam vanæ gloriæ aucupari cupimus, Christi enim solius actio est; ne fortasse ab adversariis nobis objici queat: hæc, quæ scribimus, nostri esse partum ingenii; quin potiùs omnia antiquissima, tritâ viâ à PP. tradita, proferre conemur, illum in Evangelio imitantes *Patremfamilias, qui profert de thesauro suo nova & vetera.*

tera. Unde hæterodoxi intelligant, eandem semper, nunqàm mutatam solam, & unicam esse Fidem Catholicam, juxta eundem SS. PP. sensum cum Xti Ecclesia, quæ fuit ab initio Evangelii, est, & erit *usq; ad consummationem sæculi; & inferi portæ non prævalebunt adversùs eam. Vale.*

PRÆFATIO
FRIDERICI STAPHYLI.

Tametsi, ea pernicies atque vis mali est, ut non quidem omne, sed ut bonum aliquod corrumpere possit, nullum efficere: tamen haud dubiè evenit, ut Aristoteles inquit, quòd sicuti bonum, est sui conservativum, ita sui destructivum malum. Quô fit, ut tam boni, quàm mali, duæ sint proprietates: hujus, ut malitiam suam quærat, & alienum bonum, in quo hæret, corrumpat; illius ut seipsume pariter atquè sui similia conservet. Mali quidem pernicies longè patet & fusè: sed non cuncta sunt hujus loci, nisi tantùm, quantùm jam malum hæreseos cæpit depravare bonum Catholicæ Fidei, & hoc vicissim illi obsistere, pensitare in utramquè partem quàm succinctissimè. Quoniam verò nemo negat, quin doctrina Catholicæ Fidei sit veritas, & idcircò bonum etiam: contraquè quin hæresis sit falsitas, & malum igitur. Proinde cum malum hujus, non possit nisi in illius bono existere, sequi oportebat, ut presentis hæreseos malum aliquo modô depravaret bonum Catholicæ Fidei. Id autem quale sit & quantum, quamque perniciosum saluti humanæ, non solùm argumentis, quin potiùs lacrymis deplorando super malitiæ cæcitate prorsùs diluendum. Quid ergò malum hæreseos agat? rogas: corrumpit nimirum, destruit, pervertit ea, quæ potest omnia. Exemplis non utar alienis, domesticis abundamus. Olim Fides Catholica complevit Germaniam templis Divorum, opes suppeditavit & copias, quantùm satis erat, vel ad necessitatem, vel honestatem vitæ. Hæreses contra, templa spoliaverunt, Ecclesiam defædaverunt, eripuerunt facultates, ad miseriam cunctos, &

ad paupertatem extremam Ecclesiasticos curatores redegerunt. Adeoquè res ista manifesta est, ut non necessarium sit rogare quô in loco recens Evangelium regnet: saltem aspice templa, mores populi considera, Ecclesiæ faciem contemplare: mox succurret vel tacenti etiam, utriûs Fidei Catholicæ nè, an novæ hæreticæ hujus admodum nuper ortæ, sit conservare, quod boni proprium est: aut destruere? quod mali genuinum est. Ex rusticis perquire, percunctare à Civibus, an sub Papistico Dominio (utar illorum vocabulô) an sub evangelico, agros colere, remquè curare familiarem, ac vitam degere malint? Quid responsuri sint, res ipsa testatur: agri enim & domus, multò frequentiùs hîc, quàm illic audiuntur venales reperiri: unde judicium feceris de fructu fidei atquè doctrinæ. Altera mali pernicies est, seipsum destruere. Quod ideò necesse est, cum ejus proprium sit depravare, atquè redigere in nihilum: quia, ubi ab eo bono, in quo hæserat, excussum sit, in se conversum cogitur sævire, & ipsum se tandem consumere. Nota hystoria est de turri Babylonicâ; in cujus confusione, cùm DEUS subtraxisset bonum communis linguæ, quâ universi utebantur, ipsamet in singulis confusio, fuit non incerta inchoati mali operis destructio. Quid ipsum deniquè populum Judaicum delevit, nisi sua ipsorum inter se malitia, atquè pervicacia? Quid Græciam vertit, quid extinxit Thraciam, quid Mæsiam obtrivit, quid Hungariam? Profectò nihil aliud, nisi ipsorummet, tùm in Deum & Religionem impietas, tum in Reges suos atque Imperatores nõ immodica perfidia! Non Deus, earum exitialium calamitatum author fuit, sed sua istarum gentium propria malignitas! plancquè (ut Homerus canit de pravitate Ulissis sociorum) corruptio ordinis perversissima. De Germania tota, de Prussia, aliisquè Ducatibus & Regnis acatholicis, quæ Lutherus impudentissimus apostata, suô corrupit virulentissimô doctrinæ falsissimæ commentô, quid

aliud expectandum, post tot Catholicorum Principum Orthodoxorum dissimulationem, Serpentem in sinu suo foveri permittentium hucusquè, an sapienter? ignoramus: ast Deus expectat, donec impleantur mensuræ patrum & compleantur peccata Amorrhæorum; sinunt utraquè crescere usquè ad messem, ne simul colligentes, aliàs Zyzania, eradicent & triticum: sinunt, volentes non eunt colligere ea; quid aliud, dico, expectamus? utinam verò minime: at vereor quidem, nè idem planè penitùs ultimum excidium, ac ruinam. Romana Ecclesia quondam Germanis omnibus eam, quam ab Apostolicis acceperat Catholicam Fidem tradidit, & unà Romanum Imperium. Atqui Fides illa, dùm Catholica apud nos & incorrupta vigeret, dum de ea idem sacerdos, non diversum sentiret populus; dum feralia ista discordiarum nomina, Lutherus, Melanchton, Calvinus, Illiricus &c. &c. ignota nobis essent, nec hisce factionum Studijs dedita esset plebs: florebat tum in Germania Imperium Romanum: erat tum Sancta in populo disciplina, salutaris justitia in Principibus, humilis obedientia in subditis: tum eramus domi concordes & beati foris, hostibus terribiles, vicinis amici, domesticis chari: & ut unô verbô dicam, Deus tum in nobis habitabat, exulabat regnum Satanæ At quò discordia cives perduxit miseros? odisse cæpimus (quid odisse?) delere conati sumus Ecclesiam Catholicam, Matrem videlicet, & ad rectè beatèquè vivendum Magistram: Fidemque pariter Filiam ejus constuprare tentavimus tot pene diversarum hæresum philtris, quot jam passim sectarum duces (lenones propemodùm dixerim) nominari audimus. Implevit Ecclesia Romana, tanquam salutare Dei Organum, pectora nostra virtute & gratia: mores honestos docuit, & bene vivendi modum: artem medendi tradidit: jura & leges constituit: Imperium apud nos instauravit: deniquè adeò studiosè hanc gentem nostram exornavit ut nullam aliam studiosius.

At

At verò quid non contra? tædet reminiſci, pudet dicere:

Duo quidem adversùs duplicem iſtam mali peſtem ſemper extiterunt antydota: unum, ut aut oppoſitô contrariô bono, coneris malum tollere: alterum, aut ſi id nequeas, ipſum bonum ſtudeas, in quo malum hæret auferre: ut hoc à bono ſeparatum, & in ſe derelictum, tandem (quia corrumpendi finem neſcit) ſeipſum delere cogatur. Eccleſia autem hactenus, ut pia Mater, & non iners medica, ſedulò conata eſt mederi iſtis Cheroniois Porcinis *hæreſum malis in Germania, oppoſitô ſalutaris doctrinæ remediô: ut ad legitimæ medicationis canonem contraria contrarijs curaret: at fruſtra penitus, nihil enim profecit hucuſque. Quid igitur? Ceſſabit ab hoc genere quidem: ſed alterum reſtat genus antydoti, ut quando priùs parùm fuerit efficax, connitatur Eccleſia id bonum, in quo malum ſitum eſt, ſeparatum abſtrahere, & malum nudum in ſe ſolo derelictum ſinere, ut ſemetipſum corrumpat, atque in nihilum convertat: ea namquè in magnis hæreſum malis ſemper præcipua fuit curatio.*

Quapropter id nunc ſolum reſtare videtur, quod etiam omnibus pijs cordatiſque viris à Deo petendum eſt, ut quicquid boni adhuc in Lutherana hæreſi vel ab Eccleſia Romana, vel ab ipſâ fide Catholica reſiduum eſt, aut ipſi Lutherani *id primo quoque tempore profligent abs ſe, aut nos, quantô poſſumus ſtudiô, ab illis ſubducere conemur. Sanctè equidem promiſerim (nec me falſum iri confido) fore, ſi Catholica Eccleſia ea cuncta, quæ illius propria ſunt, receperit à Lutheranis, ut quemadmodum Plutarchus in Cantharidibus animadvertit, ſic Lutherani quoque ex ſeipſis peſtis ſuæ remedium habituri ſint, quippe ſuis hæreſibus certum quidem exitium, nobis vero remedium ſalutare: unde hæ iſtæ contentiones tandem finem queant, & ſuam Eccleſia pacem adipiſci.*

Alia nunc via nulla reperitur: quandoquidem semper fermè bellum hæreticorum, ut D. Hilarius inquit, solet esse pax Ecclesiæ, id quod non levi, sed gravissima de causa nobis licet constituere. Etenim quia bonum à Deo est, rationem ergo quandam habet infinitatis propter ordinem Divinæ legis: malum contra, quia à Satana prodijt & ab homine, finitum itaque. Quocirca cum finitum neque principium infiniti possit, neque finem excedere, nec profectò malum unquam poterit universale bonum seu Tai katholu. *corrumpere* Rectè igitur apud Euripidem Theseus ratiocinatur: Mea autem sententia est; causam esse hominibus bonis magis bonam, malis verò nunquam nisi enim esset hoc non potuisse-mus unum dicere.

Neque verius aliquod potest, neque evidentius pro stabilitate boni adversus mali ruinam afferri documentum, quàm quod attulit Euripides, cum ait:

Principiorum probatio solet esse talis. Oyk à ijmen emphàei *Nam si ita esset, ut ipse Theseussibi objecit.*

Dixit quidam, quòd mala hominibus sunt meliora bonis.

Non posset non bonum, aut potius ipse Deus sic ut Manichæi impiè nugabantur, in summo versari periculo interitûs. At contrarium, quia ratio nobis dictat, communis experientia evicit jam pridem. Constanter itaque asserimus, mali nunquam posse tantam esse vim, ut queat universale bonum delere.

Quin ejusdem argumenti firmitate, Catholicæ doctrinæ

ve-

veritas adversùs omnem hæresim defenditur: etenim quis neget Catholicæ, fidei veritatem esse bonum, & bonum quidem Catholicum, cui insita sit ratio quædam universitatis infinitæ? Vicissimquè, quin hæresis sit falsitas, & idcirco malum quòque? proinde quantùmvis insaniant, quantumvis sæviant hæretici crudeliter, nunquam tamen malitiâ suarum hæresum hoc quod tuemur bonum Catholicæ Fidei extirpabunt; licet ægrotare aliquaudiu possit veritas, ut ille inquit, certè neque extingui poterit, neque mori ullo, unquam tempore.

Propugnemus itaque & conservemus Catholicæ doctrinæ bonum per se, sponteque suâ conservativum sui: & quò id opportuniùs possimus constantiùsquè præstare, ut hæreticos, quemadmodum D. Paulus, & ipse Redemptor Christus jubet, vitemus oportebit: idque adeò etiam, ne illis, tanquam publicanis Ave dixerimus quidem: quippe ut subtractô cummuni bonô nostro, privatô malâ hæresum ne inficiamur & pereamus spontaneâ susceptæ pestis contagione.

Atqui secernam, inquis, bonum à malo, ut hoc vitare, illud assumere queam? Nota evidens est, si hoc, quod supra posuimus, discrimen boni ac mali teneas. Si boni istud proprium, ut se suiquè similia conservet: ergo etiam, ut se consociet, se uniat, se summâ complectatur concordiâ: utquê omnem vitet discordiam, omnem repudiet dissipationem, nihil admittat, quod adversitatem, corruptelasquè procreare posset. Ea quidem nota boni est. Mali iudicium est ejusmodi? quoniam si mali est destruere & ipsum se, & alia pariter; necessè est quoque, ut se dissociet, ut dividat aut frangat potiùs: ut quod unum est, distrahat in multa: quod consentiens, faciat discors atque rebelle: quod constans suique simile, dissimillimum efficiat, & in omnem partem dubium. Quocirca veritatem, bonumque Catholicæ doctrinæ forsitan nosse vis? Quære consensum Catholicum, eumquè sensum

se-

sequere, atque intellectum scripturæ sacræ, qui ubique viget in Christiano orbe, qui semper fuit inde ab Apostolicis temporibus. Hæresim scire vis etiam? vide ubi in doctrina discordia, ubi hodie sic, heri aliter, cras secus de eodem quidem articulo, diversum tamen docetur, contrarium asseveratur, aliudque alio in loco, nec idem eodem aut diversô etiam tempore proferatur: nec dubites, quin ibi si hanc notam deprehenderis, te hæresin omnino deprehendisse: sin illam planè veritatem doctrinæ Catholicæ. Atque ne ego hæc dicere videar leviter, tu temerè credere, aliquot tum Divini verbi aperta testimonia, tum Sanctorum Patrum enarrationes subjungam, ne possis hac in re, quam viam Catholicæ veritatis sequi debeas: quod vitare hæreseos diverticulum ambigere.

Notæ aliquot hæresum ex Scriptura Sacra.

3. REg. 18. *Vsquequò claudicatis in duas partes? Si Dominus est DEVS, sequinimi illum: Si Baal, sequinimi hunc.*

Proverb. 9. *Mulier stulta & clamosa, plenaquê illecebris, nihil sciens, sedet in foribus domûs suæ super sellam in excelso urbis loco, ut vocaret transeuntes per viam, & pergentes in itinere suo. Quis est parvulus? inclinet ad me. Et ad vecordem locuta est: Aquæ furtivæ dulciores sunt, & panis absconditus suavior. Et ignoravit ille, quod ibi sint Gygantes, & in profundis inferni convivæ ejus. Qui enim applicabitur illi, descendet ad inferos: qui abscesserit ab ea, salvabitur.*

1. *Ioan.* 2. *Pueri, extrema hora est, quemadmodum audistis, quod Antichristus venit. Et nunc mul-*

ti Antichristi sunt. Unde cognoscimus, quòd extrema hora est. Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Si enim fuissent ex nobis mansissent utique nobiscum.

Tit. 3. Hæreticum hominem post unam atque alteram admonitionem devita. Sciens, quòd perversus est talis, & peccat, suô ipsius judiciô condemnatus.

Matth. 18. Dic Ecclesiæ. Si Ecclesiam non audit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.

2. Pet. 3. Quemadmodum dilectus frater noster Paulus secundùm eam, quæ ipsi data est, sapientiam scripsit vobis, sicut & in omnibus epistolis loquens in eis de istis, in quibus sunt quædam intellectu difficilia, quæ indocti atque instabiles torquent, sicut etiam reliquas scripturas, ad propriam ipsorum perniciem.

Quòd vera Ecclesia est una, & concors in doctrina & fide.

D. *Clemens Alexandrinus Oratione Stromaton inter cætera sic ait Græcè.*

Quia enim Deus unus est, & unus Dominus, idcirco etiam id, quod valdè pretiosum est, quia unum sit, laudatur, cum sit imitatio quædam ejus principii unius. Hujus itaquè natura unius una Ecclesia concluditur, quam in multas dissecare conantur hæreses. Quapropter tum juxta hypostasim, tum juxta considerationem, tum juxta principium, tum juxta

excellentiam unam esse dicimus, antiquam & Catholicam Ecclesiam in unitatem unius fidei.

Quòd sicut una doctrina Apostolorum, sic unus ejus verus intellectus.

Idem Clemens in eadem Oratione Græcè.

Comprehensivâ speculatione simul & propriissimô judiciô oportet verum discerni ab apparente: & cùm una quidem regia via sit, multæ autem aliæ, quarũ quædam in præcipitium ducant, quædam in torrentem fluvium, aut in mare profundum: nunquid istam viarum diversitatem si quis audit, idcirco profectionem abjiciet? Non, sed utetur regiâ viâ & leophoro, quæ prorsus est absqué periculo. Quemadmodum enim una est doctrina Apostolorum, sic etiam una traditio, seu interpretatio, vel sensus.

D. Cyrillus itaque lib. 4. in Ioan. cap. 24. Regia, inquit, via omnibus facienda est, qui rectitudinem fidei Christi sequi desiderant.

Quòd ea fides seu ea scripturarum interpretatio sola vera sit, quæ à Patribus nostris tradita est.

Basilius in sua ad Antiochenam Ecclesiam epistola: Græcè.

fidem

Fidem verò nos nequé ab aliis ſcriptam nobis recentiorem ſuſcipimus, neque ipſi mentis noſtræ germina tradere audemus, nè humana commenta exiſtimentur eſſe verba religionis. Sed quæ à Sanctis Patribus edocti ſumus, ea interrogantibus nos annuntiamus.

Idem Baſilius in homilia contra Sabellianos & Arrium: Græcè.

Te pacatum reddat traditio. Dominus ita docuit, Apoſtoli prædicaverunt, Patres obſervaverunt, confirmaverunt Martyres. Sufficiat dicere: Sic edoctus ſum.

D. Athanaſius ad Epictetum Epiſcopum Corinthiorum: Græcè.

Hoc ſolummodò reſpondere ad talia, & dicere ſufficit, quod iſta non ſunt catholicæ Eccleſiæ, nequé iſta Patres noſtri ſenſerunt.

Non ſic impius Lutherus ſenſit; nam tom 2. Ienens Latin. fol. 520 pag. 2. ait: Summus, vivens Papatûs hoſtis ero, exuſtus bis hoſtis ero; facite porci Thomiſtæ, quod poteſtis: Lutherum habebitis urſum in via, leonem in ſemita; undiqué vobis occurret, & pacem habere non ſinet, donec ferreas veſtras cervices & æreas frontes contriverit, vel in ſalutem: vel in perditionem. Neque enim quæro, quid Ambroſius, Auguſtinus, Concilia, & uſus ſæculorum dicant. Mira bardi hominis ſtupiditas?

Quomodo Hæretici tractant Scripturam Sacram.

D. Clemens Alexand. 7. Stromaton Græcè.

Quanquam & hi, qui hæreses sectantur, audeant uti Propheticis scripturis, tamen primum neque omnibus utuntur, deinde neque integris, neque etiam quid vel corpus prophetiæ, vel gibbus velit, considerant: sed ea, quæ ambiguè dicta sunt, eligentes, transferunt illa in privatas suas opiniones. Sparsimque voces paucas veluti flosculos carpentes, non spectant in eis significatum, sed nudâ dictione abutuntur. Propemodum enim solis verbis, toìs rijtois *addictos reperias illos tanquam solis nominibus inhærere, aut significata variantes.*

Quòd Hæretici nudum textum scripturæ postulent, & Catholicum consensum per traditionem acceptum repudient.

Basilius capite decimo de Spiritu Sancto: Græcè.

Fidés ipsa est res ea, de qua bellum geritur; communisqué scopus est cunctis, velle firmamentum nostræ in Christum fidei convellere, ac inde traditionem Apostolicam pessundatam delere atqué extingvere, eamqué ob causam sicut debitorum probiores (si æs mutu-

um repoſcas) debiti ſubſcriptas cautiones efflagitant. Patrũ teſtimonium, ac ſi nullius ſit momenti, repudiant. At verò nos nibil omittemus veritatis, nequé ob timorem, communem ſocietatem belli prodemus.

D. Hieronymus *adverſus Luciferianos ſcribens, ait: In illa Eccleſia permanendum eſt, quæ ab Apoſtolis fundata, uſqué in hanc diem durat. Nec ſibi blandiantur (hæretici) ſi de ſcripturarum capitulis videntur ſibi id confirmare quod dicunt: cum & Diabolus de ſcripturis aliqua ſit locutus: & ſcripturæ non in legendo, ſed in intelligendo conſiſtant.*

Quòd hæretici ſemper ſint diſcordes inter ſe in ſua doctrina.

IRenæus *lib.* 5. *Tales ſunt omnes hæretici, & qui ſe plus aliquid præter veritatẽ invenire putant, ſequentes ea, quæ prædicta ſunt, variè & multiformiter imbecille facientes iter, de eiſdem non ſemper eaſdem ſententias habentes, veluti cæci à cæcis circumducuntur.*

Tertullianus *in libro de præſcriptionibus: Vnde autem extranei, & inimici Apoſtolis hæretici, niſi ex diverſitate doctrinæ, quam unuſquisque de ſuo arbitrio adverſus Apoſtolos aut protulit, aut recepit? Illic igitur & ſcripturarum, & expoſitionum adulteratio deputanda eſt, ubi diverſitas invenitur doctrinæ: quibus fuit propoſita aliter docendi neceſſitas, inſtituerunt aliter*

ter disponendi instrumenta doctrinæ. Alias enim non potuissent aliter docere , nisi aliter haberent, per quæ docerent.

D. Athanasius *in decretis Synodi Ephesinæ: Homines, ut dixit Iacobus, duplici animo, & instabiles in omnibus viis suis, nec eandem habentes sententiam, sed nunc in hanc, nunc in illam sese vertentes, & nunc quidem probantes quod dicunt: mox verò vituperantes, quod paulò ante laudaverunt. Hoc autem, ut pastor ille dicebat, ex Diabolo prognatum est, per quod citiùs agnoscas caupones, quàm Doctores. Est enim, sicuti à majoribus traditum est, vera doctrina: & hoc veros Doctores arguit, si eadem inter sese profiteantur, nequè diversa sentiant vel inter ipsos , vel à suis majoribus dissidentes. Etenim qui hunc in modum affecti non sunt, improbi potius, quàm veri Doctores dicendi sunt.*

Epiphanius *libro tertio contra Dimœritas Græcè :*

Sæpe autem cogitavimus & obstupuimus, quod propter sermonem istum seditio contentionis, atque certaminis usque etiam ad mortem ab illis vindicaretur. Ex hoc cognovimus , quòd fermè dissimiliori quâdam suspicione apud ipsos (Dimæritas) sonat hic sermo. Quando enim aliquos ex illis interrogaveris, omnes sanè diversum respondent.

Loco præfationis , istas placuit Scripturæ Sacræ , Sanctorumque Patrum sententias præfigere, huic isti tam

tetro

tetro diversarum hæresum acervo, ut si quis fortè mi nùs confirmatus in hanc sylvam errorum inciderit, non nisi & Divini Verbi, & Ecclesiæ antidoto præmunitus, temerè hoc Trophonij antrum ingrederetur. Nec profectò certior ulla dari potest, nec illustrior veritatis agnoscendæ tessera, quàm si noveris verum, esse simplex semper, & unum, nec ullum deprehendi erroris evidentius signum, quàm quod mendacium semper est varium, semper multiplex, semper distractum in se, & divisum contra seipsum. Nam ideo fit, sicut vetus Pòëta ait, quod.

Pravus agit variè, simpliciterque bonus.

Quicunque igitur hac hæresum sylvam peragrare volet, is memor sit, se in medio venenatissimæ pestis versari: adversus quam nullum sit pharmacum aliud, quàm orthodoxum Scripturæ Sacræ intellectum discere ab Ecclesia Catholica: nec eos velle (ut Salomonis sententia habet) quos majores nostri posuerunt terminos, transilire. Prudenter itaque monet D. Epiphanius 2. lib. contra hæreses. Termini, inquit, nobis positi sunt & fundamenta, & ædificatio fidei, & Apostolorum traditiones, & Scripturæ Sacræ, & successiones doctrinæ, & undequaqué veritas Dei munita est. Nemo ergo decipiatur novis fabulis. Eam igitur si viam studiosè sequemur, nunquam vel in ipsis etiam erroribus errare unquam poterimus.

ARGUMENTUM LIBRI.

MArtinus Lutherus ut ingenij, sic doli plenus, cum novam Theologiæ formam meditaretur, intelligebat omnem Theologicæ scientiæ facultatem rectissimè partiri: formam in & materiam, & in agendi potestatem. Quod ad formam attinebat, communia principia, & axiomata antè semper usurpata à Theologis, labefecit initio, mox explosit etiam ex scholis & templis: substituit nova quædam principia, tanquam Dialectica prædicamenta, sedesqué topicas Argumentorum: unde quoties disceptandum fuit, rationes desumi possent. Quæ autem, & qualia ista Lutheri topica prædicamenta sint, primò loco posuimus. Deinde materies sequitur, tanquam sylva Quæstionum Theologicarum, quas ipse Lutherus, partim novas introduxit, partim ab antiquis Hæreticis potissimùm mutuatus est. Quanquam autem complures scio Quæstiones novas reperiri passim tum in ipsis Lutheri libris, tum in aliis consectariorum scriptis: tamen præcipuas visum erat in ordinem quendam digerere: ut in promptu esset, si quando refutare eas quis vellet. Vltimo loco Successores Lutheri recensentur, nè obscurum sit, qui vel degeneraverint à Magistro discipuli: vel quam sub Augustanæ confessionis umbella pulchrè concordes sint, & quas novas illi quoq́, sectarum familias pepererint: Vnde jam id consecutum, ut Augustana confessio peregrinetur in Vtopia, nec Augustana ampliùs, sed Vtopiensis sit appellanda.

PRI-

PRIMA PARS.
LIBRI.
Decem Prædicamenta ſeu topica principia Theologiæ Lutheranæ.
PRIMUM TOPICUM prædicamentum.

Papiſtæ Evangelium Chriſti abjecerunt, Lutherus abjectum inſtauravit, produxitq́; ex tenebris Papæ, in lucem hominum. Ergo Luthero omnia credenda ſunt tanquàm Germanico Prophetæ. Papiſtis nihil, tanquàm Evangelij deſertoribus. Luth. in libro contra Henricum Regem Angliæ, & in lib. de falſo ſtatu cleri. Idem diſcipuli nuſquam non ſcribunt & aſſerunt.

PRrincipium novæ Theologiæ primum fuit hoc prædicamentum Lutheri, ſe Evangelii oppreſſi vindicem datum à Deo: ſibi ſalutem populi per Papam ſeducti, curæ eſſe: animas enim miſeræ plebis perire, cum pro Evangelio Chriſti Pontificiæ fraudes regnent paſſim.

Quapropter Papam & omnes, qui huic adhæreant, hoſtes Evangelii habendos, ſe Evangeliſtam Chriſti coli debere.

Finxit hoc mendacium Lutherus in gubernatores Eccleſiæ: Vidit enim, ſi clerum hoc tam immanis flagitii

gitii odio prægravatum accerseret in judicium populi, se quidem quæ vellet, posse persvadere omnia ultro credituris. Papistas verò perfidiæ suspicione laborantes, omnem fidem, authoritatemqué repentè amissuros esse. Perfecit homo nequam quod voluit, hæretque in hunc usque diem ea perversio in animis hominum, Evangelium Christi à Luthero resuscitatum esse, atque vindicatum à servitute Pontificia, & restitutum in libertatem Christiani populi: unde etiam ea secta nomen accepit, ut Evangelici appellarentur, qui Lutheri novum Evangelium essent amplexi. Papistæ, qui doctrinam veterem. Credidit hoc scelus de Clero confictum populus, auxerunt seditiosi concionatores, Principes arripuerunt, resque ex eo tam vano principio, in hanc tantam Christianæ Reipublicæ ruinam perducta est. Adeoque etiam nunc idem prædicamẽtum Lutheri topicum, & authenticum est, ut si quis veterem religionem argumentis licet firmissimis, conetur defendere, satis sit respondere. Tu Papista es, argumenta tua non valent. Vel sic: Argumentum istud Papisticum est: ergo non est authenticum. Sic stupidissimè ratiocinantur, populi simplicis deceptores, prorsus contra rationem, utpotè ex pura malitia.

II. TOPICVM PRÆDICAMEN: Lutheranæ Theologiæ.

Lutherus fuit Propheta & alter Elias & currus Israël. Ergo quæcumq; ille censet in Sacris Bibliis esse hagiographa scripta, ea debent haberi pro authenticis

ticis & hagiographis quæ ille reijcit, pro rejectis. Ergo Apocalypsis Ioannis est somnium, epistola Iacobi straminea, epistola ad Hebræos notha, secundus liber Machabæorum impius. Ergo licet truncatas sententias citare, & quæ nusquam sunt, allegare, & negare quæ scripta, vel latiniùs esse contendere, vel dejerare esse supposititia, & subinde mutare propriam sententiam, hodie sic, postridie contrarium dicere. Lutherus quod ipse sit Evangelista & Propheta, dixit in libro de falso statu ordinis spiritualis. De eodem spiritu Eliæ Philippus Pomeranus, Ionas in historia mortui Lutheri. De nothis scriptis Bibliorum ipse Lutherus in primis editionibus versionis suæ, & item alij.

DE mutilatis sententiis & falsò citatis, mille exempla passim reperias. Magnus usus est nunc ejus Lutheranæ topices. Exempli gratiâ. Si proferas exempla Jacobi, Fides sine operibus mortua est: ergo non sola fides justificat: jam Lutheranus respondebit ex hac topicè. Nego antecedens, quia Lutherus alter Elias & verus Propheta dixit, quòd epistola Iacobi sit straminea. Ergo antecedens est falsum. Item cùm Lutheranus virginitatem è cœnobiis volet pellere, sic argumentabitur: Qui ducit, vel quæ nubit, benè facit. Ergo nullus vivat cœlebs, nulla sit virgo, sed benè licet monachis moniales ducere. Si forte causeris, Pauli sententiam truncatè productam,

 quo-

quoniam ſequatur. Qui autem non ducit, melius facit: refutatur hæc objectio ex eadem topice hoc modo: Lutherus Germanicus Propheta & Elias ita citavit iſtum locum: ergo valet conſequentia. Aliud exemplum. Si quis cauſetur, quòd Lutherani Theologi ſingulis pænè annis mutent ſententias Auguſtanæ confeſſionis: & tamen in iſtam inconſtantem Confeſſionē cogant doctorandos & ordinandos ſuos jurare, quòd nunquam eam velint deſerere, ſed tueri & propagare, tanquam verbum Dei: mox reſponſio in promptu eſt ex hac eadem topica, poſterior ſpiritus Lutheri ſemper fuit melior priore. Itaque jam Pelagium licet magiſtrum ſequi, jam Manichæum, & mox alios, prout poſteriora prioribus meliora eſſe dictabit ſpiritus Lutheri. En reſponſum ſtultiloqvum & anile, de tartari incude formatum, ab intellectu depravato cuſum argumentum.

III. TOPICVM PRÆDICAMEN. Lutheranæ Theologiæ.

Solus Lutherus (nimirùm alter Elias & Iudæus egregius) rectè vertit Sacra Biblia. Ergo vetus tranſlatio Latina, & Græca interpretatio. 70. *pravæ ſunt verſiones. Proinde nulla alia tranſlatio legenda in Eccleſia, niſi Mart. Luth. Ita eſt in decreto Lipſenſi, cui Pfeffinger, Melanthon, Pomeranus, Major, Aleſius, & alii ſubſcripſerunt, vel ſic: Eccleſia ad nullam certam verſionem alliganda eſt.*

Ergo

Ergo cuilibet liberum esto, ut pro arbitratu suo vel sic, vel secus vertat textum scripturæ. Ecclesiastæ Tigurini in præfatione novæ versionis suæ.

EST & hoc prædicamentum valdè topicum ad diversorum argumentorum inventionem. Nam quoties evidens textus scripturæ affertur: ut invocetur nomen meum super eos; ergo sunt etiam Sanctis sua suffragia: respondendum ex hac topices regula: Hebraica veritas secus habet: non enim sic vertit Lutherus. Ergo antecedens est falsum. Aliter: ut si ita argumenteris: Dominus est justus noster; ergo nos essentiâ divinâ non sumus justi simpliciter: respondet Osiander ex Tigurinis topicis Ecclesia, ad nullam certam versionem alligata est. Ergo antecedens est falsum. In primis frequens est hujus topici prædicamẽti usus: quotiescunque enim ulteriùs progredi non licet, mox, si neges versionem allegati textûs, vel quia non ita transtulerit Lu. Martinus, vel nemo ullius authoritate versionis debeat teneri, adversario omnem disputandi viam præstruxeris: in infinitum enim malâ textûs versionem causari licebit.

Postea verò quàm Lutherus persvasisset populo, Papistas Evangelium abjecisse, & Luthero fas esse, ut quæ scripta velit, ea liceat sibi, tanquam è Sacris Bibliis reiicere; versionem aggressus est Germanicam, sed ita, ut non possis ambigere, Evangelium Lutheri passim palliatam speciem præ se ferre Biblicæ authoritatis. Sed malam gratiam Præceptori Tigurinæ Scholæ, quæ, nè solus regnaret Lutherus, ut hic unicam versionem suam, sic illi nullam certam extare volebat.

QUAR-

IV. TOPICVM PRÆDICAMEN.
Lutheranæ Theologiæ.

Scriptura Sacra per ſe ſatis clara & aperta eſt, interprete non eget. Ergo quilibet poteſt intelligere illam, & interpretari, tam ſartor, pellio, tonſor, quã Theologus & Epiſcopus. Ergo ſola ſcriptura debet eſſe judex cõtroverſiarum Eccleſiaſticarũ. Luth. in aſſert. & lib. de Eccleſia & Conciliis.

HUjus topici prædicamenti duplex uſus eſt, & quidem longè uberrimus: prior enim eò ſpectat, ut populus non ſolùm non egeat concionatoris inſtitutione, ſed etiam ut queat ipſemet, ſiquidem Scriptura per ſe clara eſt, dilucidare rectè, an ſecus concionatus ſit ſuus Parochus, legitimè, an illegitimè Scripturam explanarint Concilia, Epiſcopi, Pontifices: imò ut cupedinarij ut cetarii, ut lictores (licet nullis ſint imbuti literis) queant Eccleſias regere, ruſticos docere, Sacramenta porrigere, & alia ejuſdem generis officia præſtare, modò clarum textum ſcripturæ per Lutherum tranſlatæ, legere poſſint. Applicatio hujus topices talis poteſt eſſe. Si fortè quiſpiam audiat ſutorem in taberna aut in Templo differentem de myſterijs ſcripturarum, rogetque illum, cum Sacerdos non ſit, nec ad id officii genus inſtitutus, quâ fronte audeat tale ſibi munus uſurpare: ibi ille huius topices authoritate ſubnixus, ita reſponderit: Scriptura Sacra per ſe clara eſt, omnes ſumus *Theologi*. Ergò æquè mihi integrum eſt, interpretari ſcripturam, & tractare Verbum Dei, atque Doctori cuipiam. Hac

è to-

è topica prosiliunt hoc tempore, tanquam ex equo Trojano diversi generis Doctores Ecclesiarum, pelliones, vestiarij, fullones, cerdones, fabri, coci, gladiatores, lictores, carnifices, aliiqué ejusdem farinæ consimiles: quorum nunc curæ committuntur Ecclesiæ passim: nec aliud, si fortè quæras, cur id fiat, respondetur, nisi quoniam Scriptura Sacra per se clara est, & omnes sumus *Doctores*. Itemque illud, Spiritus spirat quò vult, hoc est, tam sutori inspirat tractanti corium, quàm Theologo Biblia versanti penitorem intellectum scripturæ. Ex hac topica sic, argumentabatur Thomas Monetarius: Christiani sunt liberi: rustici sunt Christiani: ergo sunt illi liberi ab omni onere & servitute suorum Dominorum. Ex eadem & Bernardus Rothmanus sic collegit: Sola fides justificat: ergo baptismus non est necessarius. Admoniti autem illi, quod scripturam non rectè intelligerent, respondebant, Verbum Dei per se clarum esse, interprete non egere.

Secundus ejusdem prædicamenti usus est duplex, ut negativè hinc possis, & affirmativè argumenta ducere. Negativè in hunc modum: Scriptura Sacra per se satis clara est. Ergo non opus est subtili Scholasticorum disputatione, nec arduis illis Sanctorum Patrum interpretationibus, multòminùs decretis Conciliorũ. Vigore hujus topices possunt omnia Concilia præterita & futura, omnis labor Sanctorum Patrum, & universum interpretandæ Scripturæ Sacræ ministerium tolli. Quemadmodum etiam Philippum Melanthonẽ scimus fecisse, quando docendi munus è Scholis sustulit, & cum scripsit, nihil velle recipi, præter solam Scripturam. Unde Philippi præfationem, ad Georgium Spolatinum in canones Apostolorum, & præfationem Lutheri, in annotationes Philippi. Affir-

Affirmative ſumuntur argumenta ex eadem topice, Scriptura Sacra per ſe clara eſt. Ergò ſola Scriptura debet eſſe Judex Eccleſiaſticarum controverſiarum. Exemplum, Oſiander contendit hominem juſtum fieri eſſentiali juſtitiâ Dei realiter. Magdeburgenſes contra, imputativâ juſtitiâ & relativè tantùm. Quid in ea controverſia ſtatuendum? hi relationem ponunt quippe entitatis ſummum. Secundum hanc quidem topicen, Scriptura debet eſſe judex, ſed hæc neutrum vel affirmat vel inficiatur qui eâ igitur erit judex, quando tacet ad utrumque? Philippus uſum hujus topices oſtendit eô pactô, Quoniam Scriptura judex tacet ad utrumque, ergo condemnat neutrum? unde conſequitur, quòd inter utramque ſectam facere *concordiam* præſtet, quàm lites facere inextricabiles. Quanquàm Illyricus eam inter ipſos Amneſtiam ægrè fert, credo, ſiquidem uſum hujus topices nondum rectè didicerit. A peritis animadverſum eſt, Lutheranos hoc topico prædicamento rectiùs uti poſſe adversùs Catholicos: quod hi orthodoxam ſcripturæ interpretationem urgeant, quàm adversùs Judæos, Anabaptiſtas & Arrianos quòd iſti ſolùm poſtulent ſcripturæ textum. Nam ſi his obſeceris, ſcripturam per ſe ſatis claram eſſe, mox idem ipſi in Lutherum ſtatuent, quod ipſe in illos;

V. TOPICVM PRÆDICAM. Luther. Theologiæ.

Major eſt authoritas ſcripturæ, quàm Eccleſiæ. Ergo quidquid Eccleſia dicit contra Lutheranos, id ſemper minùs verum eſt, minùſque authoritatis habet, quàm

quam si scriptura diceret. Luth. in lib. de concilijs & Ecclesia.

EſSt & hujus topici prædicamenti duplex uſus argumentandi, unus negativè, affirmativè alter: Negativè ſic: Prudentia carnis, eſt inimicitia adverſus Deũ. Ergo virtus nihil aliud eſt, quam peccatũ. Philip. in ſuis in Paulũ annotationibus ita argumentatur. Tu ſi conſequentiam neges, quia non ſic ſoleat Eccleſia locum Pauli exponere: tum ille confeſtim ex hoc ſuo topico: Major eſt authoritas ſcripturæ, quam Eccleſiæ. Ergo expoſitio Eccleſiæ, non valet. Et ſic in omnibus aliis ſimiliter.

Affirmative: Major eſt authoritas Scripturæ quàm Eccleſiæ. Sed quia nos (inquiunt) ſeqvimur ſolam Scripturam: ergo noſtra authoritas eſt major, quàm Eccleſiæ, quam omnium aliarum gentium. Ecquid non valdè topicè? Fraudem hanc animadverte ſtudioſe lector. Etenim in hac quæſtione: Eſtné major authoritas Scripturæ, quàm Eccleſiæ: nôrit pius lector, non id in litem vocari, quaſi Catholici velint magis verum eſſe, quod Eccleſia dicit, quàm quod ſcriptura. Non hoc quæritur, inquam, ſed illud, quia verbum Dei eſt veritas, ſitné hoc magis verum, ſi ſcriptum ſit in papyro, an ſi inſculptum in corde Eccleſiæ: etenim plus uno verum eſſe non poteſt in eadem re. In hac quæſtione non eſt lis de veritate, utrum hæc in ſcripturis major ſit, an in carneis libris Eccleſiæ (utrobique enim oportet eandem eſſe) ſed lis eſt, quoad præſtantiam ſubjecti, hoc eſt, utrum nobilius vas ſeu ſubjectum veritatis ſit, vivum cor Eccleſiæ, an vero chartaceæ membranæ ſcripturarũ, & an major authoritas vivo pectori

Ecclesiæ tribui debeat, an mortuis membranis & literis scripturæ: minor haud dubiè his, illi major. Hinc dolum Lutheri æstimari licet.

VI. TOPICVM PRÆDICAMEN: Lutheranæ Theologiæ.

Concilia & SS. Patres errare potuerunt. Ergo legendi sunt cum judicio, ut eatenùs probentur, quatenùs cuilibet ex privato judicio (sed tamen secundùm sensum Lutheri) videantur congruere cum scripturis sacris. Lutherus lib. de Concilijs & Ecclesia.

Bifariam ex hoc topico argumenta licet promi, negativè & affirmativè. Negativè sic: Concilia & SS. Patres errare potuerunt, ergo Concilium Nicœnum impiè sancivit legem de cœlibatu: impiè Milevitanum, quòd gratia non solùm nobis fidem afferat, ut scire possimus, quid lex Dei nos jubeat facere, verùm etiam auxilium præstet, ut facere valeamus: nec rectè Toletanum, quòd alij pro justitiæ meritis vitam æternam percepturi sint; alij pro peccatis æternum supplicium. Eadem ratio est argumẽtandi contra sententias Sanctorum Patrum, & omnia decreta Ecclesiæ: ut si non placet quod affertur, mox ex hac topicè proferas: errare potuerunt Concilia, contraria docuerunt Sancti Patres, non ergo illorum authoritate tenemur.

Ducuntur hinc argumenta affirmativè: sed per hoc & id genus alia axiomata Lutherus & hujus Discipuli, cunctique Lutherani, eò videlicet, quia habent spiritum Evangelicæ libertatis, ut liceat, quod libet, errare non pos-

possunt, ergo ipsi soli rectè intelligunt scripturam sacram, soli rectè interpretantur, soli concordes sunt, soli inter sese de vero scripturarum sensu nusquam discrepant. O quintum Evangelistam! aut octavum Sapientum.

VII. TOPICVM PRÆDICAMEN: Lutheranæ Theologiæ.

Veritas Evangelij non alligatur ad ullam certam aut temporis, aut locorum, aut personarum successionem. Ergo veritas Evangelij non tenetur esse Catholica, ut dispersa sit ubique in Christiano orbe, & semper inde ab Apostolicis temporibus continuata existat. Lutherus passim de Ecclesia, & contra Papatum; Philippus in locis, & alibi.

ROBustissimè ex hoc prædicamento argumentari solent Evangelici, & quidem in utramquè partem: sed robustiùs negativè, affirmativè aliquantò verecundiùs. Negativè, si quando objicitur, communem Scripturæ sacræ intellectum pertinere ad fidem Catholicam, privatam Scripturæ opinionem, hæresim esse: ad eam sanè objectionem & similes, efficacissima argumenta ex hoc septimo prædicamento proferuntur in hunc modum: Quòd neque locorum universitati, neque continuatæ sæculorum successioni alligatum est, id non oportet esse Catholicum. Sed veritas Evangelij non est alligata, neque locorum, neque temporum successioni. Ergo Evangelij veritas non tenetur esse Catholica: nec ullus nobis est Catholicus Ecclesiæ

conſenſus neceſſarius. Minor ſic probatur: Quia veritas Evangelij modò hîc latitat, modò illic, nimirum non uno in loco aſſidua eſt, nec floret conſpicua ſemper; aliàs enim, penitus extincta nuſquam apparet, aliàs reſuſcitatur, ſicut jam factum à Luthero eſt.

Affirmativè: Veritas Evangelij nulli certo vel loco, vel tempori alligatur. Ergo ſolummodò Wittenbergæ cœpit Evangelij veritas ante annos quadraginta, primùm in lucem prodire, cùm anteà annis quadringentis eſſet extincta. Vel ſic: Ubiqué multi errores ſunt & fuerunt. Ergo apud ſolos Wittēbergenſes veritas remanſit, & nulli apud iſtos ſunt errores.

Sed hæc affirmativa argumentandi ratio, neſcio quid poſſet inſignis arrogantiæ præ ſe ferre: proinde ſatius fieri videtur antecedens nudum ponere, & conſequentiam relinquere lectori tacitè colligendam: quemadmodum Philippus artificiosè conſuevit facere.

VIII. TOPICUM PRÆDICAMEN: Lutheranæ Theologiæ.

Videte, ne quis vos decipiat per inanem Philoſophiam. Ergo ſi quod argumentum urgens obijcitur ab adverſario, reſpondendum, quod ſit ſophiſticum, quod ſit inanis philoſophia. Nuſquam non hoc argumentandi modô uſi ſunt Lutherus & Philippus.

IN utramque partem & hoc prædicamentum ſuppeditat argumentandi copiam. Affirmativè, ſed per contrarietatem oppoſiti: Juſtificari hominem per fidem,

quæ

quæ efficax eſt per charitatem, eſt inanis philoſophia, & ſophiſma. Ergo ſolâ fide juſtificamur ; vel per compendium : Sophiſtica repudianda ſunt. Tota ſcholaſtica doctrina eſt ſophiſtica, ergo tota ſcholaſtica doctrina repudianda eſt. Minor probatur: quia cavendum, nè quis nos decipiat per inanem philoſophiam. Negativè: Sophiſma eſt, quòd devitare hæreticum, ſit illum de vita tollere, ergo ſunt Hus & Servetus comburendi, tanquam Hæretici.

Valdè nunc eſt, & fuit anteà hoc prædicamentum topicum frequens; etenim hinc Melanthon quondam & Caroloſtadius occaſionem ſumpſerunt, ut hic Wittenbergâ relictâ in proximo pago ex oratore repente fieret arator & ruſticus : ille perſvaderet ſuis ſcholaſticis, ut philoſophiæ literarumque ſtudiô abjectô , ſeſe ad aliquod mæchanicum opificium conferrent: philoſophiam enim inanem eſſe, Deo non placere, cum omnes ſimus *Theodeidactoi ex natura ſtupidi*, crediderunt id plerique. Scimus enim alicubi inſignes urbes, in quibus juventus adeò à literarum ſtudio ſubtracta fuit, ut ad biennium ſcholæ omnes vaſtæ relictæ fuerint : donec Lutherus ex Pathmo reverſus, alterum corrigeret, eijceret alterum è Wittenbergenſi ditione. Itaque Lutherus uſum hujus topices ita conſtituit: ut quoties urgens aliquod argumentum objectum ſit à Catholicis, reſpondeatur ex hac topice : eſt ſophiſticum, eſt inanis philoſophia : Taceat mulier in Eccleſia. Contraque, ſi ipſe aliquod poſſet dentatum ſophiſma objicere Catholicis, ibi ut eſſet vera, non inanis philoſophia : ibi ut liceret mulieri loqui in Eccleſia. Nimirum, ut in eo apologo eſt (quo Demoſth. ſcimus uſum adverſus Alexandrum) lupi petunt ab ovibus, canes ſubmoveri à caulis, quod hi ſint rixoſi,

 quod

quòd pacem perturbent. Non secus nunc scholasticā Theologiam ab Ecclesia removeri volunt Lutherani tanquam rixosam mulierem, sophisticē, ut Ecclesiam illâ custode desertam, lupi rapaces eò possent oportuniùs dilaniare.

IX. TOPICVM PRÆDICAMEN: Lutheranæ Theologiæ.

Quod non habet expressum mandatum in scripturis, hoc non est admittendum. Ergo nulli canones, nullæ traditiones, nullæ leges humanæ, de quibus expressum mandatum in scripturis non extat, debent admitti. Philippus in Loc. & passim. Lutherus in librô de abroganda missa, & ubiquè.

AB authoritate Scripturæ quidem negativè argumentari fuit olim admodum infirmum, affirmativè firmissimum. Tamen ita nunc Evangelio nuper reperto commodum videtur, usum ejus ut paucis declaremus, esse necessarium existimamus. Negativè sic: Verbum *Omousion* non est expressum in Scripturis, nec illud, *Filiôque* usquam habent sacra Biblia. Ergo non sunt eæ voces ferendæ in Symbolo Athanasiano. Infantes baptizandos esse, non expressit Scriptura. Ergò non baptizandi. Hoc Anabaptisticum est, illud Arianum: sed utrumque bellè habet ex topica Lutheri. Ipsum Symbolum Apostolicum non est expressum in Scripturis : ergo non admittendum. Quin eâdem authoritate posset dici, solâ fide hominem justificari; servum esse arbitrium, bona opera non esse necessaria

ria

ria, *àdeiáphorian peccaminosa* esse; & id genus infinita, in Scripturis expressum mandatum vel textum non habent. Non admittenda igitur. O quanta insania nostra! sed quantò suaviùs de his D. Basilius Magnus? De ijs quidem, inquit, quæ scripta sunt, nulla potestas data est omnino, ut aliquid faciat eorum, quæ prohibita sunt: aut omittat, quæ præcepta: de illis verò, de quibus tacet Scriptura, canonem nobis præscribit D. Paul. cum ait: Omnia mihi licent, sed non omnia conducunt. Utinam vetustas nobis placeret, displiceret novitas; ne idem ab alijs nationibus cogamur nos Germani audire, quod Græci quōdam ab Aegyptijs: inconstantes Græci, semper græcâ fide mercantur, sicut Protheus partes se versant in omnes.

X. TOPICVM PRÆDICAMEN: Lutheranæ Theologiæ.

Tollite malum à vobis, inquit D. Paulus. Ergo usus rei, & adeò res ipsa tolli debet propter rei abusus. Et per consequens, propter malos mores Sacerdotum, tollendum erit sacerdotium. Lutherus cùm alibi passim, tùm in lib. contra Papatum.

AFfirmativè hoc topicum valet potissimè apud evangelicos, apud Catholicos negativé in contrarium. Sed quoniam pro illis nunc contra hos agitur, affirmativè sint exempla ejusmodi: Cœlibatûs & virginitatis lege abutuntur Sacerdotes, & Monachi; ergo cœlibatus & virginitas abrogetur. Episcopi & Principes abutuntur potestate suâ: ergo tollantur Principes & Episcopi, & horum ditiones, & dignitates, & bona Ecclesiastica rapiantur in usum prophanum.

num. Lutherus quidem ejusmodi exempla pleraque in libris infarsit suis; at praxim hujus topices admodùm frequentem passim in aulis reliquit.

Commemorat Plutarchus Lycurgum rogatum, quam ferret de vitium cultura legem? respondisse, nullam aliam, nisi ut vites penitùs extirpentur, cùm vini abusus multorum malorum causa sit & occasio. Rogatus eadem de re Solon, sed hic, vitem, inquit, colito, & fontem adducito propius. Forsitan humaniùs nos Germani Solonem imitaremur, quàm Turcæ Lycurgum: idque non tam in vini usu duntaxat, sed multò magis in legitimis sacrarum rerum constitutionibus; quarum sanctiones venerari debebamus, abusum suis relinquere magistratibus corrigendum. Nam ut Episcopis dictum est: Tollite malum ex vobis, etenim hi debent mores Cleri corrigere, abusum tollere, rem tueri incolumem: sic Laicis est mandatum, ut sinant zizania crescere. Id autem commune omnibus præceptum, ut hæreticum hominem vitemus. Cujusmodi igitur discrimen sit inter zizania morum, & hæresim doctrinæ, liquidò expressit David: odisti inquit omnes, qui operantur iniquitatem: perdes autem, qui loquuntur mendacium. His ergo ne dicas, Ave, vetat Deus; quia exitiò, digni sint: illos præcepit, ut toleres, licet digni sint odiò. Tantum itaque est inter malos mores Cleri & hæresim; quantum inter odium & præsens exitium.

Hæc fere sunt, quæ de top. præd. Luth. theol. nunc per otium annotanda videbantur. Postea ubi plus accesserit occasionis, erit lucupletandi opportunitas. Tametsi non dubito, fore hujus nostri tyrocinij æmulos, qui quemadmodum solet fieri, inventis aliquid addi posse, non intempestive cogitabunt.

META-

METAPHYSICA
SeuTranſcendentia quædam, collecta ex Apologia Confeſſionis Auguſtanæ.

I. METAPHYSICVM ex APOLOGIA. *Confeſſionis Auguſtanæ.*

DE juſtitiæ fidei omnia Templa, Monaſteria, Scholæ, denique omnes Libri Theologorum recentium antea muti erant, ergo fides Catholica extincta fuit, nunc autem per Evangelium Lutheri reſuſcitata. Tametſi autem Catholici evincunt, quod Eccleſia Catholica neutrum probarit unquàm, tamen quia Lutherus Propheta Elias, aytòs épha, ideo oportet verum eſſe credere. En primum eorum Principium Metaphyſicum ut ajunt, ſed prorsùs ſtupidiſſimum.

II. METAPHYSICVM Ex APOLOGIA. *Confeſſionis Auguſtanæ.*

SCholaſtici Doctores ſecuti Philoſophos, tantùm docent juſtitiam rationis videlicet, civilia opera; ergo jam annis quadringentis aut plùs etiàm, extinctum fuit Evangelium, & unà cum fide ipſa Eccleſia. Quàmvis evincunt Catholici, quòd Eccleſia Catholica neutrum probârit unquàm: tamen quia Lutherus Propheta Elias, aytòs èpha, neceſſe eſt, ut credatur eſſe verum. En ſecundum eorum Principium, quod finem errorum neſcit.

III. METAPHYSICVM ex APOLOGIA. *Confessionis Augustanæ.*

PApistæ docent, quòd ratio sine Spiritu Sancto possit diligere Deum supra omnia. Ergo non opus esse ullô Christi beneficiô, sed Christum sepeliunt & frustrà mortuum contendunt. Quanquàm Catholici evincunt, quòd Ecclesia Catholica neutrum probârit unquàm (tametsi Scotus in eam sententiam locutus videtur, licet non ità præcisè) tamen quia Lutherus Propheta Elias, necesse est, ut credatur esse verum. En tertium Principium temerariissimum.

IV, METAPHYSICVM ex APOLOGIA. *Confessionis Augustanæ,*

PApistæ docent, quòd inter Philosophicam & justitiam Christianam. Nihil intersit: Ergo Papistæ docent Ethnicã & Idololatricam fidem non Christianam Quanquã Catholici evincunt, quòd Ecclesia neutrum probârit unquàm, tamen quia Germanicus Elias ita testatur, & *aytos Epha* ergo necesse est, ut credatur esse verum. En quartum principium doctrinæ eorum iniquissimæ.

V. METAPHYSICVM ex APOLOGIA *Confessionis Augustanæ.*

PApistæ docent, quòd per opera nostra mereamur remissionem peccatorum. Ergò docent Christi gratiam non esse Christianis necessariam. Et quamvis Catholici evincunt quòd Ecclesia Catholica neutrum probârit unquàm, tamen quia Lutherus ita te: statur & *Propheta* necesse est, ut credatur

esse

esse verum. En quintum principium, imposturam facientis Catholicis, Theologiæ sophisticæ Lutheranæ.

VI. METAPHYSICVM ex APOLOGIA *Confessionis Augustanæ.*

PApistæ solam historicam fidem docent, assensum omittunt; ergo docent nullam certitudinem esse fidei, nullam certam consolationem esse posse ex dubia & historica fide; & quàmvis Catholici evincunt, quod Ecclesia Catholica neutrum probârit unquam: tamen quia Lutherus, Propheta. Elias idcirco oportet, ut credatur esse verum. En Sextum eorum principium ex quo impiissimo, quales falsissimas propositiones formare ipsis liceat? nemo non videt sanus.

VII. METAPHYSICVM Ex APOLOGIA *Confessionis Augustanæ.*

PApistæ docent, quòd ad pœnitentiam non requiratur fides. Ergo docent, quòd contritione Judæ homines possint justificari. Tametsi quidem Catholici negant, Ecclesiam unquam exclusisse fidem à pœnitentia, sed docuisse semper, ex fide & spe & charitate pœnitentiam proficisci oportere: tamen quia Elias Germanicus ipse dixit, necesse est, ut credatur esse verum. En septimum mendacium.

VIII. METAPHYSICUM Ex APOLOGIA *Confessionis Augustanæ.*

PApistæ docent, quòd propter contritionem mereamur remissionem peccatorum, ergo docent, non gratis nos justificari propter Christum. Tametsi Ca-

 tholici

tholici evincunt, quòd Ecclesia Catholica neutrum probarit unquam, tamen Propheta Lutherus; idcirco oportet, ut credatur esse verum. En octavum principium falsissimum.

IX. METAPHYSICUM Ex APOLOGIA *Confessionis Augustanæ.*

PApistæ docent, posse hominem Divinæ legi ex propriis viribus, absque gratia Christi satisfacere; ergo docent naturam corruptam non esse, & extenuant peccatum originale, *Kai Pelagianismus nihil nocuisse.* Tametsi Catholici evincunt, quod Ecclesia Catholica neutrum probârit unquàm: quia Lutherus *Propheta*, est verum igitur, quod dicit. En nonum Pelagianum dogma, impiè Catholicis inustum.

X. METAPHYSICUM Ex APOLOGIA *Confessionis Augustanæ.*

PApistæ docent, quòd vitam æternam proprijs meritis & operibus, & virtutibus suis possit homo promereri, ergo docent Ethnicam idololatriam, & simul Christum, & Paulum conculcant. Tametsi Catholici evincunt, quòd Ecclesia Catholica neutrum probârit unquàm: tamen quia est *Propheta* Lutherus, verum igitur. En ultimum erroneum principium.

Has sanè generisque ejusdem consimiles calumnias plurimas confinxit Lutherus in Ecclesiam, ut illis adeò portentosis omnemque Christianæ mentis captum transcendentibus mendacijs, Clerum oneraret apud imperitam multitudinem: cum tamen nullâ ullius hominis, sive docti, sive indocti oratione possit edoceri, Ecclesiam Catholicam quidquàm eorum, quæ

ille

ille ſcelerate commentus eſt, comprobaviſſe unquàm. Quapropter negamus, & ſi opus ſit millies eadem repetentes negamus, Eccleſiam iſta quæ falsò in Catholicum cœtum comminiſcitur Lutherus, aut ſenſiſſe aut docuiſſe ullô tempore. Omnes igitur pios & cordatos viros oramus per fidem Chriſti, ne ſeditioſis hominibus hæc iſta flagitia citra ullum probabile argumentum jactantibus, fidem habere velint: nunquàm enim probabunt quòd aſſerunt, nunquàm obtinebunt ullô piorum hominum judiciô, quòd ſine ullâ ratione, aut teſtimonijs aſſeverant. Monſtra enim Lutheri ſunt hæc, non dogmata Eccleſiæ. Sed fingit ipſe tales Chimæras, & cum his ſuis portentis abs ſe confictis, dum depugnat, fraudulenter ſimulat, ſe propugnare Evangelium Chriſti.

SECUNDA PARS LIBRI

De Materia Lutheranæ Theologiæ.

PRÆCIPVA CAPITA Lutheranæ Theologiæ ſunt quinque.

Primum, de doctrina fidei.
Secundum, de Sacramentis.
Tertium, de Eccleſia.
Quartum, de civili poteſtate.
Quintum, de bonis Eccleſiaſticis.

Doctrina fidei.

DOctrina fidei potiſſimùm eſt de Deo, & homine. Etſi autem de Deo quæſtiones paſſim reperiantur propemodùm infinitæ, de quibus Theologi non inutiliter inter ſe conferre ſolent, ut ijs recte explicatis aliæ contentiones eò faciliùs poſſint explanari: tamen id jam non agitur, quòd omnia velimus, ſed ea duntaxat afferre in hunc locum, quæ ſylvam quaſi præſentium controverſiarum comprehendant & proponant ob oculos: ut imperitiores videant, quid Lutherus novarit, quo progreſſus ſit & quàm longe ejus Magiſtri ſucceſſores & diſcipuli à primis Lutheri inſtitutis, atque ab ipſa confeſſione Auguſtana pedetentim diſtracti proſilierint.

Hæ-

Hæreſes in doctrina de Deo.

SErvetus nuper ſuppliciô affectus, fertur negaſſe Deum eſſe Trinum, & alia pleraque ejuſdem generis ſimilia.

Mathias Flaccus Illyricus negat unquam in ſcripturis Sacris vocabulum Verbum, uſia, & Trinitas, reperiri in tali ſignificatione, ut Perſonam Trinitatis Divinæ ſignificet. Philippus Melanthon, in ſua epiſtola ad concionatorem Barbenſem M. Warmerum.

Hæreſes ſeu Novæ opiniones Lutheranorum de doctrina hominis.

QUo res tota fiat illuſtrior placet doctrinam de homine in quatuor ſtatus partiri, ut Primus ſit de homine nondum lapſo, & de gratia Paradiſi: Secundus de homine lapſo, & de lege Moſis: Tertius de homine inſtaurato, & de Evangelio: Quartus de homine extra omnem moleſtiam conſtituto, & beato, & de felice Patria.

De Primo Statu hominis.

De Imagine Dei.

AFfirmant Lutherani, quòd ea Dei Imago, quàm D. Paulus virum appellat, ſit incarnatum Verbum ipſeque adeò Ieſus Chriſtus, Filius Dei & Mariæ. Et quemlibet hominem, dum Chriſtum induat, eandem Dei Imaginem fieri: ſcilicet eandem (ſicut ipſe Oſiander exponit) ſpecie, non numero. Oſiander in ſuo

suo libro, quem de Imagine Dei inscripsit, error Manichæus & Apollinarius.

In contrarium asserunt, quòd Imago Dei sit in mente vera notitia Dei, in voluntate ardens dilectio & obedientia. Phil. Melanthon in lib. de anima. Confusio Imaginis & similitudinis Dei.

Affirmant, quòd Imago Dei non ad solam mentem hominis, sed etiam ad corpoream hominis naturam pertineat. Osiander in eodem lib. Luth. in Comment. in Genesim, error Audianus.

In contrarium asserunt, quòd imago Dei sit cœlestis illa puritas, quàm spiritus noster habiturus est in felice Patria cum Deo conformem. Calvinus institutionis suæ cap. 2. Confusio peregrinationis præsentis, & futuræ felicis Patriæ.

De Iustitia Originali.

AFfirmant, quòd Numa, Scipio & similes viri Ethnici, Deo ad vitam æternam accepti fuerint propter egregias illorum & naturales virtutes. Ulrichus Zwinglius, teste Luthero in ultima Confessione sua de Eucharistia adversus Svermeros. Error Pelagianus.

De secundo Statu hominis.

De Lege.

AFfirmant, quod lex neque ante, neque post justificationem sit necessaria ad salutem. Ministri Saxonicarum Ecclesiarum suo in Georgium Majorem damnatorio lib. Joan. Agricola in collect. sententijs Lutheri. Error Manichæi, & Marcionis.

In contrariùm afferunt, quòd lex ſit neceſſaria. Lutherus in ſuis diſputationibus contrà Antinomos.

Affirmant, quòd decem præcepta ad nos non pertinent, ſed ad ſolos Judæos. Lutherus in ſermone de Moſe. Error Manichæus.

In contrariùm afferunt, quòd decem præcepta diligenter prædicari debeant: in eis enim omnia bona opera contineri. Luth. in viſitatione Saxon: & in diſputationibus contra Ioannem Agricolam.

De Peccato.

AFfirmant, quòd peccatum ſit res quædam rea, exiſtens in homine. Lutherus in aſſertion: contra Leonem. Philip. Melanthon in Locis communibus. Error Manichæus.

In contrariùm afferunt, quòd peccatum originale ſit morbus duntaxat, non verè, aut propriè peccatum. Ulrichus Zuinglius in libro de baptiſmo. Error omnino Pelagianus.

Affirmant, quòd concupiſcentia & reliqui defectus, ut ignoratio & contemptus Dei, &c. ſint originale peccatum etiam in ſanctis & baptizatis infantibꝰ. Luth. in aſſertionibus contra Leonem, & paſſim. Melanthon in Apologia Confeſſionis Auguſtanæ, & multis alijs in locis. Error Manichæus & Antitaſſamenorum.

In contrarium afferunt, quod concupiſcentia per ſe non ſit peccatum, ſed conſenſus in concupiſcentiam. Lutherus in 4. Pſal. & de ratione confitendi: item in aſſert. art. 2.

Affirmant, quòd omne peccatum ſit per ſe & ſuâpte naturâ mortale, per ſe nullum veniale. Luth. in

art. per Theologos Parisienses, damnatis. Calvinus institutionis suæ cap. 3. Philipp. in Locis. Error Stoicus & Manichæus.

Affirmant, quòd sola incredulitas sit peccatum, & nulla esse alia peccata præterea. Luth. in lib. de libertate Christiana. Philippus in annotat: in Ioannem, Error Eunomianus.

Affirmant, quòd peccatum verè ac realiter non tollatur per baptismum: sed remitti tantùm, non ut non sit, sed ne esse imputetur. Luth. in assert. Philip. in Locis, & Comment. ad Ro. Error partim Pelagian. partim Manichæus.

De Libero Arbitrio.

AFfirmant, quòd omnia tàm mala quàm bona eveniant ex absoluta necessitate, adeoque quòd Deus sit non solùm causa peccati permissivè, sed effectivè etiam. Luth. in resolut. art. 36. & in assertionibus. & Philipp. in annota. ad Ro. Error Stoicus & Manichæus.

Affirmant, quòd adulterium Davidis, sævitia Mãlij, & proditio Iudæ æquè sint opus Dei, atque ipsa Pauli conversio. Philip. Melanthon in annotat. suis in epistolam Pauli ad Rom. Luther. in libr. de servo arbitrio. Error Stoicus & Manichæus.

In contrariùm affirmant, quòd liberum arbitrium habeat homo. Luth. in explicatione Pater noster, & in lib. visita. Phil. in ult. editione Locorum.

Affirmant, quòd peccet homo, si faciat præcepta Dei non existens in gratia: & quòd bonum opus etiam optimè factum sit veniale peccatum secũdum misericordiam Dei, sed mortale iuxta iustum

Dei

Dei judicium. Lutherus in aſſertionibus. 32. art. Philippus in Apologia confeſſionis.

In contrariùm aſſerunt, quòd homo poſſit liberũ aſſenſum præbere, Phil. in Locis communibus ultimis.

Negant viciſsim, quòd homo poſſit præbere verbo Dei liberum aſſenſum. Ioan. Stoltzius in defenſione Lutheri adverſus Ioachimum Camerarium. Nicolaus Gallus & Illyricus in libro ſuo, quô rationes reddunt, quòd ipſi non ſint authores diſcordiarum inter Confeſſioniſtas, & alibi.

De tertio ſtatu Hominis.

De Evangelio.

AFfirmant, quòd Evangelium prorſus nullam habeat vim legis aut mandati: ſolummodo requirere, ut credamus, cætera opera omnia eſſe liberrima. Lutherus in Comment. in epiſtolam Pauli ad Galat. & in præfatione novi teſtamenti, quòd non ſit aliquod in Evangelio præceptum à Deo. Idem in captivitate Babylonica.

De Diſpoſitione ad gratiam.

AFfirmant, quod nulla præparatio ſeu diſpoſitio ad ſuſcipiendam gratiam Dei ſit neceſſaria; imò quòd contritio præcedens gratiam, ſit peccatum. Lutherus in aſſert. Philippus in Hypoteſibus, in loco de libero arbitrio.

AFfirmant, quod quantò ſceleratior es, tantò citius Deus tibi gratiam infundit: ſi autem adornes te, ut cattus, bonis operibus, ut te Deus acceptet, nihil

efficias. Luth. in ſermon. de piſcatione Petri.

In contrariùm aſſerunt, quòd ad ſuſcipiendam gratiam Euchariſtiæ, opus ſit fide, & pœnitentiâ. Philippus in Locis.

Affirmant, quòd ſola fides iuſtificet & ſalvet hominem, nec ullô bonô opere, nec ullâ lege opus eſſe homini Chriſtiano ad ſalutem, quia nihil perſonam bonam faciat, niſi fides, nihil malam, niſi incredulitas. Lutherus in aſſertionibus, & Philippus in decimo ſexto capite Ioannis. Error Eunomianus.

In contrariùm aſſerunt, quòd ſola fides non ſufficiat, ſed etiam charitate ſit opus. Lutherus de decem leproſis, & ſuper Ionam: & Philip. in Lipſico interim, quòd de vocabulo *Sola*, non velit pugnare.

Affirmant, quòd ſuâ quiſque ſpeciali fiduciâ queat certus eſſe, utrùm ſit in gratia Dei, vel non: nulla habita ratione charitatis, nullâ pœnitentiæ, nullâ bonorum operum. Lutherus de libertate Chriſtiana, & in aſſertionibus art. 1. paſſim.

De Iuſtificatione hominis.

AFfirmant, quòd iuſtificari, ſit abſolvi hominem à peccatis, & illum iuſtum renunciari, non defacto iuſtum fieri, ſed imputativè tantùm: quia verè peccator maneat, & in eo ſolo iuſtificetur, quòd confidit peccatum ſibi non imputari. Philip. in Annot. in 4. cap. epiſtolæ ad Roman. Idem in poſtrema editione in eandem epiſtolam. Et miniſtri Saxonicarum Eccleſiarum in cenſura ſua contra Georgium Majorem. Error Epicureus, & Eunomianus, & Cerdonianus.

In contrarium aſſerunt, quòd hominem intelligi opor-

oporteat justum, id est, reconciliatum Deo facta remissione peccatorum, & acceptum Deo deinde indutum novis qualitatibus. Philippus in ultima editione Commentariorum in epistolam ad Romanos, in ipso argumento epistolæ.

Affirmant, quòd justitia ea, quæ Christi propria est, imputetur homini: & cum Christus sit extra hominem, idcirco hominem in hac vita verè justum esse non posse, Lutherus in tertia disputatione de fide & in quinta contra Antinomos. Error Epicureus.

In contrarium affirmant, quòd Christus per fidē & gratiam in nobis habitet. Philippus in suo scripto adversùs Osiandrum, & in Commentario ad Romanos ultimæ editionis.

Affirmant, quòd ea justitiâ Dei, quâ homo debet iustus constitui, sit neque essentia Divina, sicut Osiander & Suencfeldius voluerunt, neque actio aliqua aut qualitas, ut Papistis placet: sed quòd sit nuda relatio tantùm. Philippus in disputatione ea, quæ habita est præsidente Philippo, & respondente M. Tilemano Heshusio, & in libro examinis. Error Epicureus.

In contrarium affirmant, quòd ea justitia Dei, quâ hominem Deus induit, sit ipsa essentia Divina, & natura. Osiander in lib. Confessionis suæ: & Caspar Suencfeldius in libro, de Evangelio Christi. Error Stoicus & Manichæus.

Affirmant, quòd præter solam fidem nulla sit justitia inhærens in homine iustificato, quæ judicio Dei possit opponi. Philippus in Apologia Confessionis Augustanæ, & in Annotat. 26. cap. Joan. Error Eunomianus.

In contrarium affirmant, quòd homo iuſtus fiat originali & eſſentiali iuſtitia Dei. Lutherus in lib. de triplici iuſtitia.

De diverſis modis juſtificandi hominis.

AFfirmant, quod una ratio ſit iuſtificandi hominis, tàm adulti, quàm infantis, ſcilicet utrobique nihil requiri, niſi ſolam fidem. Miniſtri Saxonicarum Eccleſiarum contra Georgium Majorem. Error Anabaptiſticus.

In contrarium aſſerunt, quòd non ſola fides, ſed bona opera etiam ſint ad iuſtificationem neceſſaria. Georgius Major tum alibi, tum in Commentarijs ad Romanos, & alijs ſuis contra Illirycum ſcriptis.

Aſſirmant, quòd in relapſis neque contritio (quia hæc ſit peccatum) neque pœnitentia ſit neceſſaria ad iuſtificationem, & quòd neque opera pœnitentiæ, neque Sacramenta faciant remiſſionem peccatorum, ſed ſola fides. Lutherus contra Leonem in Aſſertionibus.

In contrariũ affirmant, quòd abſque pœnitentia nulla ſit peccatorum remiſſio, neq; poſſit remiſſio peccatorum abſque pœnitentia intelligi. Lutherus in libro viſitationis: & Georgius Major in 8.cap. ad Roma.

Affirmant, quòd peccata actualia remittantur, non tollantur formaliter, ſed quòd ſolùm tegantur, & verè peccata maneant etiam in Sanctis. Lutherus in quinta diſputatione contra Antinomos: & Philipp. in Apologia.

De

De Officio Hominis justificati.

De impletione legis.

AFfirmant, quòd homo Christianus liber sit ab omni legis observatione, ab omnibus bonis operibus: quòd Deus hæc neq; præceperit, neque vetuerit: quòd his etiam ipse non indigeat, sed sola fides ea omnia largiatur abundè. Lutherus in lib. de libertate Christiana, & alibi passim: & Ministri Saxonicarum Ecclesiarum in Georgium Majorem.

Affirmant, quòd omnia præcepta in Evangelio vim mandati habeant, & nulla sint in eo consilia. Philippus in Locis.

In contrariùm negant ullum esse in Evangelio præceptum. Lutherus in præfatione novi testamenti.

Affirmant, quòd lex Dei nobis planè sit impossibilis, etiam Sanctis: sed nos eam implere solâ fide, nullô opere. Lutherus in articulis damnatis per Parisienses Theologos.

In contrariùm asserunt, quòd vitæ Christianæ sit, bona opera facere: idcirco enim Decalogum proponi & prædicari oportere. Lutherus in visitatione Saxonica.

Affirmant,, quòd Deus ipse in nobis faciat & impleat opera legis, non nos. Lutherus in lib. de libertate Christiana.

In contrariùm asserunt, quòd nos oporteat inchoare divinæ legis opera. Philippus in Locis communib.

Affirmant, quòd homo iustificatus vel sanctus, sit simul peccator & iustus, & bona opera, quæ faciat, æquè mala esse, ac bona. Lutherus in Assertionibus contra Leonem. *De*

De Satisfactione.

AFfirmant, quòd nulla satisfactio (scilicet pro mitiganda pœna temporali, ut Catholici censent) sit necessaria in remissione peccatorum, imò quòd sit omninò impossibilis. Lutherus in Assertioni 9. Philippus in Apologia, & passim.

In contrariùm asserunt, quòd vetustissima Concilia rectè statuerint modum pœnitendi & satisfaciendi pro peccatis. Lutherus in Resolutionibus suis, & in Assert.

Affirmant, quòd neque charitas, neque pœnitentia, neque ulla bona opera sint necessaria ad salutem. Lutherus in commentario ad Galatas: & Ministri Ecclesiarum Saxonicarum in Georgium Majorem in sua censura.

De Merito.

AFfirmant, quòd nullus sit respectus sive bonorũ, sive malorum operum. Philippus in 3. cap. Ioannis, Annotationum suarum.

In contrariùm asserunt, quòd bona opera mereantur præmia præsentis vitæ & futuræ. Philippus in locis communibus de præmijs operum.

In contrariùm asserunt, quòd opera bona in gratia Dei facta, vitam consequantur æternam. Lutherus in Assertion. artic. 29.

De quarto Statu Hominis in felici Patria.

AFfirmant, quòd Sanctos oporteat eâ justitiâ, quâ Deus ipse essentialiter iustus est, fore iustos in cœlesti Patria. Ioannes Brentius suâ ad Ducem Wittenber-

tenbergensem epistolâ editâ Wittenbergæ. Anno. 1557.

Affirmant, quòd idololatria sit interpellare Sanctos iam cœlesti Patriâ fruentes, ut velint pro nobis intercedere. Lutherus in Assertionib9 & passim. Philippus in Apologia.

In contrarium asserunt quòd meritum quidem Christi sit thesaurus Ecclesiæ, certùm tamen esse, Sanctorum meritis juvari nos. Lutherus in decima conclusione adversùs Eccium.

Affirmant, quod animæ Sanctorum nondum, nisi post resurrectionem, possint frui cælesti Patriâ & conspectu Dei: sed eas retineri in aliquo loco, in quo quasi quiescant: Sanctorum quidem animæ suaviter, damnatorum verò irrequietè formidolosè Luth. in prælect. Gene.

De Christo justificante.

Affirmant, quòd Christus justificet genus humanū secundùm solam Divinam naturam. Osiander in libro confessionis suæ. Error Nestorianus.

In contrarium asserunt, quòd Christus justificet genus humanum iuxta solam humanam naturam. Franciscus Stancarus, contra Andream Musculum Francfordiensem concionatorem scribens. Error Arianus.

Affirmant, quòd Christus etiam passus sit secundùm Divinam naturam. Andreas Musculus ex sententia Lutheri, edita Francfordiæ ad Oderam. Error Valentinianus.

Affirmant, quod postea quàm Christus ascendit in Cœlum, humana ejus natura sit conversa in Divinam. Caspar Svencfeldius in libello Latino de duobus statib. Christi. Error Eutychianus & Dimæritarum.

De Sacramentis.

NEgant esse septem Sacramenta. Lutherus in libro de captivit. Babyl. error Catharorum.

In contrarium asserunt, quod sint septem Sacramenta. Lutherus lib. de potestate Papæ.

Affirmant, quod si juxta Scripturam loqui velimus, unum sit tantùm Sacramentum. Lutherus in libro de captivitate Babylonica.

In contrarium asserunt, quod duo tantùm sunt Sacramenta, Baptismus & cœna Domini. Lutherus ad Waldenses. Philippus in Annotationibus ad Rom. in 11. cap.

Affirmant, quod tria sint Sacramenta ponenda pro tempore, Baptismus, Cæna Domini, & pœnitentia. Lutherus in libro de captivitate Babylonica. Philippus in secunda editione locorum communium.

In contrarium asserunt, quod Sacramenta sunt quatuor: Baptismus, Cæna Domini, claves, & impositio manuum. Philippus in postrema editione locorum.

Affirmant, quod hæretica sententia sit affirmare, Sacramenta gratiam conferre eis, qui non opponant obicem. Lutherus in assertionibus, & resolutionibus contra Eccium. Fons erroris Svencfeldiani, & antiqvus error Armenorum.

De Baptismo.

AFfirmant, quod Baptismus non sit plùs, quàm externum signum. Lutherus in sermone de recumbētibus, error Zvinglianus & Albanensium.

In contrarium asserunt, quod detestandi sint Suermerij, qui Sacramenta tantùm habeant pro externis signis:

gnis: quibus Christiani signentur, quasi oves creta rubra. Lut. in epist. adversùs Regem Angliæ.

Affirmant, quod in puero post Baptismum negare remanens peccatum, sit Christum & Paulum simul conculcare. Lutherus in assertionibus. Error Armenorum Albanensium.

In contrarium asserunt, quod Baptismus omnia peccata remittat. Lutherus in libro de captivitate Babylonica.

Affirmant, quod præstat prorsus omittere Baptismũ parvulis, quàm baptizare sine fide, quoniam Sacramẽta neque possint, nequé debeant sine fide accipi. Lutherus ad Waldenses. Error Eucetarum, qui solam orationem dicebant sufficere. Fons Anabaptistarum.

De Confirmatione.

NEgant confirmationem esse Sacramentum. Lutherus de potestate Papæ, error Viclephi, & Piccardorum.

De Eucharistia.

NEgant verùm & substantiale Corpus Christi porrigi aut sumi in communione Eucharistiæ. Zvinglius de verbis cœnæ Domini. Tigurina Ecclesia cõtra ultimam confessionẽ Lutheri. Calvinus in libello confessionis, Error Berengarianus.

Affirmant, quod Corpus & Sangvis Domini accipiendum in verbis cœnæ Dominicæ per metonymiam, & mystycè, non realiter. Ioannes Calvinus in lib. contra Ioachimum Westphalum.

Negant panis & vini substantiam transelementari in Corpus & Sangvinem Domini. Lutherus contra

Regem Angliæ, & de captivitate Babylonica: & Philippus, & omnes Lutherani.

In contrarium asserunt, quod panis in verum & naturale Corpus Christi, & vinum in verum & naturalem sangvinem Christi transmutatur. Lutherus in sermone de Eucharistia, & in lib. visitationis.

Negant Eucharistiam extra usum communionis esse Sacramentum. Philip. in locis.

Affirmant, quòd Iudas & alij impij non accipiant verum Corpus Domini. Svencfeldius in libro de Cœna Domini: & Calvinus contra Westphalum.

Negant sub una specie rectè participari integrum corpus & sanguinem. Lutherus in libro de captivitate Babyl. Idem clamitant omnes Lutherani.

In contrarium asserunt, quòd sub una specie æquè, ac sub utraque integer Christus cum corpore & sanguine exhibeatur. Lutherus respondens suis Collectoribus, in catalogo sententiarum, & in declaratione Eucharistiæ.

Ac iterum asserunt, quod neutra species, sed sola fides sit necessaria ad salutem. Lutherus in assertionibus artic. 16. & de formula missæ. Fons Svencfoldianorum. & Zvinglianorum.

Negant Corpus Domini in Sacramento Eucharistiæ adorandum esse. Lutherus ad Waldenses.

In contrarium asserunt, quod sicut Magi in terra adorabant Christum, sic in Eucharistia posse fieri. Lutherus ad Waldenses.

De Præparatione ad Eucharistiam.

AFfirmant, quòd sit perniciosus error, si quis accedat ad Sacramentum Eucharistiæ eâ nixus fiduciâ,

quia

quia ſit confeſſus, quia non ſit ſibi conſcius alicujus mortalis peccati, quia orationes ſuas & præparatoria præmiſerit. Eos enim, qui id faciunt, ſibi judicium manducare & bibere: imò eò meliùs illum accedere, quò ſit peccatis onuſtior. Lutherus in ſermone de præparatione ad Euchariſtiam, & in aſſertionibus. 2. art. & Philip. in undecimum cap. Ro. annotationum ſuarum.

In contrarium aſſerunt, quòd nemo debeat admitti ad Sacramentum Euchariſtiæ, niſi priùs diſpoſitus fuerit ad Sacramentum. Lutherus in libro de captivitate Babylonica: & Philip. in locis.

De Sacrificio Miſſæ.

NEgant Miſſam eſſe opus bonum, vel eſſe ſacrificium. Lutherus in libro de captivitate Babylonica. Philippus in locis.

In contrarium aſſerunt, quòd Miſſa ſit pars Evangelij, & quòd Miſſæ valeant pro vivis & defunctis, à tota eſſe approbatum Eccleſia. Lutherus de captivitate Babylonica, & in. 10. præceptis.

De Pœnitentia.

NEgant pœnitentiam eſſe Sacramentum, ſed eſſe duo Sacramenta duntaxat, Baptiſmum & Euchariſtiam. Lutherus in libro viſitationis: & Philippus in annotationibus in Epiſtolam ad Roman. Lutherus de captivitate Babylon.

In contrarium aſſerunt, quòd pænitentia ſit Sacramentum. Lutherus in captivitate Babylonica, & in Libro viſitationis. Philip. 2. editione auctorum locorum, cum tria Sacramenta ponit.

Negant, quòd hæ tres, contritio, confeſſio & ſatisfactio ſint partes pænitentiæ: ſed quòd ſint duæ tantùm, contritio & fides. Philippus in Apologia, in loco de pœnitentia.

In contrariùm aſſerunt, quòd tres ſint partes pænitentiæ, contritio, fides, inchoatio bonorum operum. Philippus in ultima editione locorum communium.

De Contritione.

AFfirmant, quòd contritio ea, quæ præcedit gratiam remiſſionis, omnino ſit peccatum. Lutherus in aſſertionibus contra Leonem.

In contrariùm jam negant, contritionem eſſe peccatum, ſed quòd ſit prima pars pœnitentiæ. Philippus in Apologia & locis.

De Confeſſione.

AFfirmant, quòd peccata debeant homines ſua recenſere juxta præcepta decalogi. Philippus in loco communi de confeſſione.

In contrariùm negant, auricularem confeſſionem eſſe neceſſariam, ſed eſſe carnificinam conſcientiarũ. Lutherus in Reſolutionibus & de decem leproſis. Philipp. in loco de confeſſione.

De ſatisfactione.

NEgant ullam eſſe poſſe ſatisfactionem (ſcilicet pro temporali pœna) ſed Chriſtum ſatisfeciſſe pro culpa & omni pœna. Lutherus in aſſertionibus: & Philip. in Apologia.

In contrarium asserunt, quòd Ecclesia sancta Mater piô affectu manum Domini præventura, castigat filios suos satisfactionibus quibusdam, ne incurrant flagella Dei: & quòd sint tres partes satisfactionis, jejunium, oratio, & eleemosyna. Luth. in Resol. 3. conclus. contra Eccium.

De Sacramento Ordinis.

AFfirmant, quòd nullum sit, nequè visibile, nequè externum, neque verum Sacerdotium in novo testamento, nisi quod humanis mendacijs per Satanam erectum. Lutherus in libro de abroganda *Missa* ad Senatum Pragensem, & libro de captivitate Babylonica.

In contrarium asserunt, quod Sacerdotes honorādi sint, & quod ordinatio ministrorum sit Sacramentum. Lutherus in libro visitationis. Philippus in ultima editione locorum communium.

Affirmant, quod omnes homines sint Sacerdotes, & possint ligare & solvere, & uti clavibus. Lutherus libro de captivitate Babylonica.

In contrarium asserunt, quod sit ordo in Ecclesia, ut alij doceant & ministrent in Ecclesia, alij obediant ministris Evangelij: Philippus in locis ultimæ editionis.

De Matrimonio.

AFfirmant, quod Matrimonium non sit Sacramentum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, ignorantiâ tam rei quàm verbi adductis. Luth. in libro de captivitate Babylonica, Philippus in locis.

In contrarium asserunt, quod matrimonium verè

sit Sacramentum: & quòd divinitùs institutum, possit probari ex Paulo Ephe. 5. Lutherus in sermone de matrimonio.

De Extrema unctione.

NEgant extremam unctionem esse Sacramẽtum sed esse figmentũ hominum. Lutherus in libro de captivitate Babylonica. Philippus in locis.

In contrariùm asserunt, quòd extrema unctio sit Sacramentum. Lutherus in Libro de præparatione ad mortem, & de potestate Papæ.

De Ecclesia.

AFfirmant, quod Ecclesia sit invisibilis & spiritualis & solâ fide perceptibilis. Lutherus in libro contra Ambrosium Catharinum, & Philippus in Apologia.

In contrarium asserunt, quòd Ecclesia sit cœtus visibilis, externisque insignita signaculis Philippus, in locis communibus in loco de Ecclesia.

Affirmant, quòd Ecclesia non sit alligata ordinariæ successioni, hoc est, neque continuationi temporis nusquàm interrupti, neque universitati locorum, sed gregem esse passim dispersum in orbe terrarum: adeoque ut vox ista Catholica queat expungi ex Symbolo, & pro ea reponi, Christiana. Lutherus de Ecclesia, & libro contra Papatum, & passim Philippus in diversis editionibus.

In contrariùm asserunt, quòd Ecclesia sit Catholica, & quæ errare non possit. Philippus in præfatione explicati Symboli: & Lutherus in explicatione. 10. præceptorum & in resolutionibus contra Eccium.

De Poteſtate Eccleſiæ.

AFfirmant, quòd Eccleſia nullam habeat poteſtatem unius ſyllabæ conſtituendæ ſuper Chriſtianum hominem, & quòd fruſtrà jactetur arbitrium Eccleſiæ, & poteſtas Papæ. Lutherus de falſo ſtatu Cleri, & in libro de captivitate Babylonica, & contra Catharinum.

In contrarium aſſerunt, quòd poteſtas Eccleſiæ, ſit poteſtas Chriſti, ludificationemque Sathanæ eſſe, affirmare, quod Eccleſia, ſi quando erret aut peccet, ideo non ſit Eccleſia. Lutherus in ſermone de excommunicatione, & de abroganda Miſſâ.

De traditionibus Eccleſiæ.

AFfirmant, quòd in manibus Eccleſiæ aut Papæ prorſus non ſit ſtatuere articulos ſeu Canones fidei, ſeu bonorum operum. Lutherus contra Ambroſium Catharinum.

In contrarium aſſeritur, quòd ideo poſiti ſint Canones Patrum, ut dirigant populum. Opus enim eſſe infirmis non ſecundùm hominem veterem iuſtificatis, ut certis officijs, diebus, modis, vigilijs, iejunijs, laboribus, orationibus, diſciplinis, & ſimilibus, quibus perveniant ad perfectionem interioris hominis. Lutherus in explicatione decem præceptorum.

De Virginitate & caſta vita.

AFfirmant, quòd cœlibatus, Virginitas, aureolæ, nugæ ſint, & mera Satanæ mendacia. Lutherus in libro de votis.

In contrarium afferunt, quod facrilegium fit, caftitatem polluere. Luther. in explicatione decem præceptorum.

De Poteftate Civili.

AFfirmant, quòd inter Chriftianos nulla fit fuperioritas. Lutherus in fecundo libro de poteftate fæculari.

In contrarium afferunt, quòd Scriptura doceat; ne Principi populi tui maledicas. Lutherus in explicatione decem præceptorum.

Affirmant, quòd Principes noftri fint mendaces & obftinati, nec homines ratione præditi, fed Germanicæ beftiæ, *Wiltbrat im Himel.* Lutherus in epiftola fua contra duo mandata Cæfaris, & in libro de fæculari poteftate.

Affirmant, quod nulla alia fit fpes remedij nifi revocato libertatis Evangelio fecundùm ipfum femel extinctis omnium hominum legibus, omnia iudicemus & regamus. Lutherus de captivit. Babylonica.

In contrarium afferunt, quòd omnis poteftas, à Deo fit, & licet rufticos premant Principes aut cives, aut Sacerdotes: tamen fint ferendi. Lutherus in explicatione decem præceptorum.

Affirmant, quòd Deus orandus fit, ne obcæcatis Principibus obfequamur, vel in militiam ire, vel dare aliquid contra Turcas: quandoquidem Turca decies probior prudentiorque fit, quàm noftri Principes. Lutherus contra duo mandata Cæfaris.

De Legibus Humanis.

AFfirmant, quòd prorſus nullis hominum legibus teneamur. Lutherus de judicio Chriſtianæ cong.

In contrarium aſſerunt, quòd cum Evangelium non aboleat leges aut politias, nos oporteat illis obedire. Philippus in communi loco de Civilibus Magiſtratibus.

Affirmant, quòd nulla reſpublica feliciter gubernetur legibus. Lutherus in art. per ſuos collectores taxatis.

Affirmant, quòd nullis prorſus reſiſtendum ſit, neque Turcis, neque alijs adverſarijs, juxta præceptum Chriſti dicentis, ſi quis te percuſſerit in maxillam dexteram, præbe illi & ſiniſtram. Lutherus in reſolutionibus Concluſion. 5.

Affirmant, quòd præliari contra Turcas, ſit repugnare Deo punienti nos per Turcicam tyrannidem. Lutherus in Aſſertionibus artic. 24.

De Fructu quinti Evangelij.

AFfirmant, quòd ex Evangelio Lutheri homines multò deteriores facti ſint, quàm unquàm ante fuerint in Papatu. Lutherus in ſermone in Dominica Adventus.

De Bonis Eccleſiaſticis.

QUid Lutherus de Eccleſiaſticis bonis ſenſerit, non tàm ille libris expreſſit ſuis, quàm bellè inſtruxit

xit fiscales Magnatum: nec ipsæ tacent Ecclesiæ passim: quas ita laceratas cernimus, omnique ornatu exutas ac squallidas: ut nemo queat dubitare, quin ungues Harpyiarum in extremis hæreant sacrilegijs. De quibus nunc nomenclaturas facere, intempestivum est: versatur enim res ista in cute leporini capitis: nobisque sic cogitandum omninò est, ut sapienter Sophocles admonet.

Nos non videmus, quid moliantur Principes.

Deo aut dubiè curæ est, eritque semper Ecclesia sua. Ferunt aquilinas pennas (Plutarchus refert) aliarum avium plumas. si cum his illæ commisceantur, admodum avidè absumere, & citò: & non ita multò post, ubi has absumpserint, seipsas demum consumere vidimus in spoliatis Ecclesiarum bonis exempla similia: ac nisi plena essent invidiæ, plurima referre possemus: siquidem publicis ærarijs atque opibus devoratis, inedia multorum jam cæperit Ecclesiæ ossa arrodere.

Sed est, ut Atossa ad Darium ait, apud Aescilum; Sequitur ultor à tergo Deus.

Deus ipse vindex erit, cum leges dormiant, cum jura obmutuerint, cum ibi sint justitiæ limites jam fixi, ubi finem determinarit gladius. Quare omittamus hæc, quæ nostræ palæstræ non sunt, & quòd eruditorum hominum est, doctrinam tueamur Ecclesiæ.

Sylvam sane assertionum Lutheranicarum complexus sum eâ methodo, qua potissimum id adeò varium chaos comprehendi posse videbatur. Nec ignoro, plures posse novas opiniones ac hæreses recenseri, quando ultro citroque tot passim grassentur, quot sensus hominum privatim existant: sed minutiores illas persequi

no-

nolebam, ratus omnino sufficere, si crassiores, tanquã in tabula depicta animadverti possent: ut si quis dimicare adversus ejusmodi belluas vellet, ne nescius esset, quibus in spelæis soleant latitare. Dabitur autem brevi, ut spero, integra aliqua hujus trimembris Lutheranicæ theologiæ refutatio, opposita orthodoxa doctrina Catholicæ Ecclesiæ.

Verùm satis, superquè his frivolis principijs Lutheri, ejusq; discipulorum responderunt demptis millenis Nèotericis Theologis, qui polemicè dimicando cum hæreticis, falsa eorum principia, prorsus ridicula, everterunt, & in finem expugnârunt. Inter antiquiores ab initio sectarum harum impiarum, videri possunt Georgius Craderus Olomucensis; Andreas Fabricius in harmonia Confess: Augustanæ; Joan: Cochlæus; Alphonsus Viruesius Eppus Canarien. Joan: à Daventria, Joan: Hoffmejsterus, Theologi doctrinâ & morum honestate præstantes; Ruardus Tapperus, & Jacobus Latomus Theologi Lovanien; Joan: Faber Eppus Viehn. de quo in fine hujus libri, ubi de Antilogijs Lutheri agetur. Fontanus Surius, Genebrardus; Vilhelmus Damasi, Lindanus Ruremundensis Episcopus, Felicianus Ninguardas; Georgius Ederus; Thomas Stapleton: Laurentius Fautenus Arturus; ipsa imprimis sacrosancta Synodus Tridentina. Prætereà Caroli V. Imper. Edicta duo adversus doctrinam omnem falsam Lutheri. Passim verò opera Roberti Belarmini Cardinalis, de quo ceù de fonte rivi abundè emanârunt, alij centeni milleniquè Authores. Novi quid superaddere, est facere ut ajunt; crambe recocta.

TERTIA PARS LIBRI

De Successione & Concordia discipulorum Lutheri in Augustana Confessione.

STOICI obijcere Epicureis solebant, cur cum domi dissererent nullos esse Deos, foris tamen publicas aras illis consecrarent, cultumque præstarent Divinum? Quibus Epicurei respondebant, sintne Dij, nec ne sint, difficile negari posse, si in concione quæratur: sed in ejuscemodi sermone & consessu privato, facillimum. Non profectò absimile quiddam nunc soboles Lutheri: domì enim tanquàm fratres Cadmæi altercantes inter se, ità omnem religionem tractant, ut nullam penè suæ Confessionis Augustanæ certitudinem relinquant: cùm eandem tamen sic propugnant foris, quasi rem agant seriò. Nam in consultationem quandò ventum est, eam istam doctrinæ suæ, quasi confessionem proponunt, dejerantquè adeò in ea concordes esse, ut in fundamento nihil dici possit, aut cogitari concordius. Ac si quâ fronte id faciant, dubites nihil aliud te oportet, quàm quod de Epicureis scribit Plutarchus, statuere, illos aliud domi sedendo solere, aliud stando foris agere. Eam verò Luteranicæ sobolis artem si qui forte non satis intellexerunt hactenus, non dubiè, ut arbitror, poterunt hinc cognoscere, si animadvertant, num verè, an fictè, ut Epicurei Deum, sic illi

con-

confessionis suæ consensum atquè religionem domi venerentur. Ad cuius rei non incertum judicium proderit ex primarijs Lutheri discipulis duces aliquòt proferre, eosque in suas sectas digerere, & in familias, ut inde evidenter possit, quàm fœde inter se digladientur, animadverti: vanissimumquè esse, quod falsò gloriantur, ipsos esse in cofessionis suæ fundamento concordes. Sed altius aliquantò eam genealogiam ordiar.

Lutherus confestim, ubi tragœdiæ suæ esset protasin exorsus, tumultuabatur sanè vehementer, & ut solet sub initio epitaseos tragicæ evenire, sese in formas varias turbasque vertebat, quoad Lutheranismi sui corpus aliquod & ventrem pararet, ederetquè tandem partum conceptæ pestis suæ. Ad cuius partus futuram haud dubiè operam contulerunt suam. Draco vetus, ut pronubus, & septiceps illa bestia, & ipse Pseudoprophetes. Ut parentes: etiàm ex ore istorum (ut in Apocalypsi Joannis est) prodierunr tres illi spiritus immundi, ranarum similes *Homologistæ*, *Sacramentarij*, *Anabaptistæ*. & quànquàm hi ipsi tres immundi spiritus tanquàm vulpes Philistiæ, capitibus longè sint latèque disjunctissimi: tamen caudis ita sunt inter se (ut segetem domini incendere possint) concopulati, ut nulla pæne nunc reperiatur in tota Europa hæresis, quæ non aut Homologistarum, aut Sacramentariorum, aut Anabaptistarum charactere mentem gerat insignitam: ne si cupias agnoscere, queat deesse evidens judicium ex istis tribus spiritibus, cui quis potissimum adhæreat mancipatus.

Et quò propius possis certiusque singulos illorum immundorum spirituum characteres deprehendere, se-

septem quidem infligit Deus propter peccata plagas mundo, sed has in tribus elementis exprimit, in aqua, in aere, & in igne ut constet, quo quis genere peccet, eodem soleat etiam divinitus puniri. At pressius idem.

Quia tres sunt, qui testificantur in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres sunt unum; & tres sunt, qui testificantur in terra, Spiritus, Aqua, & sanguis: & hi tres unum sunt. Hoc posterius testimonij genus ipsemet Christus instituit, confirmavitq; in terra, cum aliàs, tum etiam cùm pendens in cruce, aquam profudit & sanguinem ex latere, & emisit Spiritum inclinato capite. Nec dubium est, quin sicut Eva ex latere Adæ formata est, ita Ecclesiam formari ex latere & Spiritu Christi, quemadmodum sanctè explicavit Viennense Concilium; tria enim potissimum hæc Sacramenta scimus esse, quibus Ecclesia floret, Baptismum, Cœnam Domini, & Claves pœnitentiæ Signaculum baptismi est aqua: Eucharistiæ mysterium, sanguis ex vino, quod est àëreum: Clavium potestatem Spiritus Sanctus, quem Christus inspiravit, contulit, signumque ejus aperuit igne in ore Apostolorum. Hoc sanè triforme testimonium Christi, in terris jam violatum, atquè prophanatum est: Baptismum enim *Anabaptistæ* corruperunt: Sanguinem Domini prophanârunt *Sacramentarij*: Spiritum clavium *Homologistæ* invaserunt; quod scelus cœptum quidem est puniri, at nondum finis pœnæ, siquidem nec ipsa adhuc prophanatio cessat. Caveat, qui intelligit: effugiat, cui patet aditus: excutiat pulverem, qui iram Dei veretur. Sed jam ad catalogum veniamus. Lutherus Pseudoprophetes primum

mum spiritum ranæ aut bufonis evomiturus, ut aquam baptismi inquinaret, multa scripsit, quibus Anabaptistis novi erroris occasionem præbuit, & inter cætera, hoc ad Waldenses fratres præstat, inquit prorsus baptismum omittere in parvulis, quàm baptizare illos sine fide; quoniam Sacramenta neque possunt, neque debent sine fide accipi. Arripuit hoc Bernhardus quidam fatali cognomento Rotmanus, natus credo ad excitandam turbam sectamque infimâ fæce plebis. Quæ isto immundo bufonis Spiritu concitata, ruri passim, & in pagis Baptismi Sacramentum horribiliter defædant, & variè quidem. Nam ut in hoc omnes Anabaptistæ consentiant, ne rectè usurpetur baptismus, tamen in plerisque aliis dissentiunt hostiliter.

Catalogus Sectarum inter Anabaptistas.

ALij enim se *Adamitas* appellant, quòd innocentiam Adæ se imitari profiteantur. Alii *Stebleri* vocantur, quia cum censeant peccatum esse, apud Magistratum contendere, nec vim licere vi repellere, baculū portant, gladium nullum gerunt. Alii *Sabbatarii* sunt: Sabbathum enim (sicut Judæi consveverunt) colere se dicunt oportere. Nec de Christi Divinitate rectè sentiunt, proclives ad Judæorum Messiam. Alii se *Clancularios* Christianos vocant, quòd existiment sibi licere, si rogentur, an sint Anabaptistæ, negare, ut vitent periculum. Alii contra *Manifestarii* dicuntur, putant enim impium esse, si cum rogantur, se negent esse, quod sunt, Anabaptistas: Sunt præterea *Dæmoniaci*, qui contendunt, sicut Origenistæ quondam etiam Dæmones salvatum iri. Plures, Anabaptistarum Sectæ reperiuntur, scio: verum jam non succurrebant alias & istas subtexam.

Catalogus Sectarum inter Sacramentarios.

SEcundum immundum ſpiritum bufonis eructavit Lutherus in blaſphemiam Euchariſtiæ, & inter cætera, talem in pleriſque ſcriptis ſuis anſam porrexit tum Caroloſtadio, & Zvinglio ad renovationem Berengarianæ hæreſeos, cum ita ſcribit contra Leonem Pont: in aſſertionibus & in libello de formula Miſſæ: Neutra ſpecies, inquit, ſed ſola fides eſt neceſſaria ad ſalutem. Item in reſolutionibus concluſione. 7. quòd ſola fides Sacramenti juſtificet, non Sacramentum; & cum illud Joannis exponeret, Spiritus eſt vivificans, caro autem nihil prodeſt: ita Spiritum jactabat initio, ita efferebat, ut cum carnem omnino, ut Manichæi feciſſet peccatum, non ſolum Chriſtus homo putativus ferme, ſed & *ipsū in Euchariſtia corpus illius* & juſtitia in remiſſione putativè, accipienda exiſtimarentur. Eâ ſcilicet conditione & Manichæa, & Pelagiana hæreſes antiquæ in concordiam reduci poſſe videbantur. Nimirum ſi ſola fides ad ſalutem homini ſatis eſſe aſſeritur, poterunt ex eo paradoxo varia portentoſa monſtra procreari, non ſolùm quod nos imputativa juſtitia juſtificet, verum etiam, quod Chriſtus corpus habeat putativum, ut olim Manichæus, & nunc Svencfeldius arbitrantur: quòd item non verum, ſed putativum Corpus Domini porrigatur in Sacroſancta Euchariſtia, ſicut quondam Berengarius cenſuit, & nunc plerique. Cum adeò elevaſſet Lutherus ſigna Sacramentalia, & extulliſſet ſolam fidem, Caroloſtadio Author, & occaſio fuit erroris Berengariani, Svencfeldio præter eundem & Manichæi & Eutychiani, itemque aliis aliorum: quorum primas tenet, Ulrichus Zvinglius, â quo reliqui penè omnes, qui id dogma ſecuti ſunt, Zvingliani appellantur.

Caput

Caput autem Zvingliani dogmatis de Eucharistia est, verum & substantiale Corpus Christi non esse in eo Sacramento. De hoc quidem capite consentiunt Zvingliani omnes, nulla est inter ipsos controversia. Verùm quia hic iste error defendendus illis videtur, mox ingens oritur dissensio, num hoc vel illo fuco palliandus sit vel alio. Itaque sunt *Zuingliani Significativi*, qui hæc verba, *Hoc est Corpus meum*, sic interpretantur & explicant, ut verbum, *est*, exponi debeat pro, Significat. Sunt etiam *Tropistæ* Zuingliani, qui verbum, *est* non attendendum putent, sed tropũ esse in voce corporis, ut intelligendum sit pro corporis figura. Ab his dissentiunt Zuingliani *Energici*, qui ut propius aliquantò ad verba textûs accedere videantur, Corpus Domini dicunt intelligi oportere pro energia corporis, quasi effectum pro causa per Metonymiam. Ita Calvinus novus interpres, & quidam alius. *Arabonarii* ab istis omnibus statuunt diversum: ajunt enim cænam Domini, cum præbetur, dari illam tanquàm arabonem corporis, & quasi investituram donati prædii aut alicujus domûs. Ita *Franciscus Stancarus* in Polonia suos docet, & in Transylvania. Præterea sunt qui corpus Domini quidem adesse concedunt, sed eorum alij, quod *sub pane*, alij *cum pane* alij, *in pane*, alij *circa panem*. Huc *Svencfeldiani* accedunt ab instituto Lutheri longiùs progressi, qui adeò verum Corpus Domini negant esse in Eucharistia, ut non dubitent Christi naturale Corpus posteaquàm in Cœlum Ascẽdit, in Divinam naturam transmutatum esse, contendere: ac propterea externa signa esse vana, internum solum spiritum sufficere. Sed longius ista hæresis patet quàm pro hac epitome.

Catalogus Sectarum inter Confessionistas.

TErtius immundus ſpiritus, quem inſtar bufonis evomuit pſeudopropheta Lutherus, fuit Secta confeſſionaria: cujusPrinceps & Coryphæus extitit *Philippus Melanthon*: ſed invidia ſociorum ab hoc gradu penè depulſus, vix, aut ne vix quidem inter medios hæret, miſer & afflictus ſenex. Ejus Homologiſticæ ſectæ præcipuus ſcopus fuit ſemper, Sedem Apoſtolicam, & quod in Chriſtiana fide Catholicum eſt (ne videlicet ulla re ſit Apoſtolicarum clavium poteſtas) funditus delere. Etenim huc Auguſtana confeſſio tendit, huc Socialis conſpiratio nititur, huc omnes conatꝯ & vires (quēadmodū cōpertū eſt) direxerunt Melanthonij. At vero quoniā *incidit in foveam, quā fecit*, ipſe ſibi id malū accerſivit, quod erat machinatus alteri. Variæ autem ſectæ Homologiſtarum emerſerunt brevi tempore, atque ſubitò: quas ne confusè recitentur, diſtinctè commemorari illas oportebit *in individuo*; multiplex enim hæc colluvies eſt, & in diverſas diſſecta familias.

Confeſſioniſtarum igitur, qui Auguſtanam Confeſſionem profitentur, ſunt factiones tres. In quarum prima *Rigidi & Stoici Confeſſioniſtæ* ponuntur (Melanthon illos appellat *Illyricanos*,) homines nimirum eiuſcemodi, qui à placitis Lutheri, ſive bona illa, ſive mala ſunt, penitus non recedendum arbitrētur. Latè hæc Illyricana ſecta patet: totam enim Saxonicam occupavit, & pleraſque urbes Germaniæ Superioris, & totam Turingiam. Præcipui autem duces ſunt, *Illyricus*, *Gallus*, *Amſdorfius*, *Sneppius*, *Morlinus Weſtphalus*, *Sarcerius*. Abſurdiſſima autem quæque Lutheri mordicus ſibi defendenda putant, ut nullum homini eſſe liberum arbitrium, omnia evenire neceſſa

cessario, ut ne liberum quidem præbere assensum homo possit, adeoque hominem non plus sentire, quid in se Deus agat, quam incus; quid malleus. Opera non esse necessaria ad salutem: nullos ritus aut cæremonias in Ecclesiam admitti oportere: ejusdemque generis alia, quæ tamen Lutherus partim ambiguè scripsit, partim retractavit. Itaque hi Stoici Confessionistæ cum cæterà sint rigidi Lutherani, tum in hisce quæ jam recensuimus, Luthero assentiri videntur in genere præter alios, in specie autem degeneres ab eo longiùs recesserunt: nam & ipsi diversis dissensionibus distracti sunt. Quidam enim illorum sunt *Antinomi*, qui legem neq; ante, neque post justificationem judicant necessariam esse. Quanquam Lutherus ipse ejus sectæ primus author fuit, ut ex variis ejus scriptis ostendi potest: postea tamen cum *Islebius* idem asserere cœpisset, edidit multas disputationes, in contrariam partem. Deinde sunt inter hos Stoicos Confessionistas quidam *Samosatenenses*: qui negant in principio Evangelii Ioannis dictionem *verbum* personam significare. Illyricum, ejus antiquæ hæreseos resuscitandæ authorem patefecit Melanthon in sua epist: ad M. Warmerum Barbensem. Sunt & *Inferiani* in eadem factione *Rigidorum*: hi autem negant Christum reipsa descendisse ad inferos: infernum enim esse suum cujusque sepulchrum. Lubecæ & Hamburgæ & Bremis ea secta grassatur. Sunt *Antadiaphoristæ*: quorum alii nonnullas cæremonias admittunt, sed quas ipsi instituunt novas, non veteres: alij planè nullos ritus, nisi quos Lutherus præscripsit, ferri in Ecclesia existimant oportere. Extant Illyrici, & Galli, & aliorum varii pro hac secta conscripti tractatus. Sunt *Antisvencfeldiani*, qui cum Svencfeldium refu-

refutant omnia ponentem in ſpiritu, literam prorſus & temerè reijcientem, ponunt illi contra omnem viam ſalutis in vocali verbo Eccleſiaſtici miniſterij, ſine quo neminem credunt ſalutem conſequi poſſe. Sunt & *Antoſiandrini*: ſed hi admodum varij & diſcordes: petita enim ſunt à pleriſque Confeſſioniſtarum Eccleſiis de Oſiandri dogmatibus judicia, præſertim de juſtificatione, quod innovarât Oſiander; reſponſa ſingularum Eccleſiarum Typis excuſa prodierunt, & evulgata ſunt ſed ita diverſis contrarijſque pronunciata ſententijs, ut quatuordecim juſtificationes, inter ſe penè omnes pugnantes prolatæ fuiſſe legantur, dum alij ſangvinem Chriſti, alij paſſionem, alij ſatisfactionem, alij, tranſitum illius, eſſe formalem hominis juſtificationem aſſererent. Sunt præterea *Anticalviniani* qui tametſi perpetuam Catholicæ Eccleſiæ doctrinam de Euchariſtia non amplexi ſunt, id tamen pro univerſali Catholico conſenſu contra privatam opinionem Calvini rectè defendunt, Corpus Domini verum & naturale eſse in Euchariſtia, non tantum energiam corporis. Ioachimus Weſtphalus, pleraquè edidit hac de re. Sunt *Manuſimpoſitarij*, qui in Pomerania altercantur, utrum impoſitio manuum ſit Sacramentum. Cuipſtro contendit vehementer, Frederus repugnavit obſtinatè. E Grypeſvaldo ſerpſit ea ſectaria contentio in alias quoque provincias. *Biſacramentales* appello eos, qui ſolummodo duo Sacramenta, videlicet, Baptiſmum & cœnam Domini in Sacramentis ponunt. Ita ſentit maxima pars Illyricanorum; tametſi alij jam incipiant Melanthoni applaudere. Sunt contra *Triſacramentales*, hoc eſt, qui tria Sacramenta admittunt, neque plura, neque pauciora. De prima factione Confeſſioniſtarum hactenus.

In

In secunda Confessionistarum factione molles illi Philosophi & elegantes habentur, quorum princeps *Melanthon* est, & *Major* & *Fursterus* & *Pomeranus*, *Lipsensesque Theologi*, *Pfesfinger*, *Camerarius*, *Menius*, & farinæ eiusdem consimiles.

Privata his dogmata sunt, & tamen inter aliquot ipsorum communia, esse liberum arbitrium, fidem principaliter, opera bona minus principaliter justificare, de particula, *Sola* non esse dimicandum, & quod de cœna Domini Calvinus rectius sentiat, quàm Lutherus: & quædam fortassis præterea.

Sed quod hæreseos proprium est, nec isti quidem de fundamento concordes sunt. *Majoristæ* enim docent, quod bona opera sint necessaria ad salutem, quod nemo absque bonis operibus, impossibile sit quenquam salvum fieri. *Adiaphoristæ* introduxerunt, asserentes Ecclesiasticas constitutiones & cæremonias esse res indifferentes: quas sive observes sive repudies in pari esse conditione atquè jure. De utraque illa secta multi lib. ultrò citroquè scripti leguntur pássim.

Sunt quos *Quadrasacramentales* appelles, qui quatuor Sacramenta ex septem recipiunt, Baptismum, Eucharistiam, Claves, Sacrum ordinem. *Luthero Calvinianos* eos dico, qui Berengarianum dogma de Eucharistia sic temperant, ut Calvini sacramentariam heresim jam in Augustana Confes. a Principibus approbatam persvadere conātur: id quod ipsemet Calvinus in sua adversus Westphalum admonitione de Melanthone testificatur. Reperti quoque sunt, qui inter Osiandri nos & Antosiandrinos amnestiā sanciendā censeant, ut dissimulatis utrobique erroribus, contentio tota tradatur oblivioni. Ita *Illyricus* in Apologia sua de Melanthone.

ne. *Mediosiandrini sunt Brentius*, cæterique Theolog Tubingenses: hi enim cum Osiander hominem essentiali Dei justitiâ justum dixisset, & Illyricani, hominem solum imputativè justum haberi, correxerunt utrosque mediâ viâ interpositâ, quod scilicet in hac vita homo imputative justus reputetur, in felici autem patria fore illum eâ justitiâ justum, qua Deus ipse per essentiam justus existit. Obscuriores sanè, quorum magna copia est, sectarios persequi non libet in hoc genere.

In tertia factione sectæ quatuor reperiuntur, sed adeò inter se rebelles mutuò, & à Superioribus diversæ, ut quasi in alienis castris militare videantur. Quare tametsi non apertè quidem à Confessione Augustana resiliisse existimari volunt; quia non obscure tamen ipsi Luthero Magistro suo ausi sunt obluctari, idcirco Recalcitrantes illos nominare possumus. Primas in hac factione tenent *Suencfeldiani*, qui Sacramenta omnia, inprimisque vocale verbum ministerij, tanquàm literam occidentem respuunt, & solo spiritu nos debere contentos esse, docent. Præterea humanam Christi naturam, postea quàm in cœlum ascendit, in Divinam penitus mutatam esse, itemque & fidem, & charitatem, & justitiam, quibus homo justus efficitur, esseDivinæ naturæ particulas. Judam non percepisse veram Eucharistiam in cœna Domini. Hæc Suencfeldianorum præcipua sunt, minus grandia omitto. Libri ipsius Suencfeldij multiplices versantur in manibus hominum legat, qui vult. *Osiandrini* habent ea cum Svencfeldianis communia, quod charitas & justitia, & sapientia (non tamen fides) quibus homo à Deo justus & sapiens constituitur,

tur, sit ipsa Dei essentia. Privatum Osiandrinorum, est, quod Christus solummodo juxta Divinam naturam justificet hominem: quod item homo cum sit imago Dei, fiat omnino eadem imago Dei, quæ est Christus Filius Dei & Mariæ. Prætereo hic multa dogmata & errores *Stancarianorum* adversus Osiandrium scribentes, ut contrarium tuerentur, affirmabant Christum justificare hominem iuxta solam humanam naturam. Docuit idem *Strancarus*, Corpus Domini in Eucharistia, esse arabonem, seu pignus, quo quis quasi investiatur ad possessionem promissæ gratiæ. Opposuerunt se Francfordienses Theologi *Antistançariani:* & quod Stancarum expeditius refellerent, contendebant Christi divinam naturam quoque vna cùm humana in cruce passam, mortuamque fuisse: idque ipsius Lutheri ac sententiam judicium esse affirmabant, ut edita quaternio ostendit.

Emersimus tandem ex pestilenti illo cœno hæresium atque Hæreticorum: quos, ut memoriam juvem Lectoris, in tabella, & in sua quemque classe turmatim disponam conspiciendos: ut cum nomina illorum in Cœlis scripta non sint, in terris non penitùs obliterata interijsse videantur. At in ea ista trium immundorum spirituum crapulante exhalatione, est, nescio quæ notatio fatalis. Spiritus enim Anabaptisticus fæcem plebis invasit. Sacramentarius dementavit cives potissimum. Homologistes vero in aulas Principum irrepsit: adeoque ut primus immundus spiritus author sit rusticanæ infidelitatis. Secundus civicarum hæresium pater. Tertius aulicæ dux perversitatis. Cum autem una esset fides antea, una vox omnium, sive illa ruri, sive in urbibus, sive in aulis au-

 dire-

diretur: nunc verò ſpiritus inſtar ranæ quaxat in agris, ille inſtar rubetæ tumet intra mœnia: tertius micat veluti bufo in triclinijs Magnatum: ſed omnes æque venenum ſpirant, dum inſtant more ſuo contra vocem Eccleſiæ Matris noſtræ.

TABULA SECTARUM.

Apocalipſis 16.

Apoc. 16. Draco, Beſtia & Pſeudo-propheta Lutherus.	I. Spiritus immundꝰ Bernhardꝰ Rotmā filius Lutheri & pater Anabaptiſtarū	Adamitæ	1.	Anabaptiſticæ ſectæ.
		Sabbatarij	2.	
		Clācularij	3.	
		Maniſeſtarij.	4.	
		Dæmoniaci.	5.	
		Sebleri.	6.	
	II. Spiritus immūdus Zvinglius ſeu Caroloſtadius, filius Lutheri, pater Sacramentariorum.	Significativi.	1.	Zvinglianæ ſectæ.
		Tropiſtæ,	2.	
		Energici.	3.	
		Arabonarij.	4.	
		Inadesēdo	5.	
		Eſſe cum pane.	6.	
		Eſſe ſub pane.	7.	
		Spumales Svencfeldiani.	8.	

III.

III. Spiritus immundus Homologistes, filius Lutheri, pater Confessionistarum.	I. Factio. Sunt rigidi Stoici Confessionistæ.	Antinomi.	1.	Confessionistariæ sectæ.
		Samosatenenses.	2.	
		Inferiani.	3.	
		Antadiaphoristæ.	4.	
		Antisvencfeldiani.	5.	
		Antosidiandrini.	6.	
	II. Factio. Sunt molles Philosophi Cõfessionistæ.	Anticalviniani,	7.	
		Manusimpositorij.	8.	
		Bisacramentales.	9.	
		Trisacramentales.	10.	
	III. Factio. Sunt recalcitrantes Confessionistæ.	Majoristæ.	11	
		Adiaphoristæ.	12.	
		Quadrasacramentalistæ.	13.	
		Luthero Calviniani.	14.	
		Amnestitæ.	15.	
		Mediosiandrini.	16.	
		Svencfeldiani.	17.	
		Osiandrini.	18.	
		Stancariani.	19.	
		Antistancariani.	20.	

DOctores quidem recentioris Evangelij, ſunt iſti præcipui. Quorum opiniones & ſectæ cum tam variæ ſint, tamque inter ſe diſſidentes, alterum fieri profectò poteſt, ut earum nulla ſit vera, quod contrarijs ſæpe ſolet evenire: alterum certe non poteſt, ut plus una vera ſit, quemadmodum in contradictorijs perſpicuum eſt. Qua quidem de cauſa, cum nulla hæreſis poſſit eſſe vera, neceſſe eſt, ſi quando Hæretici inter ſe commiſſi digladiantur, ut de contrarijs diſcrepantibuſq; ſententijs dimicent, & horum neutra ſit vera. Eademque de cauſa fit, quod cum duæ hæreſes ſint inter ſe contrariæ, & tamen oppugnent Eccleſiæ Catholicæ doctrinam, neceſſe ſit, contradictoriam ſententiam opponi utriſque: ut quia alterutra contradictoriarum ſemper vera eſt, altera falſa, veritas Eccleſiæ per contradictionem, frænum adverſarijs inijcere poſſit.

Atqui unicum hoc impedimentum ſemper ferè obſtat Hæreticis, quò minùs poſſint, etiam ſi maximè velint, redire in concordiam. Etenim quæ unquam magna hæreſis extitit, quæ non conſeſtim à capite in minutas partes diviſa? quæque non æque contraria fuerit alicui alteri hæreſi, atque infeſta ipſi Eccleſiæ?

Cognita peſtis eſt Marcionis, unde Manichæi profecti ſunt: nec ignotum virus Pelagij, quorum ſectæ non minus ſibi mutuo, quam ignis elementum aquæ, adverſabantur. Altera enim contendebat (exempli cauſa hoc ponam) nuptias adeo bonas eſſe, ut in illis nihil inſit mali, nihil peccati: altera: contra, adeo illas malas eſſe, ut etiam per ſeſe malum ſint. Ex diametro iſta inter ſe contraria enunciata ſibi repugnant, & obverſantur, nec minus etiam infeſta Eccleſiæ, quã adverſa ſibi: Eccleſia igitur, ut refellat utramque, hæreſim,

sim, Marcionitis contradicens opponit, quod nuptiæ bonæ sint propter Divinum ordinem, legitimumque earum usum: Pelagianis, quod aliquæ nuptiæ malæ, propter depravationem ordinis, & abusum. Mansit hæc doctrina Ecclesiæ, utraque illa hæresis perijt. Ex illa Marcionis Lernæa Hydra plura subinde capita procreata legimus. Inde Lucianistarum secta ortum & originem duxit, qui signis aliquot immutatis, rem Marcionis defenderunt: inde prodiêrunt Appelliani, qui magistri sui disciplinam, altera parte correxerunt, ditârunt, locupletaverunt altera: inde Serveriani orti, quædam Marcionis, amplectebantur, quædam abijciebant repositis novis quibusdam, & suis: inde demum Manichæa pestis emersit, quâ vix ulla perniciosior, ut Divus Epiphanius & Augustinus censent, secta usquam comperta videtur: quæ refossis Manichæorum sepulchris Marcionij cadeveris fœtore, maximam Christiani orbis partem per Lutheranos infecit, atque corrupit. Quanquam haud minor pernicies ex Arrio profecta est. De cujus Sectæ Schismatibus placet ex D. Epiphanio historiam huc adscribere, ut quod supra commemoravimus, constet esse verum: omnium hæresum id virus proprium esse; primum, ut inter se discordes, & in varia schismata divulsæ atque dilaceratæ sint, deinde ut mutuô se odiô atque bellô consumant tandem.

Epiphanius itaque libro 3. in historia & refutatione Hemiariorũ & Arrianorũ scribit: Illi qui ex parte Basiliana divisi sunt, cum vellent, veræ confessionis vinculũ dissolvere, adulterinam, quæ facilè capi, quæ ex

omni parte dissolvi potuit, expositionem posuerunt. Dicimus enim, quod in tres stationes Arrianorum exercitus divisus est, adeoque ut Eudoxius & Germanus, Georgiusque Alexandrinus, & Euzoius Antiochenus in unam stationem abscisci concesserint: in secundam Basilius Eleusius, Eustathius,, Georgius Laodicenus, & Silvanus Tarsensis, & Macedonius Constantinopolitanus, & alij quidam complures similiter. Acatius verò rursum, ut anteà dicebam, & Meletius, atque Eutychius, & item alij in tertiam venerant classem. Eratque universum negotium plenum vanæ nequitiæ. etenim quæ pro se quisque sentiebat, eadem alius non habebat, sed in mutua dissidia divulsi sunt odiô quodam inter se mutuô

Hoc exemplum si cum Lutheranorum mutuis inter ipsos schismatibus compares, quid hi nunc aliud quam illi quondam? Res per se patet, non est opus declaratione. Quæ D. Epiphanius de illis Hæresiarchis commemorat, eadem Augustinus tum de eisdem tum de Donato scribit etiam in lib. 1. de Baptismo contra Donatistas objicit illis istam discordem Donati divisionem: Quantò ergò, inquit, magis, quia eadem pars Donati in multa frusta conscissa est, quæ omnes minutæ particulæ, hanc unam multò grandiorem, in qua Primianus est, de recepto Maxiministarum baptismo, reprehendunt, & singulæ conantur asserere apud se tantummodo verùm baptismum mansisse. Externa ista sunt: domestica si placet, consideremus. Etenim una secta Hussi quòd alias peperit diversas hæreses? Ex nominum diversitate licet notare confusionem. Alij se fratres *Waldenses* salutant, alij volunt se *Taboritas* nominari, alij *Piccardi* vocantur,

Grun-

Grunbenheimeri alij : sunt etiam, qui quòd calicis fiant in Encharistia participes, sibi nomen finxerunt, ut *Calixtini* appellentur, itemque alij aliter; complures sunt enim.

An simile quiddam mortuo Luthero evenerit, non est obscurum : siquidem vivum se discindi vidit, sensitqve invitus. Quid enim Thomas Munzerus, Dux rusticani tumultus qvid Bernhardus Rotmanus author Anabaptismi ? qvid Carolostadius? quid Zvinglius ? quid alij complures ! Omnes profectò novationis suæ initium acceperunt à Luthero, medium corpus atqve caudam de proprio affinxerunt & suo. Post verò mortem illius Prophetæ, Deum immortalem ! quæ schismata non secuta sunt ? Mathias Flaccus aliud in mortuo Luthero vidit apud Saxones: aliud Major in vivo apud Wittembergenses: aliud Osiander apud Pruthenos : *Inseriani* aliud in maritimis urbibus, aliud apud Manifeldenses Sarcerius, diversum quoque in Svevia Brentius, in Sabaudia diversum Calvinus.

Res plena prodigij est atque miraculi : nam etsi universò orbi jam innotuit, istos Prophetas tam fœdâ discordiâ ac furiosâ se mutuò dilaniare: tamen si roges illos in consessu Catholicorum, cur ita sint in doctrina confessionis suæ discordes, negant illi confestim : imò ajunt contra, se unanimes Augustanam Confessionem amplecti, in fundamento convenire, nihil esse inter se dissensionis. O incredibilē impudentiam ! Meridianus sol tenebras istas coarguit. Præcipui articuli Confessionis illius sunt, de persona Christi, de peccato, de libero arbitrio, de justificatione & justitiâ Dei, de fide, spe, & charitate,

te, de pœnitentia, de bonis malisvè operibus, de Sacramentis, atque horum numero, de Baptiſmo, de Cœna Domini, de Eccleſia & hujus jurisdictione, & cæremonijs, & multis alijs rebus præterea. De hiſce autem articulis diſſidere, ſi id non diſſidere in fundamento Chriſtianæ fidei, fateor equidem me, quid Evangelicæ doctrinæ fundamentum ſit, non intelligere. At verò quid in hiſce iſtis articulis Auguſtanæ Confeſſionis eſt, quòd ipſi confeſſioniſtæ non in mutua lite ponant, non controvertant, non rapiant jam in hunc, jam illum ſenſum, modo album eſſe aſſerentes, modo nigrum, mox quidvis aliud?

Mihi ſanè Auguſtana Confeſſio, ſi licet liberè, quid ſentiam, dicere? Heſiodeæ Pandoræ perſimilis eſſe videtur. Erat etenim hæc aſpectu pulchra, gratijs decora, cujus in ore habitabat roſetum, & circa caput ſolis inſtar ſplendor; Sed quid intus in corde? abominatio, & colluvies ſerpentum & viperarum.

Unde poſteaquàm internuncio Herme, dono obtigiſſet hæc Pandora Epimetheo, omne genus morborum, atque calamitatum erumpebat. Non ſecùs profectò, nunc Auguſtana Confeſſio: etenim quàm ipſa bella eſt? quàm fronte hilaris? quàm gratioſa? quæ in ore illius ſvaviloquentia, & mellea verba, tū quàm ardenti deſiderio ejus plerique mortalium flagrant? Nimirum præ ſe characterem gerat, quem titulum vide, puri Evangelij doctrina eſt: Principes eam profeſſi ſunt: Status Imperij ſubſcripſerunt: omnes in ea concordes, atque beati. Hæc certè ejus Homologeticæ Pandoræ facies eſt, hic illius aſpectus, hæc cutis, hoc externo cultu foris fulget, atque coruſcat; verùm quid in vario illo cordis receſſu occul-

cultat, quid nutrit? certè venenum ſub melle latens.

Verùmne hoc, an falſum ſit, mallem Medius fidiùs nobis Prometheus ediſſereret, quàm Epimetheus. Sed quia nos Germani propemodum ſumus ſoboles Epimethei, videlicet prudentes in fine, poſt factum: ab eventu igitur poterit, credo, quæ hæc Confeſſionária Pandora ſit, non obſcurè animadverti. Utcunque enim ſvavem ſe ac blandam præbeat foris, dejeretque nihil in ſe eſſe diſcordiarum, nihil civilis belli, nihil funeſtæ cædis: tamen irrepamus in feneſtram pectoris, & ipſa illius viſcera intueamur: reperiemus continuò in hujus confeſſionariæ Pandoræ pectore latere tot hæreſes, quot ſecunda pars hujus libri complexa eſt: tot ſectas, quot pars tertia, tot fraudes ac dolos, quot prima. Quas verò cædes illa & ſtrages in Germania ediderit, hiſtórici ætatis noſtræ loqvuntur: recens enim hominũ memoria eſt, quàm cruentum fuerit infauſtumque novi iſtius Evangelij principium. Scimus in ruſticano tumultu quid acciderit, & quid evenerit in Anabaptiſtarum oppugnatione: ſcimus quali eventu Tigurini Helvetij novam diſciplinam Evangelij conati fuerint confœderatis ſocijs tradere: nec excidit hominum memoriâ, quòd ejuſdem novitatis occaſione Pruſſiam Germanis eripuit Polonus, Solymanus Ungariam Regi Ferdinando. Taceo quæ poſtea civilia bella ſecuta, quæ factæ cædes Principum, quæ urbes exuſtæ, quæ vaſtatæ ſint per totam Germaniam Provinciæ, quàm deniq; internecinis odijs diſcordijsque omnes omnium Principum, omnium ſtatuum, Ordinumque animi inflammati, atque exulcera-

ti insolescant: unde, quid tandem in hac miserabili rerum conversione eventurum sit, solus Deus exactè novit, nos duntaxat spem divinæ misericordiæ fovemus. Quamobrem ut ita concludam, quemadmodùm exorsus nemini dubium esse potest, si bonum sui est conservans, & sui destructivum malum, quin ex Gamalielis vaticinio, spem eam nobis haud incertam polliceri possimus, fore denique, ut Ecclesia ab his diuturnis malis aliquando liberata, pacem sit habitura suam, & hæreses in sese revolutæ, interituræ sint tandem. Hoc fac clementissime Deus, & citò. Da etiam Spiritum Sanctum tuum, Spiritûm pietatis Catholico Clero, ut turpitudinem vitæ deponant, ut mores suos pravos emendent, & induant honestos, ut scandala tollant & abusus in Ecclesia, atque ita vivant ex more majorum, ne quid contra Deum & antiquos canones temerè peccatum judicetur. Jllumina radijs gratiæ tuæ, & accende corda Hæreticorum non sicut eos docuit Coriphæus eorum Martinus Lutherus, qui cum sit *condemnatus*, eò quod *non crediderit* Sanctæ Matri Ecclesiæ, *duxit in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendit*; *ipse impius in impietate sua mortuus est, & sepultus est in inferno*. Boni Viri DD. Diffidentes, surgite de vestris stercoribus, in quibus *tanquam sus lota involutabro luti* jacetis miseri? *aspicite cælum, & levate capita vestra* tandem aliquando *ne sicut* errantes *oves positi in inferno, mors* depascat vos. *Nolite locum dare diabolo*, monet Apostolus. Atqui ipse Lutherus fatetur sibi Diabolum familiarissimum fuisse, cum quo cubabat & disputabat, & duo ipsi persvasit, prout ipse Lutherus testatur in colloquijs Mensalibus editis Francofurti ad Mænum,

fol.

fol. 216. & *fol.* 217. Primum *ut Christum relinqueret*, alterum, *ut Missam abrogaret privatam*. tom. 7. Witt. *fol.* 479. & *tom.* 6. *Ienes. fol.* 82. Ex quibus tale ponitur dilemma: Vel Diabolo credendum vel non credendum. Si credẽdũ? Christũ debuit relinquere. Si nõ credendum? Lutherus ab eo non debuit cæteros errores addiscere, tanquam à patre mendacij. Ergò Lutherus utrumque credere debebat, vel neutrum. Non utrumque, ùt supra toties declaravimus; neutrum ergò. Hoc argumentô convictus Franciscus Valsingamus, conversus est ad nostram Fidem Catholicam Unde S. Aug. trac. 42. in Ioan. *si quod dicis, à Diabolo accepisti, & Diabolo credidisti, mendax es.* At Federicus Baldvinus, individuus Lutheri Comes, opponit se dicens: *fas est & ab hoste doceri.* Miror te Federice; Lutherum sequeris, quem Diabolum sequi fateris. Turpissimum Lutherum audite Lutherani, & horrescite, si micam pudoris & honestatis habere vultis; in analysi duorum thematum matrimonialium ait: *hominem ad matrimonium conditum esse, ut fructus ventris sui producat & educet, quemadmodùm arbor, vel poma, vel pyra, aliosvè fructus proferat, creata est.* Quid plura? In Colloq. Francof. 1571. *fol.* 445. ipse suum genium solus & mores describit: *Nihil singulare, ait, in vita mea eminet. Possum jocari, frontem exporrigere, ridere, sumq; commodus & factus convivator: cumquè unum biræ, seu cerevisiæ cantharum teneo, statim dolium ipsum totum concupisco, sæpiusquè benè bonum haustum facio in Dei gloriam. Pro eo itaquè, quòd priùs macerabam corpus meum, mox cum mortuus, & in capulo positus fuero, vermibus ventricosum beneque crassum doctorem escam dabo.* In Colloq. Illeb: de fanaticis, ait: *Si Cælum aper-*

tum viderem, idq; culmô stramineô de terra sublato mereri possem, culmum nequaquàm vellem tollere - - - voramus ad mortem, potamus ad egestatem, & ad infernum dormimus, visimus, mingimus, pedimus, caccamus deniq; ad mortem. Et, in breviss. annot. in cap. 15. Matt. tom. 5. Latin. Wittemb: *Omnis*, inquit, *sanctitas consistit in caccando & mingendo.* Et tom. 2. Lat. Witt. *fol.* 74. §. 4. docet: *unicum esse peccatum, solam infidelitatem videlicet: cum qui credit, peccare non posse.* Isleb. *fol.* 130. urget suam nequitiam, & alios intoxicans, ait: *ut blasphæmias, parricidia, Dei contemptum, adulteria, &c. confidenter committant.* In Postilla sua domestica Ienæ editâ per Christianum Rodingerum An. 1559. in ser. super Evang. S. Joannis cap. 3. Fer. II. Pentec: *Ampliùs jam in mundo nullum est peccatum* (inquit Lutherus) *præter infidelitatem: alia peccata in orbe sunt Domini Simonis peccata, si dum meus Ioannulus* (filius ejus) *in angulo ventrem purgat, &c. ridemus ex hoc dicentes, quàm benè fecerit; ita & fides nostra operatur, quòd stercus nostrum non fæteat ante Deum* Audite DD. Lutherani, antesignani vestri, divi Lutheri sanctitatem, & quàm benè præditus sit virtutibus, legite tom. 2. germ. Ien. ad Equites Teuton. *fol.* 314. §. 3. & *fol.* 25. §. 4. ait: *Si contingeret per Decretum Concilij Ecclesiastici, nubendi potestatem dari; tum ego Ecclesiasticis omnibus locò Dei præciperem, ut nullus ipsorum vi Decreti illius uxorem ducat sub æterna damnationis pæna, sed potiùs castè vivat, aut si hoc non queat, unam, duas, aut tres concubinas habeat, ut in hac infirmitate sua, nequaquàm de Dei gratia desperet.* En virtuosum Doctorem. Et tom. 1. Jenens. Germ. lib. de Confess. ad Franc. Sicking: *Idcircò fidele consilium meum*

um est, ut homo Christianus in Quadragesima & Paschate, neq; confiteatur, neq; ad hoc Sacramentum accedat, at sic cogitet: quandoquidem homo (Papa scilicet) præcipit, ob id ipsum non faciam, & si non præcepisset, facturus essem; faciam autem alio tempore, quô ipse non præcepit quando, & quomodò me voluntas mea libera impulerit. Mira insania! hic dicit liberam esse in homine voluntatem ad faciendum vel omittendum, qui tamen in multis ferè innumeris locis necessitatem omninò invehit. En theologus præclarus Doctor Martinus Lutherus, qui sic resolvit benè conscientias hominum, juxta illud: *Est via quæ ducit ad perditionem lata, & spatiosa, & multi intrant per eam* Lutherani sine fine! o miseram hominis sortem! In Lutheri Grãmatica, quam tradit tom. 5. Witt. Latin. *fol.* 171. num. 5 Comm. in Ps. 5. *Hæc,* inquit, *tibi norma, & regula esto, ubicunquè Scriptura jubet bona opera facere - - - - Tametsi Papistæ ingentem cumulum locorum Scripturæ afferant, in quibus bona opera præcipiuntur, ego ninihil curo dicta Scripturæ, si etiam ijs adhuc plura afferrentur. Tu quidem Papista valdè fastidis, & ferocem te facis cum Scriptura, quæ tamen Christo, ut Domino, subest, Itaq; nihil eâ re moveor. Age sane; famulo nitere quantum vales.* Omissis plerisq; ambagibus Lutheri stolidissimi, unum pro coronide, omittere non possum; Joannes Mathesius in vita Lutheri, quem innumeris evehit laudibus, conc. 12. *fol.* 147. sic ait: *Magister Ioannes Muza Prædicans Rochlizensis narravit mihi, se quodam tempore admodum dolenter Luthero questum esse, quod ipsemet ea credere non posset, quæ alijs prædicabat. Tum respondisse Lutherum: Benedictus ergo sit Deus, cùm idem alijs quòd mihi usuvenit.* En Theologia Doctoris Lutheri.

TABU-

TABULÆ VIGENTIUM NUNC *Atq; GRASSANTIVM* PASSIM HÆRESEON ANASCEVASTICÆ

atque analyticæ, ex varijs Reverendi D. Wilhelmi Lindani Dordraceni S. Theologiæ Doct. Regij Consiliarij, & Reverendissimi Episcopi Trajectensis per Frisiam Commissarij, scriptis concinnatæ.

Ex quarum intuitu errores fanatici, de prisca Hæreticorum sentina, plerique omnes nunc temporis hausti & renovati, facillimè confutentur, & in suæ vanitatis fumos resolvantur.

Tabula prima.

Demonſtrat Lutheri & aliorum hæreſes atq; errores, ex mera Evangelij ac doctrinæ liquidò Apoſtolicæ imperitia enatas.

Tabula ſecunda.

Pugnam habet Lutheri ſecum ac mutuæ inter ipſos Evãgelicos diſſenſionis plane & irrecõciliabilis, ubi perſpicue agnoſcas, non Chriſtum, qui pacis Deus eſt, in eis loqui, ſed Antichriſtum, illo diſſenſionis ſpiritu in Angelum lucis ſeſe transformante.

Tabula tertia.

Catalogus ſectarum ex uno Lutheri ſpiritu, nihil minus quàm uno, ſed maximè vario ac multiplici, mundo exortarum.

Tabula quarta.

Index hæreſeon, quæ priſcorum ex Hæreticorum, vel citra controverſiam damnatiſſimorum Lerna Evãgelij titulo interpolatæ & renovatæ, per Lutherum & ejus ſynevangelicos, nunc pro Chriſti Evangelio ſimplicioribus Chriſti oviculis obtruduntur.

Tabula quinta.

Pſeudologiarum atque nobilium aliquot mendaciorum

orum farrago, quibus isti Evangelici suum stabilire conati Pseudoevangelium, Catholicam juxta Orthodoxam Ecclesiæ Christi vexant dilaniantque doctrinam, congesto ex scripturis infestissimorum Catholicæ fidei hostium Philippi Melanthonis, Brentzij, Calvini, Buceri, &c.

Tabula sexta.

Epitomen habet doctrinæ verè Evangelicæ (quod ad dogmata nunc tempestatis controversa attinet) liquidò scripturis & vetustissimorum Patrum testimonijs corroboratæ atq; contestatæ.

Tabula septima.

Chronologia affixa in piorum veri Evangelij studiosorum gratiam, quæ Orthodoxorum PP. & Scriptorum vetustissimorum, qui ante annos mille floruerunt, quorum testimonijs tantùm hæc conficiuntur, habet Catalogum.

PIO SPECTATORI EVANGELII VERI,

Juxta atque Orthodoxi studio, unam in Christo fidem, vitamque Christianam.

HAsce tabulas Christianæ F. nostræ Germaniæ, & Catholicæ in primis Christi JESU Ecclesiæ depictas, atque ex panoplia Evangelica, sive de verbo Dei Evangelico libris quinque clarissimi viri D. D. Wilhelmi Lindani Dordraceni. S. Th. Doct. & Professoris in Academia Dylingana, alijsque ejusdem scriptis brevi in lucem edendis à pijs quibusdam collectas & delineatas tibi extra opus proponere voluimus contemplandas & perlustrandas: quò aut Catholicus videas, quibus cum errorũ monstris tibi sit depugnandum, quid assiduè meditandum, quid pro sua cuique virili, ut bellum hoc sacrum feliciter tandem conficiatur, moliendum, ac studio obnixo, aut precibus saltem ardentibus, connitendũ: Aut quoslibet de Evangelicorum adeò variorum grege adversarios agnoscas solis luce clarius(nisi oculos ipse tibi demens erueris) quàm dogmata secteris infelix, nihil minus quàm Evangelica aut Apostolica nedum Catholica aut Orthodoxa, ab illis dissonantia. Tabulas igitur has lector, ceu velitationes ingrassantes, variorum ut nominum, ita opinionum, hæreticas turmas nunc candidus accipe, atque benevolus, brevi Panopliam Evangelicam quinq; libris de verbi Dei Evangelici natura, partibus scripti, & non scripti, &

Traditionibus liquidò Apostolicis instructam videbis, justam in aciem adversùs omnes omnium phalangū castris Dei Israël maledicentium hostes eductam. Vale pie lector, & nostrum Evangelij Orthodoxi illustrandi studium gratus pijs adjuvato precibus, Evangelicq; instaurando, & à Pseudoeuangelicorum injurijs ac sacrilegijs vindicando, pro sua quisque virili collaborato.

VAria varijs probantur remedia, quibus homines Christiani adversùs grassantes passim hereseôn pestes obmuniantur, & porrecto quasi antidoto præserventur. Verùm inter omnia, illud haud postremum meretur locum, quod istorum in controversia positorum dogmatum antiquitatem demonstrat, simulque originem illam primævam ob oculos ponit, quod prima hæc tabula majori ex parte effectum dabit, quæ Lutheri & aliorum Pseudoevangelicorum opiniones ex mera veri Evangelij, doctrinæq; liquidò Apostolicæ imperitia, ostendit enatas.

LE-

LECTORI CANDIDO.

HÆc Orthodoxorum Patrum & clarissimorum ante annos mille Scriptorum testimonia hoc in vicino tabulæ dextro margine recitata esse vera, nisi ab impudentissimo, negari non potest: Iam cum iis, qui hic Patribus vetustissimis de re item vetustissima fidem abrogant, disputandi non est locus: sicuti nec eadem scripturarum capitibus confirmandi. Quæ si quis requirat, Tabulam sextam & cæteras consulat. Vbi pro eo atq; instituti ratio tulit illa scripturarum locis obmunivimus, & perpetuo Catholicæ Christi Ecclesiæ consensu corroboravimus. Si quid porro ingenij moderatioris homines copiosius desiderent illustratum, & firmius comprobatum, id sua pro virili dabit brevi nostræ Panopliæ Evangelicæ, sive de Verbo Dei Evangelico lib. 3. & 4.

PRIMA TABULA.

DEMONSTRANS LUTHERI ET CÆTErorum item iſtorum Evangelicorum errores & hæreſes, ex mera Evangelij veri ac doctrinæ liquidò Apoſtolicæ imperitia, natas atque propagatas.

DD. enim Apoſtoli à Chriſto eruditi, & ejus Spiritu ſancto edocti, Eccleſiam Chriſtianam ini tiò docuêre, uti nobis Catholicis diſertè atteſtatur.

Dion. Areopag. de Eccleſ. Hierar. Cypr. ep. 12. lib. 1. & ſer. de ablut. pedum. Suffragatur. Auguſt. epiſt. 18. ad Januarium, & alijs varijs locis infra recitandis, Tab. 5. num. 7. & tabul. 6. num. 2. & ſequentib. Orig. Periarchō, & ad Ro. 6. Auguſ. epiſt. 28.

1. *Sacramēta eſſe plura quàm*
   - 1. *Vnū.* — 1. *Lutherus, unū tantū aſſerens ſi juxta ſcripturas loquendum Cap. Babyl.*
   - 2. *Duo* — 2. *Luth. ar. 30. in Catechiſ. Melan. olim lo. Cō. ar. 12. Calvin. Inſtit.*
   - 3. *Tria* — 3. *Confeſ. Auguſt. Philip. Melanth. apol. art. 30.*
   - 4. *quatuor.* — 4. *Melanth. loc. Com. art. 52.*
   - 5. *quinq;* — 5. *Wilhe. Poſtel. in Panthenoſia, ubi ſe fingit Eliam Pandocheum.*

   negat

2. *Infantes omnes naſci peccatô originali infectos* — negat — *Zvinglius, Calvinus, Bucerus.* — *propriè peccatum eſſe maximum in Christianorum filijs.*

Aug.

Aug. ser. ro de verbis Apost	*3. Exorcismū adhibendum ante baptisma.*	negat	*Lutherus Zvingliani Calvinus*
Diony Areopag de Eccl. Hie	*4. Abrenuntiationem permittendam.*	negat	*Lutherus. Bucerus.*
Basil cap 7. de spi. sanct.	*5. Aquam fontis consecrandam.*	negat	*Lutherani.*
Chrys. ho. 24. in Io. Aug. epi. 28.	*6 Baptismum requirere aquam necessario.*	negat	*Calvinus.*
Orige. ad Ro 6. Augus. ep. 28.	*7 Infantes esse baptizandos*	negat	*Anabaptistarum colluvies varia.*
Aug. epis. 28.	*8. Parvulos sine baptismo æquè non salvari.*	negat	*Calvinus Bucerus.*
Patres in cōc. Nice ex actis Græcis cō sentiunt. Basilius, Chry. Nazian. Hieron. Aug.	*9. Baptismum Christi esse alium à Ioannis Baptistæ baptismo.*	negat	*Calvinus Bucerus.*

Auctoritates	Propositio		Adversarii
August. persæpè epist. 28.	10. Parvulos Christianorum renasci, non nasci filios Dei.	negat	Calvinus. Bucerus.
Basil. cap. 27 de spiritu sancto. Dionys. Areop. Mich. Syngelus.	11. Baptizatos oleo esse ungendos.	negãt	Lutherani. Calvinus. Zvinglius.
Cypr. serm. de ablut: pedum; & epist 12 lib: 1 Augustin: lib: 5. cõtra Donatist. cap. 20.	12. Confirmationem esse sacramentum.	negat	Lutherus. Calvinus.
Cypr. ubi ante Flavianus cum synodo. Michael Syngelus.	13. Confirmationem habere Chrismatis illinitionem.	negat	Bucerus. Calvinus.
Fabia. martyr cũ syn. Hieron. contra Lucif.	14. Episcopũ esse hujus administrum	negat	Bucerus Reformat. Bonensi. Calvin. Instit.
Cyprian. epist. 3. lib. 2. concil. 6. Constant. & aliis.	15. Eucharistiam fieri ex vino aquâ permixto	negat	Zvinglius.
Iustinus Apol. 1. Basil de spir sanct. cap. 27.	16. Eucharistiam fieri verbis sacerdotis, non fide suscipientis.	negat	Lutherus.
Iustinus Apolo. 1. Iren. libro 4 cap. 22. Euseb. lib. 1. Evang. Demõstrat.	17. Eucharistiam esse veri ac præsentis corporis dominici sacramentum.	negat	Zvinglius Calvinus.

Iusti-

Iustinus Apolog. 1. *Irenæus lib.* 4. *cap.* 34.	18. *Eucharistiam non habere verum panem & vinum unà cum vero corpore & sanguine Domini*	negat	*Lutherus cum suis.*
Iustinus Apol 1. *Iren. lib.* 4. *cap.* 32. & 34	19. *Eucharistiam nõ esse tantũ corporis absentis symbolum aut signum*	negat	*Carolosta. Zvinglius Oecolampadius.*
Irenæus lib 4 *cap.* 32. & 34. *August. serm.* 33. *de verbis Apostol.*	20. *Eucharistiam non esse sacrificiũ tantùm commemorativum*	negat	*Philippus Melanth. in Apologia.*
Chrys hom. 69 *ad pop Antioch & cap* 11 *ad Phil. Greg Niss. Damascẽ Aug. ser.* 32. *de verbis Apost.*	21. *Eucharistiam esse sacrificiũ propitiatorium pro mortuis*	negat	*Lutherus & alij ad unum omnes.*
D. Hieron. Dial 3. *cõtra Pelag.*	22 *Ad sacrificium corporis dominici recitandam orationem dominicam*	negat	*Zvingliani. Anabaptistæ.*
Leo Mag. epist. 90	23. *Pænitentiam adhibendam confitendaq; esse necessariò peccata sacerdoti post lapsum à baptismo*	negat	*Zvinglius Lutherus.* [illegible]*nõ.*

Canon. Apost. concil. Antioch. D. Leo Magnus epist. 90.	*24. Satisfactionem ad peccata lapsorum delenda esse adhibendam*	negat	*Lutherus & alij.*
Aug. lib. 2. cōtr. epist. Perme cap. 13 l. 1. de Bapt. cont. Don. cap. 1.	*25. Ordinem esse veri nominis Sacramentum.*	negat	*Lutherus* *Calvinus.*
Germanus Constanti. Golfridus Abbas Anglicanus.	*26. Clericis gestandas in vertice coronas.*	negat	*Lutherus, & pleriq; omnes alij.*
Cyprianꝰ in Orat. Dominica. Hieron. in Danielem, cap. 6.	*27. Horis certis Deum orandum.*	negat	*Lutherus, & Zvinglius.*
Hier. epist. ad Marcellam. Theophylus Alexandrinus lib. 1. Pasc.	*28. Quadragesimam esse iejunandam*	negat	*Lutherus, & alij omnes.*
Leo in ser. varijs quatuor tēporū meminit, quæ Apostoli tradiderint iejunanda.	*29 Quatuor tempora esse iejunanda*	negat	*Lutherus, & alij omnes.*
Origē. Periarch. 29.	*30. Hominem liberi esse arbitrij*	negat	*Lutherus.* *Illyricus.*
Origenes ibidem.	*30. Operum piorum meritis reddendam mercedē*	negat	*Lutherus.* *Calvinus.*

D. Ba-

D. *Basil:ep. ad Julianũ Apost. Syn: 2. Nice. Ioan: Antiochenus Histor.*	32. *Sanctorum imagines recte observari & coli.*	negat	*Zvinglius. Calvinus.*
Martialis epistola ad Burdegal: Prudentiu hymno in D. *Eulalium:*	33. *Sanctorum sacras reliquias esse venerãdas.*	negãt	*Lutherani. Zvingliani*
Origen. in Matth. cap. 1.	34 *Dies Sanctis festos celebrandos.*	negãt	*Anabaptistæ.*
PP: in Concil: Gangrẽ: Suffragatur, Orig: anno 220: vide Tab: 4: nume: 4:	35. *Sanctos recte ad auxilium invocari.*	negat	*Lutherani Zvĩgliani.* — *ad unũ omnes.*
Chrys. hom: 69: ad populum Antioche. & Aug: de verbis Apost: ser: 32: Gregor. Nisse, Apost docuisse orandum & sacrificandum pro mortuis. Suffragatur Synodus Affricana apud Cyprian. lib. 2. epist 9: Tertul. de exhortatione castitat.	36. *Purgari animas Christianorum hinc ad cœlũ evocatas, vivorumq; suffragijs adjuvari.*	negãt	*Lutherani. Zvĩgliani.* — *ad unũ ões.*
Origen. in num. Homil. 5. Cypr. ser. de baptis: August. de baptism. lib. 2: cap: 7:	37. *Rit9 quosdam Sacramẽtis & ceremonias rebus Sacris adhibẽdas.*	negãt	*Lutherani. Anabaptistæ.*

Patres	Propositio		Negantes
Epipha: Hæres: Apostoli. Aug. de ivit: Dei lib: 17. cap: 4: Apostolos vovisse paupertatem.	38. *Vota Virginitatis & paupertatis rectè Deo fieri.*	negat	*Lutherus, Brētzius.*
Epiphanius in Apostolicis.	39. *Peccatū esse, post votum continentiæ ad nuptias converti.*	negat	*Lutherus. Bucerus. Carolstadius. Bretzi9, & tota votifragorū Monachorū & Sacerdotū caterva.*
August: serm: de tempo: Ambros: in epist: 81. & serm: 38. Rufinus in Symbolo	40. *Symbolum Apostolorum esse recipiēdū, quod ab ipsis sit cōditū Apost.*	negat	*Brentzius. in Catech: magno. Calvin: in Institut:*
Basilius cap: 27. de Spiritu Sancto hoc ex proposito demonstrat. Sic & Chrysostomus variè, & aliJ PP: quos ad hoc evincendum recenset lib: 2. Panopliæ Evangelicæ	41, *Credenda esse, quæ nobis sunt evangelizata, non solùm quæ scripta:*	negat	*Luther9, Zuīglius, Calvin9 Bucerus, Brētzius, & omnis reliqua spirit9 dissēsionis schola*

Quod istorum dogma quasi omnis controversiæ caput, & errorum omnium seminarium refutat, vanumq; demonstrat totus liber 1. Evangelicæ Panopliæ, argumentis varijs adeoq; ipsis ex verbis. — *Philip: Melanth. Lutheri. Brentzij. Buceri.*

1. Pet. 1.

Verbum Domini manet in æternum, hoc eſt autem Verbum, quod vobis eſt Evangelizatum.

2. Theſſal. 2.

Itaque fratres, ſtate & tenete Traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram.

Rom. 16.

Rogo vos fratres, ut obſervetis eos, qui diſſenſiones & ſcandala præter doctrinam, quam vos didiciſtis faciunt, & declinate ab illis.

Hinc hinc oculos vel tandem recipiat Germania, & ad germanam illam vnius fidei verè certoq; Evangelicæ redeat puritatem, quam àD. Thoma Apoſtolo, & Apoſtolorum Diſcipulis pridem ab initio didicit.

Secunda Tabula.

Iſthæc adeò varia opinionum inter ipſos, quos ſe quiſque magno cum ſupercilio dictitat, Evangelicos pugna undenàm ſit exorta, ſuis ipſe verbis docet veriſſime, (ſi quid aliud) Lutherus, iſtarum verè Evangelicarum ad unum omnium viperarum parens, lib. 1. contra Zvin-

glia. Istiusmodi dissensionem (inquiens) & divisionem inter ipsos (Zvinglianos) non esse à Spiritu Sancto, sed à Sathana, quod spiritus ille vertiginis contradicit sibi ipsi, quod liberè concludendum est, diabolum omnis dissensionis patrem esse eorum (Zvinglianorum) Doctorem, &c. Hæc ibi Lutherus de Zvinglianis. Sed quid ei aliud Zvingliani respondeant, quàm hæc in te tuosque retorta Luthere, de te ipso tuisq; plus inter se quàm nobiscum pugnantibus pronuntia, & verissimum dixeris. Quod ipsum tam his, quàm illis alijsq; ad unum omnibus istis factionibus verissimè una pronuntiat Catholica Christi Ecclesia, uti & de istorum avis & proavis magnis priscis illis hæreticis, à quibus fanaticos istos mutuati errores, bellum diaboli renovantes, afflictam Christi sponsam Ecclesiam divexant. Certè ut Evangelicorum istorum quisque fortiter se inficietur Hæreticum, isthoc tamen suæ doctrinæ inconstantia & adeò pugna verissimum declarat, quod D. scribit Hilarius lib. 7. de Tri. Hæreticorum esse incerta omnia & vana, invicem dissidere, non eadem de eisdem dicere, cum sint vel duo vel tres semetipsos arguere, de eisdem verbis non consentientes differentia dicere, in idem tamen blasphemiæ concurrere propositum. *Sed ut hanc discordiam Lutherus Doctor pallio còoperiret,*

mul-

mulcet ſuos ſequaces & illinit ſub melle veneno: tom. 2. Germ. Witt. ad cap. 3. Gen. fol. 215. §. 3. Brevi, *inquit*, rursùm eò rem redire oportebit, ut probi, ſinceri, ac fideles prædicantes cœlibem vitam ducant, & alienis uxoribus ac filiabus utantur; quæ cum erga ipſos benè affectæ fuerint, etiam mariti ac patres eos diligere cogentur. *O! diſcipulos impudentes, ſub tali ſcelerato Magiſtro! ſed cur ſvadeat hic malus homo, fortiter peccandum? ut veri ſint peccatores, rationem ipſe dat tom. 1. Epiſt. edit, Ienæ. fol.* 345. Si vera eſt gratia, ait, verum non fictum peccatorem ferto: cùm Deus non faciat ſalvos fictos peccatores. *Nec mirum, cùm & ipſum Deum præcepta ſtatuentem faciat omnium malorum Principem, legis iniquæ latorem; nam tom. 1. Germ. Witt. comm. in cap. 5. ad Galat. fol. 273. ſic expreſsè docet:* Tollantur de medio decem præcepta Dei, & ceſſabunt omnes hæreſes: nam 10. præcepta ſunt fons, ex quo velut ex ſcaturigine hæreſes omnes emanant.

O impium dogma.

TA-

SECUNDA TABULA.

Pugnam habet Lutheri ſecum & cum ſuis, bellumqué inter Lutheranos & alios Evangelicos irreconciliabile.

* * *

PRÆFATIUNCULA
in ſecundam Tabulam.

CUm doctrina illa Apoſtolorum, tabulâ ſuperiore delineata hominibus nimis altum dormientibus minùs atque decuit, eſſet in vulgus nota, aut ſaltem evidens, non fuit illi inimico homini difficile, illa ſua zizania bono Apoſtolorum ſemini ſuperſeminare: quæ, ut bonum illud Evangelicum ſemen corrumpunt, totum per orbem initiô ſparſum: ita ſui quoque degeneratione atque diſſimilitudine ſeipſa perdunt: quod in potiſſimis aliquot fidei capitibus operæ pretium duximus demonſtraſſe. Ab illa una igitur Apoſtolicæ & Catholicæ Eccleſiæ fide diſcedentes Adverſarij, ſpiritibus illis juxta Pauli Prophetiam attendentes erroris, variè inter ſe ipſi de ſua quam quiſque jactitat Evangelicâ tumultuantur doctrinâ, uti.

I.

I.
DE CONFESSIONE
Augustana, Carolo V. Augustæ Anno 30. exhibita.

Veram esse	*ajebat*	*Philipp. Melāth. ejus & Author, & exhibitor Augustæ. Vbi ab absente Luthero eam consarciebat. Brentzius & alij tunc temporis suffragatores.*	negat	*1. Philip. Melāth. cum suis Saxonibus & Brentzio, alijsq; tunc temporis non paucis. Nam articulum confessionis illiusmet Carolo 5. exhibitæ decimum de cœna Domini hisce ver-*

bis scriptum, & exhibitum: Docent, quod verum corpus & sanguis Christi Veraciter sub speciebus panis & vini in cœna præsens sit: Hunc in modum anno consecuto Wittembergæ permutârunt, imo veriùs mutilarunt, quòd corpus & sanguis Christi verè adsint & distribuantur vescentibus in cœna Domini. Sic enim ad verbum habet Confessio anno 31. Wittembergæ cum Apologia Philippi edita. Item anno 37. Hagonæ. Verùm Anno 40. & sequentibus in hunc usque diem, omnes editiones, etiam Wittembergensis contrarium habet primæ illi de panis vinique speciebus professioni haud dubium (ut tunc temporis putabant) Evangelicæ, hunc in modum, Quòd cum pane & vino verè exhibeatur corpus & sanguis Christi vescentibus in cæna Domini

mini: quòd novelli isti Lutheranæ doctrinæ discipuli pro Evangelio ignoranter arripientes, defendere audent doctrinam esse Confessionis Augustanæ, cùm plusquam ex diametro cum illa prima, & ideo vera Confessione Augustana pugnet.

2.

Bucerus & alij Zvingliani, qui Augustæ Anno 30. noluerunt Philipp. & Suffragatoribus eius subscribere, inter quos fuère. { *Argentinenses. Constantiēses. Lindanienses. Mēmingēses.*

3.

Gaspar Svencfeldius, qui scripto libello nobis Launingæ, sed nondum, quod equidem sciam, in lucē edito, eam refutavit, nominatim autem illum decimum Confessionis Augustanæ de Transsubstantiatione articulum, admirans quonam pacto (nam Zvinglium hic sequitur) dogma (illud, ait,) Papisticum in confessionem Augustanam adeò propalam, & quasi fidei indubitatæ, certique Evangelij à Lutheranis sit receptum.

2.

De Sacramentorum numero.

1. *Septem esse.* } ait { *Lutherus initiò.* } negat { *Lutherus cap. Babyl. Zvinglius.*

2. *Vnum esse.* } ait { *Lutherus. si iuxta scripturam loquendum.* } negat { *Lutherus anno 31. in Catechis. & ad Waldenses. Phil: Melanth: confess. August.*

3. *Duo*

3. *Duo eſſe.*	*ait*	*Lutherus anno 30. in Catech: & ad Waldenſes Philip: anno 22. locis communibus.*	negat	*Philip. an. 30 confeſſ. Aug.*
4. *Tria eſſe.*	*ait*	*Philipp. Anno 31. in Apologia.*	negat	*Phil. an. 52. loc: cō. ubi & ordinē oſtēdit ex verbo Dei eſſe aliјs Sacramentis annumerandum.*
5. *Quatuor eſſe.*	*ait*	*Philip: anno 52. loc. cōmunib9*	negāt	*Saxones in confeſſ. Saxonica, cui & Philippus ſe ſubſcripſit.*
Semper ſex fuiſſe, & alicubi ſeptem.	*ait*	*Wilhel. Poſtellus in Panthenoſia, ubi ſe Heliam Pandocheum fingit.*	negāt	*Lutherani.* *Zvingliani.*

3.

De Baptiſmo.

1. *Peccatum originale eſſe in parvulis.*	*ait*	*Lutherus cum ſuis.*	negat	*Zvinglius, Calvinus, Servetus.*
2. *Aquam Baptiſmi eſſe neceſſariam.*	*ait*	*Lutherus cum ſuis.*	negat	*Calvin: Inſtitut: Bucerus cōment: in Matth.*
3. *Abrenuntiationem baptiſmo eſſe præmittendā.*	*ait*	*Beren. in ordinatione Eccl: Wvit: fol. 14.*	negāt	*Lutherani & pleriq; aliј.*

W

4. *Remit-*

4. *Remitti baptismo peccatum, ut non imputetur,*	ait	*Lutherus cũ suis.*	negat	*Bucerus commentario in Math. Calvin. in Antido.*	*docentes nullum esse Baptismi aquæ effectum.*
5. *Concupiscentiam peccatum esse*	ait	*Lutherus, Bucerus,*	negat	*Zvinglius cum suis.*	
6, *Pueros esse baptizandos*	ait	*Lutherus & alij,*	negant	*Anabaptistæ,*	

4. De Euchariſtia.

1, *Panẽ converti in corpus Christi solis manentibus speciebus*	ait	*Luth. lib, contra Zvinglia, Transmutatur panis, inquit Melanth, Confess, August, an, 30, Carol. oblata, ubi scriptum erat sub speciebus panis & vini, Vide tab 2. num. 1.*	negat	*Luther. & Melanth. confess Aug. an. 31 & nunc edita an. 56. Ioachimus Westphalus cum tota illa conjuratorum adversus Calvinũ turba. Confess. de Eucharist.*
2, *Panem esse merum corporis signum*	ait	*Zvinglius. Oecolampadius Calvinus. Bucer. aliqãdo.*	negat	*Luthr. Confess Aug Bucer. post Lutherizans cõment. in Matth.*

	ait	negat
3. *Panen esse verum vero cum corpore*	*Luth postea Con fess Aug. adulterata, Lutherani plerique omnes*	*Luther: initio. Carolstadius. Zvinglius. Calvinus,*
4, *Vinum verum in calice manere*	*Lutherus capiivit Babylon.*	*Lutherus lib, 2, contra Zvinglium,*
5, *Euchari stiam esse adorandam*	*Luth. lib. de ador Eucharistiæ. Carolstadius ad Alber Durerium. Bucer, actis col, Ratispon.*	*Brentius, Confessio Wirtember, Lutherani,*
6 *Communionem utriusque speciei esse necessariam.*	*Luthe. confess Saxon. confess. Wirtemb plerique alij omnes.*	*Luther lib. ad Bohem. & de capt. Bab. & ser. de Eucha.*

5.

De libero arbitrio.

	ait	negat
Quod nullum sit in homine	*Lutherus captiv, Babyl, in assert, & 3 lib contra Zvinglium. Phil Melan locis commun: a. 22. Illyricus.*	*Phil. Melanth. locis commun. a. 52. mendacium dicens esse horribile, & furorem Manichæorum, hominem liberi negare arbitr.*

6.

De Operibus.

1. Esse ad salutem necessaria	ait	*Luther. ut ostendit Geor. Major li: de Operib9 Melan. ut ibidem Geor. Major.*	negat	*Luther. ut apertè ex Com. ad Gall. demonstrat Illyr. cont. Geor. Major: Melan. ut contra Major. scribens ostendit Gallus.*
2. Esse merita præmiorum in hac vita, & post hanc vitam	ait	*Melanth. in Apolog. Lutherus in Declaratione.*	negat	*Calvinus & alij.*
3. Esse merita vitæ æternæ	ait	*Bucerus, sed ex gratia omnimodo gratuita, ad Patres Concil. Trident.*	negat	*Apologia August. & alij plerique.*

7.

De Sanctorum invocatione.

Sanctos esse invocandos	ait	*Lutherus de præparatione ad mortem, & contra Taboritas.*	negat	*Lutherus. Melanthon. Calvinus & alii omnes.*

8.

De Imaginibus.

Servandas esse	ajunt	*Lutherus & pleriq; Saxones.*	negãt	*Luther. per Bavariæ Palatinatum. Zvingliani. Calvinus & alij.*

9. De Festis.

Celebranda esse	*ajunt*	*Lutherani in Ordinatione Eccles. Witemberg.*	negat	*Luth. ad Nobiles Germaniæ* *Luth. passim per Germaniam.*

10. De Oratione pro mortuis.

Eam rectè fieri ac sine peccato.	ait	*Lutherus in capitibus fidei, sub mortem editis anno 44.*	negāt	*Lutherani.* *Melanthon,* *Calvinus.* *& cæt.*

11. De Purgatorio.

Post hanc vitam esse purgatorium animarum	ait	*Lutherus varijs in locis, se certò scire. Itē in capitib9 fidei anno 44. docens licere, ut quis pro mortuis semel aut ad summū bis oret* Lieber Gott hats mit ô Seelen solchen gestalt, dasz ir zu helffen sey, so sey jhr gnedig. *fol.* 54.	negāt	*Lutherani.* *Melanthon* *Calvinus* *Zvingliani.*

12.

D. Petrum	*Romæ fuisse*	*ait*	*Lutherus in Homil.*	negat	*Sebast. Franc. Velenus.*

13.

D. Petrũ Apostolum	*fuisse Episcopum & Eccl. Romanæ præsedisse*	*ait*	*Lutherus Bucerus.*	negat	*Calvi. Funccius.*

14.

Romanũ Pontificem	*non esse Antichristũ*	*ait*	*Bucerus, negans locum ad Philippens. in eum quadrare*	negãt	*alij plerij.*

15.

Hæreticum esse	*Lutherum* *Zvinglium*	*ait*	*Zvinglius cum suis lib. contra Lutheranos editis. Lutherus cum suis lib. contra Zvinglia. scriptis.*	negat	*Lutherus cum suis, se jactantes verè Evangelicos. Zvinglius cum suis se jactantes verè Evangelicos.*

Isthinc Solis luce clarius liqueat, non Christi Spiritum, qui pacis & concordiæ Deus est, in istis loqui Evãgelicis, sed Antichristi spiritum dissensionis authorem: qui se transfigurans in Angelum lucis, Evangelicos sua mancipia istis antilogijs & contradictionibus varijs exagitat varie, atq; bello collidens intestino in

varios

varios transformat Chamæleontas. ut quemadmodum hi in omne conversi colorum genus nunqnam album, veritatis symbolum mentiri queant: ita & illi præclaram sane suam prodentes constantiam, modò hoc, modò illud, modò iterum, nec hoc, nec illud docturientes, nunquam verum, quod deseruerunt, attingunt, sed semper in illud suum Choicum, terrenum, & verè Melanthonicum, id est, nigricans illud falsum, varia sub specie revolvuntur, nisi ubi ad deserta dudum Ecclesiæ Catholicæ castra refugiunt, quod ô utinam de illis ad unum omnibus, vel tandem videre faxit Deus optimus, nunquam supplicare desivimus.

Jeremiæ 8.

Verè mendacium operatus est stylus scribarum, confusi sunt sapientes, perterriti & capti sunt. Verbum enim Domini projecerunt, & sapentia nulla est in eis.

TERTIA TABULA
CONTINET CATALOGUM

Sectarum & Factionum ex uno Lutheri Spiritu, nihil minus quàm unô, sed variô maximè ac multiplici isthac tempestate nobis exortarum.

PA-

PARASCEVE
in Tabulam Tertiam.

CUm Evangelici inter ſe ipſi de ſuo irrecõciliabiliter adeò diſſentirent Evangelio, fieri non potuit, ut non in varias quoque diſcinderentur Sectas. Ut enim quiſque aliquid aliquado ſibi apud ſuos meruiſſet nominis aut opinionis, ſe illius quaſi coloniæ fecit ducem. Unde tam varias hodie videre eſt Sectarum nomenclaturas: Cùm enim in Lutherum iſtius Tragœdiæ nimis motoriæ choragum ſibi permitterent diſcipuli, quod ſuo ſibi ille ſumpſerat jure, peſſimâ ſeductis magiſtrâ ſui præſumptione, tot hodie nobis peperêre vera illarum Evangelicarum viperarum genimina, quot prope extant capita. Quànquam iſtud ex ſuperiori opinionum inter ſe tumultuantium pugna ſatis ſuperq; viri prudentes agnoſcant, quiſnam ſpiritus de illa Chriſti una fide pariat diſſenſionem: quò tamen piis faceremus gratiùs, maximum videbamur nobis facturi operæpretium, ſi varias Lutheranorum, aut potiùs Evangelicorum (nam Lutheri denominationem non modò factionis alterius damnant & execrantur, ſed ipſi adeò Confeſſionis Auguſtanæ ſocij & conjurati abominantur) hic proponeremus ſectas, qubus inter ſe diſſecti, ſibi quisque ut arrogat, ita aliis ad unum omnibus, verum abrogat Evangelium: Omnium iſtarum noſtræ iſtius tempeſtatis multò omnium infeliciſſimæ factionum & ſectarum fons, aut (dicatur verius) ſentina Lutherus extitit, ante cujus tragædiam ut nulla publicitùs turbabat tranquil-

lam

Iam Eccleſiæ Chriſti pacem diſſenſio religionis: ita poſt ejus furioſas turbas Germaniæ per Anabaptiſtarum & Ruſticorum ſeditionem datas, & ejus diſcipuli ſuum in illum non tam magiſtrum quàm oſtenſorē ſibi ſumpsêre publicè, quod antè ab illo diſſenſionis ſpiritu ſimul didicerant. Sed nunc vide ſectarum caſtra, ut omnia adversùs unam Catholicam Chriſti JESU Eccleſiam Syncretiſmo quodam conjurata, ita ſe mutuo inter ipſa diſſidio ad illius pacem jugulantia: Hæreticorum enim bellum, pax eſt Eccleſiæ, ait Hilarius.

Ab illo igitur religioſo Monacho Auguſtinianæ, imo Chriſtianæ, areæ palea exorti nominantur Evangelicorum, alij.

Anno Domini 17. pridie omnium Sanctorum, affixit Themata contra indulgentias, & alia.

LVtherani, qui impuram Lutheri doctrinam Confeſſione Auguſtana non comprehenſam, ſed quaſi adumbratam, aut aborientem veriùs, ſectantur. Ab ea enim non ipſe modò Lutherus & quidam ſuffragatores, ſed ipſe adeò author & Hyperaſpiſtes Philippus Apologiâ eam tutatus, evariavit ſæpiùs, ut hic taceam Confeſſionem ipſam in uno Euchariſtiæ articulo trifariam deprehendi variatam, uti & alibi. O præclarum conſtantiæ Evangelicæ ſpecimen! Vide Tabulam ſecundam, numero 10. Atqui ſic quidem factum oportuit, ne quid verum cernere volentibus, deeſſet ad germanam Hæreſèós iſtam indolem depræhendendam. Fidem enim, ait ille, ut teſtamentum moriturus, mutant. Quam confeſſionem Auguſtanam,

ſic ſua à prima ſpecie mutatam & adulteratam adeò, ſeqvuntur hodie iſti veri & germani (uti ſe jactitant) Lutheri diſcipuli imprudentes, eam libellis editis (ut putant) propugnantes adversùs Calvinum, & Joannē à Laſko, Ioachimus Weſtphalus cum ſua conjuratorum turba : cùm vera Confeſſio Auguſtana Carolo V: Anno 30: exhibita , ab iſta, quæ hodie circumfertur , multis locis non ſolùm fuerit alia, ſed longè diverſa & aliena, etiam diſſonans , vereque adeò ex diametro repugnans. Vide Tab: 2: num: 1. Cæterum iſtius Lutheri, horum omnium (uti quidem aiunt verbis, ſed re ipſa longè diverſum declarant) Patris Reverendi utero, ceu viperæ, non aperto, ſed perrupto innumera per orbem proſerpsêre viperarum certè Evangelicarum genimina.

Anno 21.

C*Arolſtadiani* , ab Andrea Carolſtadio pridem Wittēbergæ Archidiacono Theol: Doct: nominati, qui primum excitavit de Euchariſtia tumultum, ait Phil: epiſt: ad Fridericum Myconium, imagines ſuſtulit Wittembergæ , Miſſam abolebat , Luthero illa fictitia ſua Pathmo oppidulo Thuringiæ Alſtadio deliteſcente, ad conflandam Cæſ: Majeſt: violatæ fidei invidiam: ſed hujus nomen obſcurarunt diſcipuli, à quibus nunc dicuntur.

Anno 26.

Z*Vingliani* , à Zvinglio anteſignano, qui vivus ſuæ impietatis pœnas dedit, qui ab ſuis Helvetijs in acie trucidatus, à Catholicis Canonibus exuritur. Ijdem

dem & alicubi Oecolampadiani à Joanne Oecolampadio Brigittano pridem Monacho. Alibi alia Sacramẽtarij à ſuæ quiſque factionis authore ſibi imponunt nomina: quæ tam variè divulſa eſt, ut vel Luthero teſte, pluſquam in decem ſectas ſit diſſecta.

Anno 24.

ANabaptiſtarum monſtra varia, non eſt, cur hic recenſeamus, quæ ſuis ipſis nominibus, ut ſapientibus omninò omnibus ſunt exoſa, ita publicitùs quoque exploſa Etſi horum origo ex diſertis Lutheri ad Valdenſes verbis fluxerit, pòſt tamen homo conſtans eos non ſcriptis modò, ſed extremo etiam afficiendos voluit ſupplicio, uti per Saxoniam Anno 27.

Anno 21. & 27.

ICONOMACHI, per omnes ſectariorum ſpecies vagantur. De Carolſtadianis, anno 21. & Zvinglianis, anno 27. notius eſt, quàm ut ſi rememorandum. Lutherani item non ſunt pauci, maximè per Bavariæ Palatinatum, qui eodem inclinarunt, anno ſuperiore 27.

Anno 36.

ANtinomi, à Joanne Iſlebio Agricola originem ducunt, contra quos Lutherus ſuos pridem diſcipulos ſcripſit, damnans quod ipſe docuerat prior. Hi dogma ſeqvuntur, ait querela Lutheri, legibus divinis contrarium, quod & nomen ſonat: legem ſcilicet operum reijcientes, finguntque homines contra conſcientiam fide juſtos eſſe. Horum factio Wittembergæ anno 38. plurimos exagitavit.

Anno 56.

OSiandrini, qui Andream Osiandrum sectantur, nos justificari essentiali Dei justificatione, hoc est, ut ait Querela Lutheri, quod nostra justificatio est in explicabilis cujusdam justitiæ, non gratiæ Dei in credentibus, sed naturæ: Horum antesignanos Funccium & Voghel scribunt Anno 56: publicè palinodiam cecinisse.

Anno 45.

SVencfeldiani, passim per Sueviæ oppida grassari cœperunt anno 45: à Gaspare Svencfeldio Silesiæ Nobilitatis nomen ducentes, qui suos jactitans enthusiasmos afflatusque divinos, fœtida de Manichæorum sentina evomuit, Christum non fuisse conceptum in utero Virginis MARIÆ, ex natura & sangvine ejusdem, opificio Spiritus Sancti, neque ex ea natum, sed aliunde à Deo creatum, hominem assumpsisse.

Anno 45.

DAvidici, sive Davidgorgiani, ab errore quodam Mago trahunt originem, qui sub Annum 45, per Frisiam sua venenata dogmata de priscis illis fœdissmorum Hæreticorum interpolavit lacunis, Sadducenismum invehens, Angelos, Dæmones, Baptismum negat. Judicium etiam extremum, carnisq; salutem, etiam Apostolorum: omnes deniq; salvandos volebat secundum spiritum, cùm tamen vitam æternam in cœlo neget futuram. Se illum esse tertium David, qui in Christi regno super terram esset regnaturus, & alia impia plurima. Hæc lues per Hollandiam & Frisiam potissimum obserpsit. *An-*

Anno 45.

MEnnonitæ, ducem ſeqvuntur quendam Mennonem, qui non ſecus à ſuis ſynevangelicis, quàm à nobis Catholicis per varia opinionum portenta diſſentiens, claudicat in varias partes. Zwinglianis & Anabaptiſtis cum primis ſuffragatus, negat Chriſtum JESUM ex Virginis Matris MARIÆ ſubſtantia hominem factum, quòd immunda ſit & peccato obnoxia, ſed ex Dei Patris ſubſtantía haud aliter inquit Colloquio Wiſmarienſi, atque meus filius, qui meæ Gertrudis filius dicitur, tametſi ſuam ſubſtantiam non ex ipſa, ſed ex me ſolo habeat. Item Chriſtum non fuiſse à Deo Patre alium perſonâ ante incarnationem: & iſtiusmodi blaſphema plurima, quæ piæ aures abhorreant vel audire.

Habes hic chariſſime lector, illa prima ſectarum jam diſſidio adeo pernicioſo tantum nobiliorum capita. in præſentiarum enim perlibenter omittimus illas obſcuras & conſopitas factiones, quibus inter ſe tumultuantibus conflictantur, novumq; in dies bellum moliuntur inteſtinum, ſed quod exoptatam Catholicis pariat Cataſtrophen. Hinc Georgius Major ſuis cum Lipſenſibus bonorum operum tuetur neceſſitatem, illinc Illyricus ſuo cum Gallo eandem oppugnat. Sic Philippo Melanthoni, Brentio, & alijs ſuæ ſunt opiniones atque dogmata, quæ Sneppius, Sarcerius cum Ienenſibus execrantur haud ſecus, atque à puro Lutheraniſmo (Evangelio dico) alieniſſima, & ex diametro pugnantiſſima. Verum iſtorum omnium caſtris Dei Iſrael adverſantium, bellum tandem aliquando, Deo Opt. propitio, ſperamus,

An 55. An 57.

mus, erit Ecclesiæ pax: quam Catastrophen pijs omnibus non tantum sperare jubeo, sed obnixius etiam supplico atque obsecro, ut precibus assiduis, ut impetrent, non desinant unquã (ut Diabolus plurima quotidie injiciat desperandi argumenta) à Patre clementissimo contendere.

APOSTROPHE LECTORIS
Catholici ad Evangelicos istos ad unum omnes.

AD vos me refero Evangelici, quem sequar? modò ne quis illud tam absurdum respondeat. Quẽlibet, modò nostrûm aliquem. Nihil potest dici inconsideratius. Quid enim verum sequar, cùm vestrũ quenque alijs omninò omnibus, ipsisq; adeò suis Doctoribus verum derogare videam? quæ igitur vera? inquam. Nostra inquiet vestrûm quisque, sola. Certè sola, si vera. Plura vera discrepantia esse non possunt. Utrum igitur nos impudentes, qui labi nolumus: an vos arrogantes, qui mutua in vos cum injuria, & præsentaneo adeò interitu vobis quisque persvasum habetis, scire vos solos omnĩa, & ea quæ omni cum Schola ætatum omnium pugnant Christiana.

D. IRENÆUS De MUTUA Inter Hæreticos diſcordia, qua & ſe mutuò jugulant, & unam illam Catholicæ Chriſti Eccleſiæ fidem ſtatuunt, lib. 4. capite 69.

CVm inter eos convenerit, de his quæ in ſcripturis ſunt, tunc & à nobis confutabuntur. Non enim bene ſentientes, tamen ſemetipſos interim arguunt, de eiſdem verbis non conſentientes. Nos autem unum & ſolum verùm Deum Doctorem ſequentes, & regulam veritatis habentes, ejus ſermones de eiſdem ſemper eadem dicimus.

PARASCEVE *in* Tabulam quartam.

IStarum factioſarum diſſenſionum authores & propugnatores cum ſui ſuppuderet diſſidij, quod ſua ipſorum conſcientia agnoſcebant certiſſimum eſſe ſpiritûs nihil minùs quàm Evangelici argumentum, magnâ omnes animi contentione ſuum quiſq; quoad-libuiſſet, dogma ut fœdum & abſurdum, Evange-

lij

lij insignire audebant titulo, quo incautioribus fucum facerent faciliùs, priscamque etiam illi adserere purioris ac veteris etiam Ecclesiæ doctrinam, Patrum item vetustissimorum suffragio præjudicatam jactitare, ac pro ipsissimo denique, si superis placet, Evangelio cæcutienti ac deliranti præ senio isti mundo venditare atque obtrudere. Cæterùm Tabula quarta magis, quod dudum diximus, dabit confirmatum, atque demonstratum clariùs, Evangelij videlicet titulô Dæmonem illum, mendaciorum patrem, hoc ævo imperitis homunculis priscas illas non minus fœdas, quàm horrendas obtrudere hæreses: quas, ut magis noceant, ceu venenum melle prælitum, piæ veræque doctrinæ, adeoque Evangelicæ palliô vestit, nequis de facili fraudem aut percipiat, aut suspicetur etiam. Quo igitur sonticæ istæ Evangelicorum pestes minus Christiano gregi adferant noxæ, hæc tabula quarta Cacodæmonis illius veteratoris callidissimi detectas dabit præstigias omnibus suæ salutis æternæ sollicitis, ubi conspicati, quàm tetras, quàm horrendas Evangelici isti interpolent Evangelij prætextu, renoventque miseris mortalibus hæreses, aliquando ad cor reversi agnoscant verum esse Pseudoevangelium, ac uti Paulus appellat, falsi nominis scientiam, veramque heterodidascaliam & doctrinam, ab Apostolorum Evangelio non modò variam, sed plus etiam quàm diametro tota dissidentem, quidquid ab una illa fide Catholica in hodiernum usque diem obtinente dissentit.

QVAR-

QUARTA TABULA.

INDICEM EXHIBET HÆRESEON;

Quas priſcorum ex hæreticorum vel citra controverſiam damnatiſſimorum lerna, Evangelij titulo renovatas per Lutherum & Synevangelicos, nunc tempeſtatis pro Chriſti Evangelio Dialogus Catholicæ ejus Eccleſiæ conatur obtrudere.

Hæreſes ſuam ad originem revocaſſe, eſt refutaſſe.

Hæretici olim damnatiſſimi docuêre hæc.

Anno 350. Manichæi, teſte D. Hieronymo præfatio, in Dialog. Pelag.	1. *Hominem non eſſe liberi arbitrij.*	*Sic*	*Lutherus. Melanth. initio, ſed nunc contrarium. Loc. Com. Anno 52. Brentius, Illyricus, Calvinus & alij ex dimidio.*
Cerdoniani, teſte Auguſtin. ad Quod vult.	2. *In nullo Prophetarum Chriſti Spiritum requieviſſe.*		*Michaël Servetus teſte Calvino actis ejus.*
350. Manichæi.	3. *Legem Dei hominibus eſſe impoſſibilem.*		*Lutherus. Calvinus in Inſtit.*

390. *Pelagiani teste August. varijs in locis.*	4. *Non esse peccatum originale propriè in infantibus.*	*Zvinglius. Servetus. Anabaptistæ.*
Pelagiani Aug lib 3. cap. 3. contra Iulianum.	5. *Non esse Christianorum infantes peccato cōtaminatos, sed mūdos*	*Zvinglius. Calvinus. Bucerus.*
Palagiani. August ad Quod vult.	6. *Christianorum infantes nasci bonos & hæredes vitæ æternæ, non renasci.*	*Bucerus. Calvinus.*
350. *Massiliani. Damascenus in hæresibus.*	7. *Baptismum hominē nō perficere nec sāctificare, nec divina sacramenta accepta animi sordes expiare.*	*Lutherus. Zvinglius.*
Massiliani. Ibidem	8. *Peccatum originale in Baptismo nō remitti, sed manere non imputatum.*	*Lutherus.*
Seleuciani & Herminiani apud Augu st. ad Quod vult.	9. *Non esse Baptismū aquæ necessarium.*	*Calvinus in Institut.*
210. *Novatiani, teste Theodo. in fab.*	10. *Confirmationem non habere sacri olei illitionem.*	*Bucerus. Calvinus.*
330. *Donatistæ, apud Optatum.*	11. *Chrisma conspuendū & conculcandum.*	*Calvinus in Instit. Lutherus.*

1000.

1000. *Berengarius*	12. *Euchariſtiam tantum eſſe corporis Dominici ſignum.*	*Zvinglius. Oecolampadius. Calvinus.*
1000. *Berengariani, teſte Gvitmundo Averſano.*	13. *Euchariſtiam habere verum Domini corpus cũ pane vero.*	*Lutherus cum ſuis.*
330. *Maſſiliani. apud Theodor.*	14. *Euchariſtiam ſub panis ſpecie non habere ſanguinem.*	*Lutherani in Polonia ait conf. Polonica.*
	15. *Euchariſtiam comeſtam nec prodeſſe, nec obeſſe.*	*Bucerus.*
400 *Neſtoriani apud Cyrillum, epiſtola ad Coloſſenſes.*	16. *Euchariſtiam non habere corpus Chriſti extra uſum ſacramenti.*	*Lutherani.*
350. *Aerius, teſte D. Auguſt. & Epiphan.*	17. *Pro mortuis non eſſe ſacrificandum.*	*Lutherani. Zvingliani.*
310. *Ioviniani, teſte Hier lib 2. contra Iovinianum.*	18. *Non poſſe juſtos peccare, nec ſpiritum ſanctum amittere.*	*Anabaptiſtæ.*
300. *Andiani, teſte Theodo. in Hæreſibus.*	19. *Confeſſionem ſacramentalem non eſſe neceſſariam.*	*Lutherani. Zvingliani.*

350. *Massiliani*, *Damascenus in hæresibus*. 1250. & *Albigenses*.	20. *Ordinis sacramentum non esse veri nominis sacramentum, nec ordinationibus clericos fieri Spiritus sancti participes.*	Lutherani. Zvingliani.
450. *Armeni*, Cathari, Flagellatores.	21. *Sacramenta omnia esse hominum figmenta. Sacramenta non conferre gratiam.*	Lutherani. Zvingliani.
780. Feliciani, Valdenses.	22. Imagines *Christi* & *Sanctorum esse Idololatricas.*	Zvinglius. Calvinus. Lutherani per Bavariam superiorem.
350. *Porphirius* & Eunomius, *Eustachius concilio Gangrensi*	23. *Miraculi esse Dæmonis præstigias.*	Lutherus. Calvinus.
320. *Vigilantius*, *teste Hieronymo.*	24. *Reliquias non esse venerandas.*	Lutherani. Zvingliani.
308. *Cathari apud Seb. Francum*, & Gvido. 320. *Vigilantius*, *apud Hierony.*	25. *Sanctos non esse ad auxilia invocandos.*	Lutherani. Zvingliani.
360. *Iovinianus*, *teste Hieron.*	26. *Virginitatem non præstare matrimonio.*	Lut. in Epith. Cōfess. Witte. *Brentius.*

30. *Aerius, apud Epiphanium.*	27. *Non esse ieiunandũ certis dieb9*	*Lutherani. Zuingliani.*
50. *Simon Magus, teste Theodo. & Irenæo.*	28. *Nos per opera non salvari, sed per fidem.*	*Lutherus. Illyricus.*
45. *Armeni, Canthari.*	29. *Non esse animarum post hanc vitam purgatorium.*	*Confess. Wittembergensis. Lutherani. Zuingliani.*
Armeni.	30. *Animas dormire usque ad judicium.*	*Anabaptistæ.*
50. *Simon Magus.* 90. *Menander.*	31. *Carnis resurrectionem esse fictitiam.*	*Servetus, Libertini in Gallia, ut ait Calvinus in actis Serveti.*
260. *Sabellius.*	32. *Christum non esse personâ alium à Patre.*	*Michaël Servetus. Ludovic. Hetzerus Anabaptistarum dux teste Seb. Franco. Menno.*
325. *Arrius.*	33. *Christum non esse æqualem Deo Patri, nec ejusdẽ substantiæ.*	*Hetzerus, teste Seb. Franco Luther. modicum tenet de homousio, & Trinitatis vox in Teutonico ei non placet, ait, libro cont. Latomum.*

50. *Basilides.* 300. *Manichæi.*	34. *Christum nostram naturam ex Virgine Maria non assumpsisse.*	*Melchior Hofman. ait formæ Eccles. Aug. an 56. edita. Menno in Colloq. Vismariensi.*
	35. *Christum substantiam secundū animam habere æternam.*	*Servetus in Dial. Wilhel. Postellus. in clave absconditorum.*
425. *Nestorius.*	36. *Christum in duabus naturis duarū esse Personarū.*	*Adam Pastoris, ut ait Georgius Cassand.*
455. *Eutyches.*	37. *Christum in una persona unius etiam esse natura.*	*Servetus, Svencfeld. teste. Georg. 2. Cassan.*
380. *Origenistæ.*	38. *Damnatos omnes, & Demones esse salvandos*	*Ioannes Denckius & Anabapt. ait Sebast. Franc. David Ioris.*
50. *Chiliastæ & Berinthus Iudaizans tēpore Apos.*	39. *Christi regnū fore corporale annorum mille.*	*Anabaptistæ quidam, teste Sebast. Franc.*

D. POLYCARPI IN HÆRETICORUM blasphemias Epiphonema, ex D. Irenæo apud Eusebium lib. 5. cap. 7.

O Deus bone, in quænam servasti me tempora, ut isthæc blasphema sustineam?

SI hæc Apostolicus ille Polycarpus aures suas continens ad illa Florini cujusdam à traditione Apostolica variantis dogmata exclamabat, quid eum hodie & facturum & dicturum, imò exclamaturum credas, ubi omnis Apostolorum doctrina prophanatur, evertitur, proculcatur?

CANDIDO LECTORI atque veritatis studioso.

HAnc pseudologiarum vanissimarum, quibus suum istud novum constabilire conantur pseudoeuangelium Adversarij, tabulam C L. ex Oratione Reverendi D.D. Wilhelmi Lindani collegimus, uti & alias nonnullas, qua Episcopos catholicos ad Ecclesiæ per scholas Ecclesiasticas instaurandas hortatur reformationem, viam & rationem ostendens longe facillimam (velint tantum illi ex animo) qua vigentes nunc passim hæreses evertantur & profligentur, per doctiorem videlicet Pastorum pietatem. Vbi Author ingenti congestâ mendaciorum, calumniarum, Sophismatum, stropharum, perversionem de Græco & Hebraico corruptelarum & mendarum veteribus scriptoribus illitarum & afflictarum, ex Confessione Augustana Wirtembergensi Saxonica,

xonica, ex Melanthone, Bucero, Brentio, Calvino, &c farragine, hujus causæ bonitate, plerophoriâ, & evidentiâ fretus, Euangelicos istos legis Corneliæ de falsis peragens reos, de scripturarum divinarum & scriptorum veterum sacrilegijs, depravationibus ac perversionibus profitetur se de horum omnium veritate audere talionis pœna experiri vel ipsis principibus protestantibus judicibus.

PARASCEVE
in Tabulam quintam.

ISthæc atque idgenus fanaticorum errorum monstra Euangelici isti renovantes, & ab orco emortua pridem, atque sepulta in lucem revocantes, ubi varijs Catholicorum scriptis fuissent non tam oppugnati, atque confixi, suæq; vanitatis manifestò convicti, ne quid tamen fucorum omittere videantur, suis qvod geminam ostentaret doctrinam Evangelicam audebant, & se veterum Patrum sententijs obmunire atque defendere, & ad priscam illam sinceriorem Eccclesiam adeò quasi protestantes provacare. Verùm qua id fecerint fronte ipsi viderint, certè qua fide, nunc omnis judicet orbis Christianus ex hac nostra Tabula 5. superioribus suffixa. Porro quod hisce pauculis, nunc demonstratum damus exemplis, posset si tabula caperet alijs plurimis, haud minùs illustribus comprobari. Hic enim non licuit proponere in theatro omnia atque universa fraudum

fraudum & pſeudologiarum genera, quibus ad ſimpliciorum & Imperiorum perniciem abutuntur, ſed illuſtriora modò mendacia, quibus quaſi nubeculis veritati oppanſis, doctrinam Eccleſiæ Chriſti etiamnum Catholicè obtinentem, conantur cumprimis obſcurare. Alia autem idgenus emblemata ſuo dabit tempore oratio illa ad Epiſcopos Catholicos de Eccleſia per Scholas Ecclaſiaſticas inſtaurandas reformanda: quæ ex adverſariorum ſcriptis tanquàm augiæ ſtabulo innumera propè oſtendit, non modò illita impiè veterum ſcriptorum libris menda: ſed afficta etiam ſacrilegè mendacia, quæ iſtos nihil pudet pigetve mundo obtrudere, lectoribusque imperitis & incautis pro Evangelio venditare. En tibi igitur L. Chriſt. indubia ſpiritûs, qui iſtos in tuam piorumq; omnium perniciem exagitat Evangelicos, ſigna, & *àpodixes* pluſquàm Euclidianæ, quæ iſtos demonſtrent pſeudologos, imò, ut dicam veriùs, pſeudoevangelicos. Nam hiſce ſtigmatibus, aut (ſi malint) emblematibus inſigniti, illud quiſque ipſorum tam dicat verè, ut nihil unquã veriùs, ſigna *Pſeudoapoſtolatus* noſtri hæc ſunt. Sed ipſam nunc Tabulam quintam attẽtis contẽplare mentis oculis, non veritatis odio, aut anticipatæ opinionis præjudicio excæcatis.

TABULA QUINTA PSEUDOLOGIARUM

Atque Nobilium aliquot mendaciorum luce meridiana clariorum: quibus Pſeudoevangelici iſti ſuum ſtabilire conantes Evangelium, Catholicam ac verè Evangelicam vexant doctrinam.

Indiculus mendaciorum, ex plurimis aliquot, quibus iſti Evangelici ſuum ſtatuere conantur pſeudoevangelium.

I.

Philippus Melanth. in Examine ordinandorum, Anno 54. & appendice Locor. Commun. Anno 52. fuiſſe in Eccleſia veteri conſvetudinem, ut poſt divortium liceret perſonæ innocenti conjuge ſuperſtite alteri nubere, annotat in Matthæum.

1. *Origenes.*
2. *Euſebius Cæſarien. ex Juſtini Apologia, fœminam Chriſtianam libellum dediſſe repudij.*
3. *Hieronymus recitat exemplum Fabiolæ, quæ alteri nupſit.*

Falſum & fraudulentum.

1. *Quia ſcribens in Matthæum Origenes ait, Epiſcopos quosdam malum hoc pejoris cauſa permiſiſſe.*

2.

1.	2	3
Contra ſcripturam dicentẽ: Mulier al ligata eſt viro, &c,	Extra ſcri. puuram.	Adversϱ ea, quæ ab initio erant ſcripta: Dico vobis, quicunque &c.

2. Euſebius Cæſarienſis eam quidem divortium feciſſe, ſed Chriſtianam illam, non agit nupſiſſe alteri, priore ſuperſtite marito, quod tibi Philippe ex eo fuit probandum.

3. Hieronymus factum recitat Fabiolæ, quod extra controverſiam eſt, quod & hodie videre eſt per Germaniam in veſtris paſſim Eccleſiolis: ſed in ſtatu juridiciali res verſatur, an illa fecerit rectè atque legitimè, an ſecus? D. Hieronymus igitur adeò Fabiolæ factum non probat, nedum Evangelio dicit conſentaneum, ut eam diſertè profiteatur.

1. Feciſſe contra legemPauli, imò Chriſti: quod ignorans Evangelij vigorem alteri nupſerit.

2. Ream peccati idcirco fuiſſe, ait namque:

3. Facilè culpam fatebor, &c. & iterum:

4. Sed quid ego in abolitis & antiquis moror, quærens excuſare culpam, cujus pœnitentiam publicam ipſa confeſſa eſt.

5. Ad hæc ſubtexuit: Non lauda converſam, niſi prius ream abſolvero.

II.

Philipp. Melanth. in Eccleſia ſua.

Sacramenti Euchariſtiæ oblationem pro mortuis non fuiſſe Auguſtini ætate.

Falſum.

Quia tota Africana Eccleſia in Synodo vetuerat pro quibuſdam offerri Euchariſtiam ante Cypriani ætatem, eodem teſte, lib. 1. epiſt. 9.

Tertullianus de exhortatione caſtitatis.

Ambroſius Orat. funebri in fratrem Satyrum.

Chryſoſtomus Homil. ad Antioh. 69.

Auguſtinus ſerm. 32. de verb. Apoſt.

Enchiridij cap. 110. ad Dulcitium, quæſt. 4. Confeſſ. 9. c. 12.

III.

Phipipp. Malanth. ibidem.

Sanctorum invocationem temporibus Gregorij I. irrepiſſ. in Eccleſias.

Falſum.

Quia Cypriani ætate, Anno 160. Virgo Mater invocabatur, uti ex eo recitat Nazianzenus Orat. in Cyprianum.

Nectarius Conſtantinopolitanus invocat D. Theodorum.

Auguſtinus de cura pro mortuis cap. 4. & ſerm. 1. D. Laurentium.

Ambroſius de viduis.

Hieronymus Paulam in ejus Epitaphio.

IV.

IV.

Philip. Melanth. Apolog. Confess. Augustanæ.

Neque reliqui veteres Scriptores ante Gregorium I. fecerunt mentionem invocationis Sanctorum.

Falsum.

Quia Cyprianus lib. de sua vita, teste Nazianze. Orat. in D. Cypria. narrat, quòd Virgo quædam Christiana D. Virginem MARIAM supplex ad auxilium invocârit.	*A.D.* 160
Origenes comment. in D. Job invocat Sanctos.	*A.D* 220.
Nectarius Constantinop. D. Theodor. Mart. Christum redde propitium.	*A.D* 350.
D. Nazianzenus Basilium monodia.	*A.D.*360.
Chrysostomus docet Sanctos invocandos, ad Philippenses capite 1.	370.
D. Ephrem D. Virginem invocat.	370.
Ambrosius de viduis, obsecrandi sunt Martyres, &c.	380.
Hieronymus D. Paulam in Epitaphio.	390.
Prudentius D. Laurentium, & alios.	360.
Augustinus serm. 1. in D. Laurentium.	400.
Vigilius Tridentinus in vita D. Sisinij.	420.
Theodoretus D. Ephrem invocat in vitis SS.	430.

V.

V.

Joan. Calvinus Institut.

Veteres, cùm de Sacramentis propriè loqvuntur, tantum duo agnoſcere.

Falſum.

Quia Cyprianus plurium meminit, quàm Baptiſ: & Euchariſt: lib: 1: Epiſt: 12. & ſerm: de ablut. pedum.

Tertullianus de pœnitentia. Hieronymus contra Luciferianos. Leo Magnus epiſt. 90.

D. Auguſtinus locis mox recitandis.

VI.

Joan. Calvinus Inſtit.

D. Auguſtinum tantum duo agnoſcere, Baptiſmum & Euchariſtiam.

Falſum.

Quia epiſt. 18. ad Jannar. Baptiſmum & Euchariſtiam, & ſi quid aliud &c.

Lib. 5. contra Donatiſtas cap. 20. confirmationis meminit.

Lib. 2. contra epiſt. Perme. cap. 13. Sacri Ordinis, diſertè Sacramentum appellans, & cum Baptiſmo conferens, & alibi.

VII.

Ioan. Calvinus Ibidem.

Auguſtinum citra controverſiam eſſe ſuum, hoc eſt Zvinglianum & Berengarianum.

Fal-

Falſum.

Quia idem corpus Chriſti Domini docet „ adorari Auguſt: & manducari in myſterijs „ Chriſtianorum, quod de Virgine natum, & à „ Iudæis crucifixum, in Pſal. 98. Et quia in ipſa „ carne hic ambulavit, & ipſam carnem nobis manducandam dedit. Et concione in Pſalm: 33: Ferebat enim Chriſtus illud corpus in manibus ſuis.

VIII.

Ioan. Brentius cum ſuis in Confeſſ. Wittemberg.

Veteribus ignotam fuiſſe Tranſſubſtantiationem.

Falſum.

Quia Cyprianus ſerm. de Cœna: Panis iſte non effigie, ſed natura mutatus, factus eſt caro: " *A. D.* 230.

Euſebius Emiſſenus Hom. 4. in Paſcha. Terrena commutari & tranſire. Rurſus: Converti in ſubſtantiam corporis Chriſti creaturas. " *A. D.* 250.

Chryſoſt. de Encænijs: Abſumi panem. Et in Liturgia. Sacerdos Sacra illa benedicens manu atque conſecrans ait, transmutans (ea Domine) Spiritu tuo Sancto. "

Baſilius ſic ad verbum in Liturgia. trans ſubſtantiari. *A. D.* 350.

Ambroſius lib. de his, qui, &c. cap 9 Non eſſe quod natura formavit, ſed quod benedictio *A. D.* 380.

" ctio consecravit. Majorem enim esse vim
" benedictionis, quàm naturæ, quia benedictio-
" ne ipsa natura mutatur.
" Augustinus. Jam non est panis, sed Corpus
A. D. 400. Christi. Serm: 28. de verbis Domini.
" Ioan. Damascenus lib 14 cap. 4. Panem &
A. D. 410. vinum transmutari supernaturaliter in carnem
" & sangvinem Domini, transelementari.
" Hesychius lib. 6. in Levit: cap: 14. Transla-
A. D. 410. tionem & commutationem.
" Gelasius. Transeunt in divinam naturam.
A. D. 480." Theophylactus in Marci. cap. 14. Transfor-
A. D. 700." mari panem in carnem Domini.
"

IX.

Ioan. Brentius ibidem.

Euchariſtiam olim non fuisse Sacrificium propitiatorium.

Falsum.

Quia Ecclesia tota Africana ante Augustini & Cypriani ætatem pro mortuis obtulit, teste Cypr. lib. 1. Epist. 4.

Augustinus docet esse propitiationem pro mortuorum etiam peccatis Enchirid. cap. 110. & serm. de verbis Apost. 32. ad Dulcitium. quæst. 4. & alibi persæpè.

Ambrosius pro fratre Satyro sacrificat. Orat. funeb.

X.

X.

Ioan. Brentius ibidem.

Nec quidquam certi definit Auguſtinus de Purgatorio.

Falſum.

Quia, hac de re ſcribens ait Auguſtinus.
1 Non dubium eſt prodeſſe precantis pro mortuis affectum ijs, qui cùm in corpore viverent, talia ſibi prodeſſe poſt hanc vitam meruerint. De cura pro mortuis, cap: 4.
2. Non eſt dubitandum, mortuos adjuvari orationibus ſanctæ Eccleſiæ, & ſacrificio ſalutari. Auguſtin: de verbis Apoſt: 32. ſerm:
3. Nec omninò ambigendum eſt, iſta prodeſſe defunctis, ſed talibus, qui ita vixerunt, &c. Auguſtin: de cura pro mort: cap: 4; de civit. Dei, 21. cap: 15. & alibi frequentiſſimè.

XI.

Martinus Bucerus de cœna Dom. adminiſt. lib. 2. cap. 18.

Sacrificium cœnæ Dominicæ in alijs Eccleſiis adjungebatur (funebribus precibus) in alijs minus. In Auguſtini Eccleſia adhiberi ſolebat: Unde de funere matris confeſſionū ſuarum, 10. cap. 12.

Falſum.

Quia, per omnes Africanas Eccleſias offerebatur pro mortuis, uti ex canone Concil: Africani docet Cypria. lib. 1. epiſt. 9.

Chryſoſtomus de Antiochena Eccleſia idē teſtatur Homil. ad populum Antioch. 69. Et de Conſtantinopolitana, Homilia in primū caput ad Philip. Item Liturgia.

Baſilius de Armenica & Cappadoce in Liturgia.

Damaſcenus Orat. in defunctos de tota Græcanica.

Ambroſius de Mediolanenſi Orat, funebri in fratrem Satyrum.

Auguſtinus hoc loco à Bucero mendaciter recitato, idem docet de Eccleſia Italica, quia de Oſtienſi agit diſertè, ubi ejus Mater eſt mortua: non autem de ſua Hipponenſi, quod comminiſcitur Bucerus: Nondum enim Auguſtinus erat Clericus, nedum Sacerdos aut Epiſcopus Hipponenſis. Sed tu vide 10. Cōfeſſ. cap. 12. & ſequent.

XII.

Lutherani ſuum ipſi Lutherum, quem & patrem dictitant reverendum, & tertium adeò Heliam, mendacijs onerant, Vt:

1. Paſtor ille N. ad vadum Hyere (Erdfordiæ) uſuras ſe exercere jactitans juſſu Lutheri: quod ait falſum eſſe. Querela Lutheri.

2. Pleriq;Lutheranorum, & ij paſtores ipſi
" ac ſuperintendentes: quod Lutherum hic au-
" dis ſuis ipſum verbis conquerentem. Quin e-
" tiam ſermones (inquit Lutherus in libello,
" cui Querela nomen factum eſt à Joachimo

Came-

Camerario, ait Stoltius, inter alia de ſuo di- "
ſcipulorum mutuo inter ipſos diſſidio, ac ſa- "
crilega in ipſum impietate peracerbè queri- "
tans) à me cum amicis familiariter certis de "
rebus habitos annotârunt aliqui curioſi, & de "
illis commentariis ſæpè deriſionem graviſſima- "
rum diſceptationum protulerunt, & mentio- "
nem rerum hominumque pro ſuo arbitrio his "
vel illis caſibus accomodaverunt. Ac com- "
pertum eſt in Lutherum, tanquam authorem "
non pauca conferri; quæ vel nunquam elo- "
cutus fui: vel aliter certè, quàm commemo- "
rantur, pronuntiavi. "

3. Eundem in modum & Philip. Melāth. de Nicolao Gallo, Matthia Illyrico, & alijs novi iſtius inteſtini inter Lutheranos belli cō-juratis ſcribit, queribundus de graviſſima ſuorum diſcipulorum in ſe impietate, anno 57. ad ſuperindentes aliquot Saxoniæ. Sed in ar- "
ticulo (inquit epiſtolâ ad eos datâ) veſtro præ- "
cedens membrum prorſus omitti volo, ubi "
in genere docetis de corruptelis, & me & "
alios accuſatis, quaſi hactenus corruptelas de "
articulo juſtificationis docuerimus & defen- "
derimus. Hoc falſum crimen in me & in a- "
lias Eccleſias conferri nolo. Scribit Gallus "
à nobis corruptam eſſe doctrinam de Pœni- "
tentia, nec dicit ubi, in quo ſcripto, ac ne "
ſuſpicari quidem poſſum, unde ſumat occaſi- "
onem hujus criminis.

4. Omitto in præſentiarum illam mutuam inter Lutheranos & Zvinglianos de mendacijs

in ſe mutuò projectis, quibus ſe invicem iugulare obnixè contendunt, criminationem multò infeſtiſſimam: non illam modò priſtinam, ſed belli etiam iſtius recrudeſcentis repullulantem, claſſicum canentibus Ioachimo Weſtphalo, & Sneppio. Sed tria verba ſuffecerit adnotaſſe.
" Tragicè vociferatur Calvinus (inquit Ioa-
" chimus Weſtphalus in Confeſſ. de Euchar:)
" me conſenſus nomen arripuiſſe ad renovan-
" dum incendium, tantoperè odiſſe pacem, ut
" non alia de cauſa effuſum ſit venenum, niſi
" quia ægrè tulerim Sacramentarios idem ſen-
" tire & loqui. Videte grandia mendacia &
" aſtutiam, &c. Et paulò poſt: Adauget iſtam
" vanitatem alio inſigni mendacio, cùm ſcribit
" (Calvinus) me hoſtiliter impugnare eandem
" doctrinam, cui anteà faveram. Quid mirū, cla-
" riſſimos viros D. Philippum, D. Crucigerum,
" & Vitum Theodorum à Calvino pertrahi in Sa-
" cramentariorum ſocietatem, quantumvis ex pro-
" feſſo damnaverint eos ſcriptis ſuis, cùm me fa-
" ciat fautorem Sacramentariæ doctrinæ, quem
" eundem perſequitur tanquam infenſiſſimum il-
" lorum hoſtem? Quando verò favi Sacramenta-
rijs? &c.

2. Cor. 11.

Nam iſtius modi Pſeudoapoſtoli operarij ſunt doloſi & fraudulenti, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti. Nec mirum, ipſe enim Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis.

SIGNA PSEUDOAPOSTOLATUS NOSTRI HÆC SUNT.

Tabula

TABULA SEXTA,

EPITHOMEN HABET DOCTRINÆ veræ Evangelicæ, Catholicæ, & Apoſtolicæ (quòad dogmata nunc tempeſtatis controverſa) liquidò ſcripturis & vetuſtiſſimorum Patrum ante annos 1000. clariſſimorum teſtimonijs corroboratæ atque conteſtatæ, in gratiam piorum omnium, qui ſuæ ſunt tanto in hæreſeon incendio ubique ferè accenſo ſalutis æternæ ſoliciti, quibusvè aliorum ſalus cùm erudienda, tum obmunienda eſt credita, ſtudiosè admodum collecta atque concinnata.

Candido Lectori.

HVjus quidem doctrinæ Catholicæ ac proinde Evangelicæ veritas multis ſanè voluminibus oſtendenda eſt atque confirmanda: quod panoplia noſtra Evangelica meliori ex parte expeditum dabit. In gratiam tamen fratrum infirmorum inſeruimus locorum aliquot indicia pro Tab. anguſtijs, unde illius petatur corroboratio. Quæ ſic num. ſignantur, te ad ſuperiores remittunt Tabulas numeris diſtinctas.

PA-

PARASCEVE
in Tabulam ſextam.

NE caliginis aliquid ex vaniſſimis iſtis alijſve innumeris, quibus ſcatent adverſariorum ſcripta, mendaciorum hic de plurimis commemoratorum fumis clariſſima Catholicæ fidei veritas contrahat, aut ex peſtilentiſſimis illis renovatis priſcâ de hæreſeon execrandarum lernâ venenis, ne quis contagij aliquid incautus hauriat, pijs in Chriſto fratribus ſuæ ſalutis non oblitis, & ſerpentem illum antiquũ ſtudiosè caventibus, operæ pretium nos facturos ſperamus multò maximum, ſi Tabellam ſuperioribus appendamus Colophoniam, unde quaſi de Narthecio ſalutare adversùs graſſantes paſſim doctrinæ variæ, atque Antichriſtianæ peſtilitates petatur, aut pharmacum, aut fortè antidotũ. Fuerit ſanè alijs amuletũ etiã Moly atq;Pænacea. Attexueramus doctrinam Catholicæ & Apoſtolicæ oppoſitam, ut antitheſis utriuſque doctrinæ Chriſtianæ & Antichriſtianæ, Evangelicæ & Pſeudoevãgelicæ plena eſſet,ac omnibus cõſpicua. Verùm pijs quibuſdam diſſvadentibus, aliud in tempus reponetur.

I.

REGVLA fidei eſt Verbũ Dei per Apo-

QUicunque fide verè Chriſtianâ & Evangelicâ Deo placere ſtudet, non ſolùm recipit Symbolum, quod Apoſtolorum & eſt & dicitur, ſed ſcripturam etiam univerſam Canonicã inſu-

insuper, & quæcunq; per traditionem Apostolorum initio accepit catholica Christi Ecclesia. Inter hæc autē nunc enumerata ista ferè sunt hac Tabulâ comprehensâ, quæ adversùs hæreses nunc tempestatis passim grassantes animus verè Christianus tum constanter obtinere, tum tueri pro virili debeat, si modò fidem suam Christianam, sine qua salus æterna nulli constare potest, vult illibatam & incontaminatam.

stolos Ecclesiæ Catholicæ initio evangelizatũ. 1. Pet. 1. Vide infra, nũ. 32. tab. 1. n. 40. 2. Thess. 2. Heb. 11.

SACRAMENTA.

2. Sacramenta esse septem: hoc est, sacra & efficacia Divinæ gratiæ & beneficij signa: quibus Christus Dominus nos sibi sacrat, sanctificat & sanat, ex Concil. universali 8 Floren. an. 1438. toto ex orbe Christiano congregato. Singula videbis suo quodque loco confirmata.

- Baptismum,
- Confirmationem,
- Eucharistiā
- Pœnitentiā
- Ordinem,
- Matrimoniū,
- ExtremāUnctionem.

3. Eadem esse efficacia signa per quoscunque ministros, etiam malos publicè, adeoque Doctores impios. Augustin. contra epist. Perme. cap. 2.

4. Infantes omnes nasci peccato originali infectos. Vide Tab. 1. num. 2.

5. Infantes sine Baptismo non salvari. Vide tabul. 1. num. 8.

6. Exorcismum Baptismo præmittendum. tabula 1. num. 8.

7. Abrenuntiationem præmittendam. tab. 1. num. 4

D. Aug. lib. 6. cōt. Iul. c. 8.

8. Aquam fontis consecrandam. tab. 1. nū. 5.

9. Ba-

Ioan. 3. *Eph. 5.* 9. Baptiſmum requirere aquam elementum. tab. 1. num. 6.

10. Infantes baptizandos. tab. 1. num 7.

Ioan. 3. *Acto. 19.* 11. Baptiſmum Chriſti eſſe alium à Ioannis Baptiſtæ. tab. 1. num. 9.

Ioan. 3. 12. Parvulos enaſci, non naſci Dei Filios. tab. 1. num. 10.

13. Baptizatos eſſe oleo ungendos. tab. 1. numero 11.

I. BAPTISMA. *Eph. 5. Aug. de nup. & cõcu. lib. 1. c. 23. & 24 Vide 2. cõt. Iul. & l. 6. cap. 6. & 8.* 14. Baptiſmum plenè tollere peccata ſemel omnia, ita ut non ſint. 1. Cor. 6. Qui ſemel lotus eſt, non eget niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus. Ioan. 13. Concupiſcentiam igitur reliquam non eſſe peccatum propriè, ſed ejus effectum, & cauſam ad peccatum invitantem. Rom. cap. 8.

II. CONFIRM. *Act. 18.* 15. Confirmationem eſſe Sacramentum. Cõcil. Florent. tab 1. num. 12.

16. Quod Chriſmatis illinitione per Epiſcopos confertur. tab. 1. num 13.

III EUCHARISTIA *Ioan. 6.* 17. Euchariſtiam eſſe Sacramentum, quo vegetati in Chriſto manemus, fovemur, alimur, & excreſcimus in virum adultum. Ioan. 6. Concil. Florent.

Luc. 22. 1. Cor. 11. 18. Euchariſtiam continere verum ac præſens Chriſti Domini corpus, de virgine natum, & in cruce paſſum. tab. 1. num. 17. 1. Cor. 11.

19. Euchariſtiam non habere panem & vinum, ſed meras eorum ſpecies, ac qualitates tantùm, non item ſubſtantiam. tab. 1. nũ. 18.

Luc. 22. 1. Cor 11. 20. Euchariſtiam eſſe non ſolum alimentum,

tum, ſed & holocauſtum, hoc eſt, ſacrificium, non commemorativum tantùm, aut Euchariſtiam etiam, ſed & propitiatorium, quod tam defunctis prodeſt, quàm vivis. Sic Apoſtoli, teſtibus Chryſoſtomo homil. 69. ad populum Antiochenum, & ad Philippenſes, cap. 1. Damaſceno Oratione in defunctos. Auguſtino, Sermone 32. de verbis Apoſtoli. & tota Africana Eccleſia, ante Cypriani ætatē, teſte ipſo epiſt. 9. lib. 1. tabula 5. num. 2.

Cyprian. lib. 2. epiſt 3. Mal. 1.

21. Euchariſtiam ſub utraque ſui ſpecie verum ac totum Chriſtum habere. Concil. Florentin. Qui alterutram igitur accipit, totum etiam accipere Chriſtum. Unde non eſt neceſſarium Laicis utriuſque ſpeciei communionem accipere. Concil. univerſ. Conſtantiē. Cùm olim apud priſcos liberum fuerit, vel unam vel utramque accipere. Clemens Alexandrinus 1. Strom. & cùm vigerent Manichæi Romæ. Item Hieronymi ætate, lib. contra Iovinianum, & aliàs. Vide Ambroſium de fratre Satyro, Orat. funeb. & Bedam. lib. 2. cap. 5. & lib. 4. cap. 24. de hiſtoria Eccleſiæ Anglicanæ. Non enim eſt omnibus à Chriſto præceptum, utramque ſpeciem ſumere, alioqui & infantibus eſſet ſic communicandum: quod & adverſarij negant. Vide Palladium Macario.

Aug. Enchir. cap. 10.

Vide Auguſt. epiſt. 118. Unde c. 6. validum petatur argumētum, & ad hanc rem tuēdam atq; conſtituendā mirificè idoneum.

22. Euchariſtiam rectè ſervari, quia PP. priſci Apoſtolici ſervabant. Irenæ. apud Euſebium libro 5. cap. 23. Concilium Nicænum cap. 14. Hieronymus ad Iovinianum, &

Adoratio. de Exuperio. epistola ad Rustic. Adorandum esse ipsa postulat religio, quæ Deum ubique agnoscit Deum, sive cum Magis in domuncula, sive in Eucharistia cum August: epist: 120, cap: 17, & in Psal: 21, ac D, Eusebio Emisseno 4, homil: in Pascha: *Gestatio.* Gestationem verò probet ipse pij operis finis & usus, in quem circumfertur: siquidem non ad theatricum gestatur spectaculum, sed ad excitãdam fidelium & piorum spectatorum fidem & pietatem, ut pro ea necessitate, cujus aut depellendæ aut impetrandæ gratiâ circumfertur, orent ardentiùs, ac comprecentur confidenti s maximum sibi à Deo Opt: Patre per Filium intercessorem hic præsentem, & illic pro nobis interpellantem polliciti patrocinium, & impetrandi auxilium, Vide Irenæum apud Eusebium lib: 5, cap: 23: Solenniter transmittebatur Romæ Eucharistia Episcopis Catholicis,

23, Eucharistiæ mysteria ritè celebrari, si vel unus de sacrificio edat: fit enim, quod Dominus fieri jussit, *Hoc facite*: Tam enim fit per unum, quàm per multos: quos nullus excludit, sed suâ ipsi culpâ suam animarum famem non communicando sæpiùs augent. Sic olim infirmi soli. Sic & Chrysostomus conquerebatur, quòd solus altari assisteret,

Missa Latinis quod Chrysost. dimissio populi. 24, Missam, id est, sacram illam Apostolicam actionem, cujus in fine populo dicitur: *Ite Missa est*, dimissio, ritè pro quolibet fieri Christianorum usu ac necessitate. Augu-

stinus

ſtinus de civit, Dei, lib: 22, cap, 8, pro fuganda cacodæmonum vexatione, Sic & Miſſa Baſil: & Chryſoſt: pro pace, fructibus, navigantibus, &c,

IV. POENITEN. Liberum arbitriũ.

25, Quia homo dum hac in vita degit per liberum ſuæ voluntatis arbitrium, tam in actionibus ſalutis, quàm civilibus, poteſt ex bono fieri malus, (ſicuti & contra, gratiâ adjutus) ideo & Pœnitentia Sacramentum eſt à Chriſto Domino omnibus à Baptiſmi gratia lapſis neceſſarium, Actor: 8, quod tres habet partes, mox explicandas, Fides autem hujus Sacramenti fons eſt, imò quaſi baſis, nõ pars, ſicuti nec Baptiſmi. Porrò illa fides, quâ quis firmiter credit, & certò ſtatuit, propter Chriſtum ſibi remiſſa eſſe peccata, ſeſeque poſſeſſurum vitam æternam, non fides eſt, ſed temeritas: non Spiritus ſancti perſvaſio, ſed humanæ audaciæ præſumptio, ſcripturis adverſaria, & Patribus Orthodoxis ignota: qui illâ ſpe certa docent adultis expectanda per Sacramenta & pietatis opera: Sed illa fides ad pœnitentiam agendam eſt idonea in adultis, quâ verbo Dei credimus tam comminanti quàm promittenti: potiſſimùm verò Chriſtum Jeſum nobis propitiatorem propoſitum in ſangvine ſuo, Actor: 8, Rom: 3, Quanquàm hæc fides, Symbolo Apoſtolico delineata, uti ad ſalutem non ſufficit, ita nec ad impij juſtificationem. Deſiderat enim veram animi converſionem ſeu contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem, tres Evangelicæ

Fides juſtificans adultos impios.

pœnitentiæ partes. Concil. Florent. Act. 8. Ioan. 20.

2. Cor. 7. August. hom 50. de pænit.

26. Contritio est dolor de peccatis propter Dei offensionem susceptus, cum proposito confitendi ac satisfaciendi.

27. Confessio est diserta peccatorum (post legitimam & seriam conscientiæ inquisitionem) occurentium, etiam occultorum, enumeratio, Sacerdoti ritè ordinato facta, ut ab eis per illum absolvatur. Ioan: 20. Quorum remiseritis peccata. Leo epist. 90. tab: 1. num: 22.

Ioã. 20. Aug. hō. 50. de pœniten.

28. Satisfactio: est persolutio pœnæ plerumque adhuc debitæ post remissam culpam, quam permanere interdum docet suo exemplo David, 2. Reg: 12 Hoc faciunt Canones pœnitentiales Concil: Nicæn: & ætate Cyprian. Perficitur hæc per preces, jejunia & similia pia opera, quæ Deo Opt. ita sunt grata, ut eius iram placare possint, eumq; reddere propitium, 3. Regum 21. Cyprian: lib: 1. epist: 3. & 8. Serm: de eleëmosy: 1 August: Enchirid: 71. & in Matth: 12. de Ninivitis. Hierony: 2. contra Jovinianum.

Tert. de pœniten. Cyprian. serm. de lapsis.

V. ORDO. Heb. 5.

29. Porrò quia religio Christiana sua quoque habet mysteria & Sacra coram Deo peragenda, non ea per quemlibet fieri voluit Christus novi testamenti Archipresbyter: sed eos quos ad illa ordinavit. Unde & Ordo Sacramentum, quo unà cum Spititus Sancti communione consecratis potestas confertur Sacra illa ministeria peragendi. Hic porrò varios habet gradus, sed Clericorum præcipui sunt Sacerdotes,

1. Tim. 3. Vide Quæst. veter. & novi testamenti, quæst. 9.

tes, quibus ſolis ſecundùm Eccleſiæ ritum ordinatis data eſt à Chriſto poteſtas conſecrandi verum eius corpus & ſangvinem, eadem offerendi, peccataq; dimittendi; tab: 1. num: 25.

30. Inter hos quidem ſunt Epiſcopi, illis majores & dignitate & poteſtate, ſicuti inter eos præſtant alijs Patriarchæ: & ijs omnibus, totique adeò Chriſtiano gregi Eccleſiæ Romanæ Epiſcopus, D. Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſor. Unde omnes ei obedire tenentur tanquam familiæ Chriſti ſervo Præpoſito, atque Chriſti Vicario.

31. Hunc Sacerdotum ordinem ChriſtusDominus duplici armavit authoritate, præter Apoſtolicum docendi miniſterium: puta leges ferendi, & excommunicandi: quâ ſuam gubernari voluit Eccleſiam.

32. Eſt autem Eccleſia viſibilis hominum cœtus à Chriſto Domino & Apoſtolis collectus, in hunc uſque diem perpetua ſucceſſione continuatus in una fide Apoſtolica ſub Chriſto capite, & ejus in terra Vicario, Paſtore, ac ſummo Pontifice agens. His enim notis ab omnibus diaboli conventiculis ſecernitur. Extra hanc unam veram, Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam nulla ſperanda eſt ſalus. Sunt autem extra eam non modò qui excommunicantur (quâ pœnâ mortiferâ nihil eſt atrocius aut formidabilius in omni terrarum orbe) ſed Hæretici omnes, id eſt, quotquot aliquem fidei articulum pertinaciter aut non credunt, aut aliter credunt, quam illa una Chriſti Eccleſia, ſi-

Luc. 22. Ioan. 20.

Epiph. Aërio. Ambr in 1. ad Ti. 3. Hieron: ep. ad Damaſ. Au. l. 2. c. 51 cont. lit. Petil. Cyp. li. 1. ep. 3. Act. 5. Matth. 19. 1. Cor. 5.

ECCLESIA.

Aug. c. 4 contra epiſt. fūdamēti. Hieron contra Lucif. Hyerō. ad Dā. Aug. ep. 75.

HÆRETICUS.

ve hic in ſcripturam relatus ſit, ſive non. Fidei enim Chriſtianæ regula eſt, Verbum Dei, ſive per Apoſtolos Evangelizatum, Matth. 26, 1. Pet. 1. ſive à Spiritu Sancto aliàs Eccleſiæ revelatum Ioan. 14. Unde certâ fide tenenda ſunt, non ſolùm quæ ſcripturis expreſsè ſunt prodita, ſed etiam quæ per traditionem Eccleſiæ Catholicæ credenda accepimus, & quæ definita ſunt ſuper fidei & morum negotijs per Cathedram Petri, vel Concilia generalia legitimè congregata.

Orig. Periar.

Aug. de Civit. 19 cap. 18.

33. Cæterùm quòd ad legislativam attinet poteſtatem Eccleſiæ Paſtoribus à Chriſto datam, obſervandum eſt, quidquid de feſtis, jejuniis, litanijs, & aliis ſalutem promoventibus percipiunt, quod neglectum, aut non obſervatum, conſcientiam hominis facit ream, etiam extra caſum ſcandali.

Actor. 15. Aug. de hæreſ Aerio.

34. Quadrageſimam igitur & Quatuor tempora, vigilias uſitatas, & alia jeiunia, carnium abſtinentiâ, & aliorum pro Regionum varietate ſervare debet Chriſtianus cum opinione neceſſitatis; ſicuti & ſextâ Feriâ & Sabbato, & diebus Rogationum à carnibus abſtinere, ac publicis Chriſtianorum conſvetudinibus ſe accommodare.

Auguſt. epiſt. 118 cap. 5. Lib. 19 cont. Fauſt. cap. 20.

35. Hæc atque id genus cætera libertatem Evangelicam adeò non impediunt, nedum tollunt, ut eam magis promoveant, atque ejus finem faciliùs nobis concilient. Sicuti nec obedientia civilis Magiſtratûs, aut voti, & juramenti obligatio. Eſt enim à peccatis libertas, &

Libertas Evang.

& ijs omnibus, quæ animum quoquo modo impediunt, quo minùs Deo totus serviat.

36. Verùm quia post Baptismum in nobis manet carnis stimulus, & Ecclesia est propaganda, ne quis igitur illo victus à gratiâ excidat, institutum est à Christo Matrimonium, quo Sacramento, Christi cum Ecclesia conjunctionem significante, conjugibus gratia datur, qua adiuti, jura Matrimonij castè peragant, liberosque Christo Domino educent atque instituant: quod propterea tam indissolubile, ut nullo casu post consummationem dissolvi queat altero superstite, qualiscunque tandem fuerit: etsi ob fornicationem liceat dimittere, nunquã tamen alteram licet ducere, concil. Milet. cap. 17.

37. Sed quia hoc vitæ genere virginitas & continentia Deo optimo gratior est, ideo rectè voto firmata, sicuti & alia, Deo Opt. offertur; cujus tanta est obligatio, ut si quis post contrahat, non modò sit irritum, sed incœstum etiam connubium: quod & de Clericis majori Ordine initiatis est sentiendum. Vide Epiphan. Apostolicis.

38. Quò denique fortiores mortis acerbissimæ agonem depugnemus ac peccatorum reliquijs expiati sponso nostro Christo JESU hoc exilio liberati præsentemur, appositum est à Christo Domino Sacramentum, quod unctione, quam dicimus extremam, confertur. De hac loqvutum esse D. Iacobum testatur Chrysost. lib. de Sacerd. Innocent. epist. ad Eugubinum.

Epiph. Aërio. VI. MATRIMONIVM. *Ephes. 5.*

Mar. 10. 1. Cor. 7. Aug. de nup. lib. 1. c. 10. & de bo. con. c. 7. 1. Cor. 7. Hierõ. ot. Iovi. c. Aug. in Iovi. Epiph. in Apoc. Aug. in Psal. 75. de civ. lib. 17. c. 4. Apost. vovisse virginitatẽ. Amb D. Vir. vovisse virginitatẽ.

VII. EXTREMA VNctio. *Iac. 5. Concil Flor.*

Securitas salutis nulla.

39. Quanquam interim nemo noſtrum ſine peccatis vivit, ſed quæ Dei iram, ut non mereantur, aut à regno non excludunt, ita oratione Dominica, eleemoſynis, jejunijs, &c. purgantur aſſiduè. Cæterùm, quamdiu inter hoſtes infeſtiſſimos Diabolos verſamur, nullam nobis eſſe ſecuritatem, ſed cum timore ac tremore incolatûs noſtri tempore ſalutem eſſe operandam, ut per bona opera vocationem noſtram certam ac firmam faciamus, ſemper ſoliciti, ne qui ſtamus, concidamus, peccati fallaciâ decepti. Porrò dum cadimus, ac ſcelere nos polluimus, peccatove mortali offendimꝰ, non fidem ſemper, niſi infidelitate amittimus; ſemper verò Spiritum Sanctum à nobis expellimus, iramq; Dei ſempiternam commeremur.

1 Ioan. 1. Aug. Enchir. cap. 70. 71. & 76.

2. Pet. 1. 1. Cor. 10 Heb. 3. Sapient. 1.

OPERA.

40. Hiſce ſeptem Catholicæ Chriſti Eccleſiæ Sacramentis adjuti & inſtructi, vitam vivimus Chriſtianam: quæ cùm actuoſa ſit, fieri non poteſt, ut bonorum operum ſit ſterilis. Hæc autem opera bona Deo non modò grata ſunt, eiq; perſe (quia ex Chriſti Spiritu, imò in Deo ſunt facta) placita, veriq; cultus, Luc: 2. ſed merita etiam tam præmiorum hac in vita, quàm poſtea, vitæ adeò ipſius æternæ. Sunt enim ita juſta & perfecta, ut eis legem Dei, pij impleant. Rom. 12. Imò ut ſeverum Dei judicium ſuſtinere queant. 1. Timoth: 4. 1. Ioan: 4 Auguſt: epiſt 106.

Phil. 1. 1. Cor. 15. Ioan. 3.

Merita August. epist. 106

Legis impletio.

41. Ad hæc non ſuis modò proſunt authoribus, dum iram Dei placent, ne nos judicet ac puni-

puniat: sed & alij quoque, pro quibus ea pij aut suscipiunt, aut Deo offerunt, ad peccatorũ adeò expiationem tàm mortuorum, quàm vivorum: ut Deus videlicet misericordiùs cum eis agat, quàm alioqui erat acturus. Hæc August: verba vide serm. 32 de verb. Apost. Enchir. cap. 110. Vide de Civit. Dei, lib. 21. cap. 27.

1. Cor. 11. Aug. Encher. cap. 16.

INDVLGENTIÆ.

42, Quin etiam prisca illa Apostolica Ecclesia propter aliorum piorum opera, pœnitentibus olim ex more mitigabat pœnam alioqui luendam, teste Cypria. lib. 3. epist. 15. 16. & 18. Tertullian. de pœniten. Imò illi Corinth. incæsto aliquid pœnitentiæ agendæ remisit & donavit Paulus, ait Theod. & Oecumen. & Theoph. 2. Cor. 2. propter Timothei preces & aliorum collugentium tristitiam. Quare indulgentiæ, quæ pœnarum sunt remissio & imminutio, salutares sunt, ac verè quod sonant, efficiunt. Concil. Lutheran. Viennen.

2. Cor. 2.

PVRGATORIVM.

43. Quia verò Christianorum hac vita exuli defunctorum tria sunt genera. 1. Beatorum cum Christo regnantium. 2. Damnatorum, infinitè tormentum miserum. 3. Purgandorum à peccatorum reliquis: sicut primum nullo nostro eget auxilio, & secundum nullo juvari potest patrocinio: ita tertium varijs modis juvari, & à pœnis, quas pendit, potest liberari, non vivorum tantùm precibus, eleemosynis, ac jeiunijs, &c. sed salutari etiam Dominici corporis sacrificio, ait August: serm. 32. de verb: Apost: De civit: Dei, 21. cap: 13. Enchir

1. Matt. 12.

Vide Tab. 1. num. 36.

chir 10. tab: 1. num: 21. & 36. Imò ipsi Apostoli pro mortuis offerendum docuere, ergo & purgatorium agnoverunt, teste Chrysost: homil 69. ad Antioch. August. loco jam commemorato. Gregorio Nisseno, & tota totius Africanæ Ecclesiæ Synodo. Cypria. lib. 1. epist,9;

Sanctorum imagines & reliquiæ.

44, Beatos autem homines rectè veneramur, imaginibus colimus, atq; festis, ex traditionimus Apostolorum. Tab; 1, num- 32, & seqv; Eorum reliquias honoramus, quas & peregrinationibus cohonestamus, August; Epist; 103; qvum apud eas Deus per Sacros miracula operetur; quos ritè ad auxilium ferendum aut mala deprecanda invocamus, ut eorum meritis & intercessione adjuvemur: August; de civ; Dei, lib; 22; cap;8, & contra Faustum, lib;20; cap;8; 21;Vide & D; Hieronymum in Threnos?

Philipp. 1. Ambros. in Luc. 22. cap. August. in Ps. 119. Act. 1. Mar. 13 Joan. 11 Aug. de civ. Dei l. 18. ca. 53.

45; Porrò illæ purgandorum animæ à pœna peccatis debitâ suo absolutæ tempore non dormiunt usque ad judicium, sed cum Christo suo Domino regnant in cœlis beatæ; quò ut & omnes pios transferat Dei filios suos fratres venturus est ad judicium. Sed quò demum anno aut mense, omnibus est incognitum, ut credentibus & viventibus in eo reddat vitam æternam; qui verò non crediderunt, aut credentes male egerunt, ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus?

August. Hilarius.

August; Hæc mea fides est, quia fides Catholica est?

Hilar: Veritatis autem ministros vera decet profiteri?

Am-

Ambros: Christum enim negat, qui non omnia, quæ Christi sunt, confitetur? *Ambr. in Lucã. 9.*

PIIS LL. FIDEIQVE
Verè Evangelicæ Studiosis, Wilhelmus Lindanus, S. Theol. Doct. S.

HAsce Tabulas à pijs FF: aliquot, fideiq; Catholicæ studiosissimis mira & accurata simul diligentia nostris ex scriptis, quæ in istius tempestatis parturimus hæreses & Ecclesiæ deformationes, collectas, in vestri gratiam in lucem edere voluimus, quo Christianæ fidei integer bonisq; operibus exornatus, vitam capessas æternam. Rogo autem vos FF: ut observetis eos, qui dissensiones & scandala contra doctrinam quam vos didicistis, gignunt, utq; ab illis declinetis. Hujuscemodi enim Domino nostro JESU Christo non serviunt, sed suo ventri. & per blandiloquentias & assentationes decipiunt simplicium corda. Valete in una Christi JESU fide incolumes.

Catholicæ Christi IESU Ecclesiæ, ejusq; filiorum omnium universa & dicta & indicta summissa sunto.

SANCTISSIMORUM ECCLESIÆ CHRISTIANÆ PATRUM SCRIPTOrumq; clarissimorum iuxta ac vetustissimorum, quibus testibus verbum Dei Evangelicum in Panoplia nostra Evangelica tam enucleatur, quàm explanatur: accurato admodum studio concinnata, in aptumq; annorum ordinem d gesta, atque in sæculorũ seriem disserta, per Wilhelmum Lindanum Dordracen. Sac: Theol: Doctorem, & Profess: Primarium in Academia Tyling.

PRIMUM ECCLESIÆ CHRISTIANÆ sæculum, quòd veteribus dicebatur Prima Apostolorum succeßio, Eusebius lib: 2. cap. 13.

42.	9.	*Matthæus Evangelista.*
45.	12.	*Marcus.*
50.	16.	*Lucas.*
		Paulus.
		Petrus.
66.	33.	*Ioãnes Theol: Evangelista.*
		Iacobus Apostolus.

Iudas

Anno domini Christi Iesu à nativitate. | Anno ab ascensione.

Iudas Apostolus.
50. *Apostolorum Canones certo Apostolici.*
Martialis unus ex 72. discipulis.
Abdias.
Dyonisius Areopagita, Archiepiscopus Atheniensis à Paulo creatus.
Demophilus Therapeutes.
Clemens Romanus.
Evodius Petri successor Antiochiæ primus.
Polycarpus.
Papias D. Ioannis Evangelistæ auditor.
Ignatius Petri successor, tertius Antiochiæ.
Castor Agrippa,
Quadratus Atheniensis.
Egesippus.
Iudas Danielis interpres.

SECUNDUM ECCLESIÆ CHRISTIANÆ sæculum, quod ex Apostolorum schola natũ, merito dixeris martyrum seminarium.

100. *Alexander Rom. Martyr.*
Sixtus Roman. martyr.

Ter-

Anno à Christi nativitate.

100.	*Tertulianus.*
220.	*D. Iustinus Philosophus martyr.*
	Tatianus ejus discipulus.
140.	*Dionysius Corinthius.*
	Apollonius.
	Policrates Ephesius.
150.	*D. Irenæus Lugdunensis Episcopus.*
170.	*Serapion septimus Antiochenus Episcopus.*
180.	*Clemens Alexandrinus.*
	Victor Romanus.
	Zepheryrus Romanus martyr.
190.	*Rhodon.*

TERTIUM ECCLESIÆ CHRISTIANÆ sæculum, quòd martyrum messis jure appelletur.

Anno à Christi nativitate.

200.	*Minutius Felix.*
210.	*Hyppolitus Episcopus.*
220.	*Origenes.*
	Dionysius Alexandrinus.
	Gregorius Neocæsariensis.
	Thaumaturgus.
	Vrbanus Rom. martyr.
	Pontianus Romanus martyr.

		Anth. Rom. martyr.
	230	*Cyprianus Carthaginensis.*
		Cornelius Rom. martyr.
		Stephanus Rom. martyr.
	250.	*Pontius Cypriani Diaconus.*
	270.	*Arnobius.*
	280.	*Methodius Eubulius.*

QUARTUM ECCLESIÆ CHRISTIANÆ sæculum, quod florentis Ecclesiæ hortum rectè dixeris.

	300.	*Dydimus Alexandrinus.*
		Eusebius Cæsariensis.
	310.	*Lactantius Firmianus.*
	320.	*Reticius Augustodunensis.*
		Eustachius Antiochenus.
		Iuvencus.
		Victorinus Pictaviensis.
		Apollinarius.
		Hilarius.
		Primum Concilium Nicænum.
	324.	*Athanasius.*
Anno	330.	*Eusebius Emissenus.*
à Chri-		*Theophilus Alexandrinus.*
sti na-	340.	*Nectarius Constantinus.*
tivit:	350.	*Chrysostomus.*

Basi-

Anno à Christi nativitate.

360. *Basilius.*
Nazianzenus.
Optatus Milevitanus.
Gregorius Nyssenus.
Aurelius Prudentius.
Ambrosius.
Philastrius.
Damasus.
D. Ephrem.
370. *Secundum Concilium Constantinopolitanum.*
Epiphanius.
Palladius.
Victorinus.
380. *Siritius Romanus.*
Hieronymus.
Proclus Constantinopolitanus.
Cassianus.
Hesychius.
Pont. Paulinus Nolanus.
Ioannes Damascenus.
Vigilius Tridentinus.

QUINTUM ECCLESIÆ CHRISTIANÆ sæculum, quod adultæ germen dicas.

Augu-

Anno à Christi nativitate.

400. *Augustinus.*
Petrus Diaconus.
Maximus Taurinensis.
Cælestinus Romanus.
Innocentius Primus.
400. *Claudius.*
Marius Victor.
Prosper Aquitanus.
Primasius.
Iunilius Africanus.
Vincentius Lyrinensis.
425. *Tertium Concil. Ephesin.*
Leo Magnus.
Cyrillus.
Proba Falconia.
430. *Theodoretus.*
470. *Petrus Chrysologus.*
Alcimus Avitus Vienn.
480. *Fulgentius.*
Monimus.
Gelasius Romanus.

SEXTUM ECCLESIÆ CHRISTIANÆ sæculum, quod non tam illustribus Scriptoribus, quàm pijs, Deoq; optimo Máx.

 gratissi-

gratissimis fæcundum Viris, doctrinam Evãgelicam satis superq; confirmatam, Martyrum nepotibus per manus traditam, in hæc usque tempora inviolatam incorruptamq; prodidit atque transmisit.

Anno à Christi nativitate.	500.	*Anastasius Antiochenus.*
		Boëtius.
		Victor Africanus.
		Iustinianus Imperator.
		Faustinus Episcopus.
		Cassiodorus Romanus.
		Arator Subdiaconus.
	550.	*Gildas Britannus Monachus.*
	555.	*Quartum Concilium Constantinopolitanum.*
		Liberatus Archidiaconus Carthaginensis.

APPENDICULA SCRIPTORUM VETUstissimorum Græcorum Theologorum, quorum ætas adhuc certa nobis N. L.

ProcopiusGazæus. *Dorothæus Tyrius*
Olimpiodorus. *Michael Syngelus.*
NonnusPanopolitanus. *Ierosolymitanus.*
Eustachius Thessalonic9. *Evodius Diaconus.*

Pho-

Photius. *Photius Patriarcha.*
Gennadius. *Constantinopolitanus.*
Oecumenius. Euthymius. Pachymeres.
Germanus Archidiaconus. Cyrus Prodromus.
Constantinopolitanus. *Leontius Cyprius.*

EX PHOTII PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANI lectionibus antiquis.

Theodorus Presbyter, & alij quidam Theologi.
Dionys. Areopagita interpres.

HISTORICI.

Eusebius Cæsariensis. *Iornandes.*
Ioannes Antiochenus. *Victor Africanus.*
Marcellinus Comes. *Aelius Lampridius.*
P. Orosius. *Am. Marcellinus.*
Prosper Aquitanicus. *Gildas.*
Theophanes. Suidas. *Beda.*
Nicephorus. *Sigebertus.*
Eutropius. *Helmoldus.*
Severus Sulpitius. *Freculphus Lixo.*
Paulus Diaconus. *Palmerius.*

PHILOSOPHI ET HÆRETICI, QUORUM testimoniis Evangelij veritas hic aut confirmatur aut illustratur.

Basilides. *Maximus Medaurensis.*
Carpocratici. *Faustus Manichæus.*
Proclus Origenista. *Arriani in Africa.*
Arrius. *Ioannes Hussius.*
Eunomius. *Martinus Lutherus.*
Philostorgius. *Philippus Melanthon.*
A. Iulianus Apostata. *Servetus.*
Porphyrius. *& alij plurimi.*

FINIS Cathalogi Authorum, quos nobis quidē isthac in librorum vetustissimorum penuriâ ac fame agentibus consulere dabatur: quorum sententijs sanè perspicuis DOCTRINAM, toto passim orbe Christiano adhuc obtinentem, contestatam facere studebimus, atq; demonstratam hisce quinque, de Verbo Dei Evangelico libri, verè Catholicam esse atque Orthodoxam, nobisque hactenus puram, putam fuisse perpetuo Majorum sensu atque consensu proditam. Adeoq; non esse humanam aut Diabolicam ut re vera sit illa cœlestis ac Divina, ipsissimaq; adeò Evāgelica per DD. Christi JESU Apostolos Ecclesiæ Christianæ per orbem conditæ principio clarissimo vivæ vocis præconio evāgelizata ac promulgata, miraculis Cœlestibus confirmata, Martyrijs heroicis obsignata, & semel Catholicè in manus tradita, in finem usque istius pessum euntis mundi posteris prodenda.

AN-

ANTILOGIARUM MARTINI LUTHERI BABYLONIA.

PER REVERENDISSIMUM PAtrem & Dominum D. Ioannem Fabri, Episcopum Vienn. à Concilijs & secretis Serenissimi Regis Ungariæ & Bohemiæ, &c. ex ejusdem libris excerpta.

IOANNES ROMBERCH à KYRSPE THEOlogus & prædicator pijs lectoribus.

SCripsêre (ingenuè fateor) candidi Lectores adversùs Lutheranæ hæreséós patronos & fautores multi, & quidem præclarissimi viri ingentia volumina: quibus multa dexteritate ab hujusmodi perduellionum impetu pernicioso, catholicam fidem & orthodoxorum Ecclesiam propugnent, defendant, & tueantur: quorum longum foret retexere catalogum. Atqui nescio quis omnibus illis (quod pace cunctorũ dixerim) plus

plus uno nostrô Fabrô ex refertissima sua deprompserit officina? Cujus malleum, ut librum de potestate Papæ vocamus, post binam evulgationem Romæ atque Lipsciæ factam revocantes sub incudem limatiorem graviorez pondere hostis tempora contundentem emisimus: ut interim taceam cætera operum, quibus me Spyræ in Comitiis Principum coram donavit: nempe defensione catholicæ orthodoxæ fidei contra Balthasarem Pacimontanum Anabaptistarum antesignanum Ducem, ob errores Vulcano à Serenissimo Rege Vngarorum & Bohemiæ Ferdinando destinatum. Insuper sermonibus contra Anabaptistas apud Moravos per eum declamatis, Epistola quoque de invocatione Sanctorum ad Basilien. contra Oecolampadium ex Anglia, cùm ibidem legatione fungeretur, missa. Et postremò informatione Christiana in lingua Alemanica super punctis ex Visitatione Saxonum adsumendis. Et denuò libellô perpulchrö de comparatione Librorũ Ioan. Huss. & Ioan: Vessalia, cum doctrina Lutheri, & nunc ex Comitiis Principum Augustæ Vindelicæ opusculum non parvæ utilitatis mihi cum dulcissimis pro munere destinavit literis, Antilogiarum M: Lutheri Babylonia intitulatum: Quod ubi legissem atque relegissem sæpius, mirum in modum placuit, vel eo potissimum, quia instar Davidis Philistæorum fortissimum gygantem Goliath, Lutherum inquam, castris Domini exprobrantem, proprio iugulavit ense, haud aliunde quam propriis spiculis ipsum confodiens, & inÿciens eum in laqueum quem fecerat: licet equidem sæpius antea & item cum in diversis locis ostendisset Lu-

therum

therum secum pugnare: tum maxime in malleo: & hic tamen ad amussim & ex instituto probat Lutherum nusquam sibi constare, & cui nemo plus adversetur quàm Lutherus ipse, nempe qui in quinquaginta duobus locis communibus absq; ulla tergiversatione ádeo turpiter à seipso dissideat, ne alterius impugnatione pro Ecclesia tuenda opus sit. Si tamen quæ-nam veritas sit hic, & quid Ecclesia Catholica & orthodoxi Doctores indubitata fide teneant, nossè velis, lege hujus nostri Episcopi & Domini D: Ioan: Fabri defensionem fidei præfatam. Insuper Ioan: Eckij Enchiridion de locis communibus: & illius libros, quorum in epistolio eidem præfixo memini. Ioannes præterea Episcop: Roffen. scripsit librum, in quo 40. articulos Lutheranæ assèrtionis in Bulla Leonis Papæ Decimi condemnatos authoritate Apostolica, confutat ex scripturis. Ad hæc Ioannes Coclæus in uno libello cõfutat scripturis & rationibus & Ecclesiæ authoritate, atque Doctorum (& quidem quàm brevissimè) 40. errores Lutheri ex ejus sermonibus 36. desumptos. ~~Et rursus~~ ex libro ejusdem contra Ecclesiasticos reprobat & confutat, 132, articulos, latinitati etiam donatos. Et amplius 95. articulos: ex tribus ipsius sermonibus: ut interim taceam, quæ scripsit de Purgatorio, de Petro fuissè Romæ & id genus reliqua. Insuper huic instituto quàm maximè deserviunt, quæ scripsit Ioannes Deytenbergius in libro Alemanico super quæstionibus seu dubitationibus triginta, ubi & hos locos communes errorum multa eruditione constringens ad amussim ostendit Lutheri errores, veterum essè hæreses, ac

orco

orco revocatas: & nihilominus Divinis scripturis (si rectè sentiam) efficaciter reprobat. Habetis insuper determinationes duarum nempe Parrisien. & Lovaniens. Vniversitatum condemnantes hujusmodi errores: & Iacobus Latomus reddidit rationem decisionis in Lovanio factæ. Hic mirum in modum conduceret opusculum Hieronymi Emseri, cui titulus in vulgari seu vernacula lingua (Getrewe und neve vorwarnug*) hoc est, Fida ac nova avisatio, in quo & multos complectitur errorum ejus locos communes. Conradius Winpinens. in volumine suo adversùs Sectarum, hæreticorum & schismaticorum errata, Anacephalæosquè: confutat quoque Pickardorum, Winckleffuitstarum & Lutheri hæreses: Præter hos & alij præclari authores Neothericorum in hac palæstra plurimum desudarunt, & studiorum suorum nō trivialia ostendunt monumenta, quibus fidem propugnant: quorum nullus licet sit, cujus mihi opera non placeant, præcipuè tamen legi ex nostris Germaniæ Proceribus fidem & Ecclesiam strenuè propugnantibus Iacobi Hochstraten (olim dum has luteas habitaret casas præceptoris mei) libros duos, unum ad Leonem X. alterum ad Carolum V. Ecclesiæ Monarchas. Insuper de Purgatorio, de invocatione Sanctorum, & alios libellos diversos de certis articulis contra diversos, Sasgeri Scrutinium scripturarum, Examen, Replicas & Tractatus de Missa, & alium de invocatione Sanctorum, qui ut ex alijs mutuavit, ita ampliori mihi placet authoritate fultus, Pater meus & amicus præcipuus. Ioannes Mensingus me tribus donavit libris contra Lutherum:*

Nempe

Nempe de Sacerdotio (quem jam Coloniæ rursus excudendum curavi) de Fide & operibus, & de concomitantia Eucharistiæ; quorum primus orationē complectitur latinam de vero Christiano Sacerdotio, & dilutiones cavillationum Lutheri; alij autem duo linguæ vernaculæ candorem ostendunt. Si interim gravissimas sententias subijcere voluerim. Et ne totus in enumeratione distinear Si his addideris Silvestri Prieratis olim Romæ præceptoris mei opera: & Ambrosij Catharinæ, ac Thomæ Toduſci, & apud Parisienses Judoci Clichtovæi propugnaculum Ecclesiæ, Antilutherum, librum de veneratione & invocatione Sanctorum, ac de veritate Corporis Christi in Eucharistia contra Oeculampadium. Habebis proculdubio (etiam si plures quorum hic mentionem non facio, quod illorum non legerim opera) unde Scripturis Sacris, authoritate Doctorum, & rationibus pugnes adversùs Lutherum. Quod tamen nec opus erit, quandoquidem jam humi prostratus jacet suâ lanceâ transfossus: quam vel maximè noster Faber fabrefecit, qui & pedibus illius laqueum paravit, unde nec unquam extricari queat. Quod si agnoscere noluerit, non tam verbis quàm verberibus & plagis docendus erit, ut credat, & sentiat id, quod universalis Ecclesia & orthodoxæ fidei cordati quique Principes & Proceres atque Doctores, & Deo devoti fideles credunt, tenent, observant, & jam paratissimi usque ad sanguinem defensare Valete & D. D. Joanni Fabri unà cum omnibus Ecclesiæ defensoribus gratias habete, orantes Dominum, ut eos in bono confirmet ad fidei suæ & Ecclesiæ protectionem: pro gloria Dei Patris, qui cum Filio & Spiritu Sancto sit benedictus in sæcula, A.

SERENISS. ac POTENTISS. D. D. FERDINANDO

Hungariæ atque Bohemiæ, &c. Regi, Archiduci Austriæ, &c. Ioannes Fabri Doctor salutem, gratiam & omne bonum à Deo Opt. Maximo exoptat.

SErenissime Rex, quicunque in Lutherum hactenus unquam scripserunt, omnes doctrinæ constantiam in eo desideraverunt. Imò eius inconstantiam reprehenderunt; quam & Cæsarea Majestas in suo adversus eum edicto Wormaciensi Clariss. verbis detestatur & exprobrat Quoties verò interim per annos novem in libris sermonibusque suis adeò multis varijsque argumentis sententiam mutaverit, quis enarret? Visis itaque nõnullis biceps, quibusdam triceps, imo & septiceps in multis rectè convictus est argumentis. Nusquam enim firmiter in ullo proposito perstat, sed varius ubique & mutabilis, ut fæmina semper. De quo rectissimè intelligitur illud Iacobi: *Vir duplex animo inconstans est in omnibus.* Nos igitur ex innumeris ipsius contradictionibus aliquot locis in compendium redegimus quoddam, R: M: ve-

strae

ſtræ ſuppliciter offerendum Ex quo ſanè facillimum ſit, Lutherum Lutherô profligare, redarguere, conficere, damnare. Speramus itaque eos Principes Proceresque, & Status Imperij, qui hactenus illius doctrinam plus æquò laudaverunt & amplexi ſunt, mitiores erga Lutheri adverſarios futuros eſſe, ubi viderint neminem Luthero adverſari magis aut manifeſtiùs quàm Lutherum ipſum, ut tandem admonitione clementi Eccleſiam potiùs quæ nec errare, nec ſibi ipſi contradictoria eſſe poteſt, nobiſcum unanimiter ſequantur, & defendant: quàm Lutherum, qui ſeipſum à ſeipſo ſibimet contradicente defendere non poteſt. Vir & lingvâ & calamô varius, ſenſuque duplex & diviſus, non modò contra Eccleſiam & Sanctos Patres, verùm etiam contra complices defenſoresq; ſuos & contra ſeipſum maximè & in primis ut nulli iſtius quàm illi dictum videatur: *De ore tuo te judico, ſerve nequam, & ex verbis tuis juſtificaberis & condemnaberis.* Benè valeas Sereniſſime Rex.

Datum Auguſtæ 5. Septembris A. 30.

De SACRAMENTIS
In Genere. Cap. I.

Luth.

In lib. de potestate Papæ.

OMnium Ecclesiarum idem est Baptismus, eadem Eucharistia, eadẽ Confirmatio, idem verbum Dei, idem Sacerdotium, eadem Pœnitentiæ, Unctionis, Matrimonij, & omnia Sacramenta.

In cap. Babyl.

Antiluth.

Neganda sunt septem Sacramenta.

Luth.

De cap. Baby.

2. Tria sunt in Ecclesia Dei Sacramenta, Baptismus, Eucharistia, & Pœnitentia.

Antiluth.

De cap. Baby.

Si rigidè loqui volumus sunt, tantùm duo in Ecclesia Dei Sacramenta, Baptismus & Panis.

Luth.

De potestate Papæ.

3. Septem sunt Sacramenta.

Antiluth.

De cap. Baby.

Tantum tria sunt Sacramenta pro tempore ponenda.

Luth.

Ad Valden.

4. Duo tantum sunt Sacramenta.

Antiluth.

De cap. Baby.

Si juxta scripturam loqui velim, est tantum unum Sacramentum.

Luth.

De Abrogan. Miss.

Quod sine verbo Dei ordinatur, non ab Ecclesia, sed à synagoga satanæ sub Ecclesiæ nomine

mine ordinatur, qua igitur audaciâ Sacramenta dicitis, quæ Deus in ſcriptura Sacramenta non dicit.

Antiluth.

Age animicida tu, & ſpiritus peccati, fatemur Deum non dixiſſe Sacramenta, nec præcepiſſe, ut Sacramenta dicantur, ſed dic nobis contra, ubi prohibuit appellari? quis ergo poteſtatem dedit prohibendi, quod Deus non prohibuit? quid ſi hic temerarius es, ut tam grande facias peccatum, vbi Deus nullum facit.

In lib. 2. adverſus Carolſtadium.

Luth.

6. Non Sacramentum, ſed fides Sacramenti juſtificat.

In reſolution. 7.

Antiluth.

Qui Baptiſmm fundare vult, ſuper fidem baptizandi, is nunquam baptizabit ullum hominem, quia etſi centies unum hominem uno die baptizes, neſcis tamen an credat; neque igitur baptizator neque baptizatus poteſt baptiſmum ſuper fidem fundare, qui autem baptizatur ſuper verbum, & præceptum Dei, etſi nulla adſit fides, adhuc tamen verus & certus eſt baptizatus, quia fit, ſicuti Deus præcepit,

In lib. adverſus Catabaptiſtas.

De VIRTUTE SACRAMENTOrum. Cap. 2.

Luth.

MOriturus magnificiat Sacramenta, ea veneretur, eis ſecurè hilariterque confidat,

In ſermone de præp. ad

ac contra peccatum mortemque & infernum ea ſic libret, ut longe præponderent, ac multò plus de Sacramentis, & eorum virtutibus cogitet quam de peccatis.

Antiluth.

In reſolution & aſſertion.

Uſitata, ſed hæretica ſententia eſt, Sacramenta novæ legis dare gratiam his, qui non ponunt obicem.

De BAPTISMO.

Cap. 3.

Luth.

In cap. Babyl.

QUocunque modo tradatur baptiſmus, modò non in nomine hominis, ſed in nomine Domini tradatur, verè ſalvum facit.

Antiluth.

In multis libris.

Servanda eſt Evangelij forma, ut Baptizetur in Nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.

Luth.

In ſerm. de recumbentib.

2. Baptiſmus non eſt plus quàm externum ſignum.

Antiluth.

In e iſt. adverſ9 Regem Aug.

Deteſtandi ſunt Svermeri Sacramentarij, qui Sacramenta pro ſignis externis habent, quibus Chriſtiani ſignantur, ſicut oves cretâ rubeâ.

Luth.

In lib. viſita.

3. Baptiſmus non ſolùm ſignum eſt pueris, ſed & adultos allicit & hortatur ad pœnitentiam, pœnitentia enim & contritio, ac dolor, per aquæ baptiſmum deſignatur. *Anti-*

Antiluth.

Periculosum est verbum illud Divi Hieronymi, sive malè positum sive malè intellectū, quo pœnitentiam appellet, secundam post naufragium tabulam, quasi baptismus non sit pœnitentia.

In cap. Babyl.

Luth.

4. In puero post Baptismum negare remanens peccatum, est Paulum & Christum simul conculcare.

In cap. Babyl. de Bapt.

Antiluth.

Baptismus omnia peccata remittit.

Luth.

5. Præstat prorsus omittere baptismum parvulis, quàm baptizare sine fide, quia Sacramenta, neque debent, neque possunt sine fide accipi.

In lib. de Valden.

Antiluth.

Parvuli Baptizari debent, sicut hucusque observatum est, quandoquidem idem significat baptizmus, quod significavit circumcisio, cum igitur circumcisi fuerint pueri, debent & baptizari.

In libr. Vi.

Luth.

6. Sine dubio institutum est à Christo, Baptizandum penitùs in aquam immergi debere.

In capt. Babylon.

Antiluth

Quod è scripturis authoritatem non habet, manifestum à diabolo esse.

De abrogan. Miss.

De

De CONFIRMATIONE

Cap. 4.

Luth.

De potestate Papæ.

CONfirmatio Sacramentum est.

Antiluth.

De cap. Babyl.

Mirum quid illis in mentem venerit, quod Sacramentum confirmationis fecerunt ex impositione manuum.

De SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

Cap, 5.

Luth.

In serm. de præparatione ad Eucharistiam.

MAgnus & perniciosus error est, si quis accedat ad Sacramentum Eucharistiæ, eâ nixus fiduciâ, quod confessus non sit conscius mortalis peccati, quod orationes suas, & præpartaoria præmitterit, omnes illi judicium sibi manducant & bibunt, quia his omnibus non digni neque puri, imo per fiduciam puritatis pejus inficiuntur atq; polluuntur.

Antiluth.

In visita Saxonica.

Parochi primum doceant populum, quam grande sit peccatum hoc Sacramentum inhonorare, ac eo non rectè uti.

Luth.

In sermo feria 5. post Iun.

2. Si aliquis adeo petulans est, quod contrectare velit Sacramentum manibus, is faciat illud sibi domum deferri, & contrectet, sed non coram multitudine.

Antiluth:

Omni ſtudio ac vigilantia, magnificanda ſunt & honoranda ſancta Sacramenta, maximè Sacramentum Altaris. *Luth:*

In serm. de preparatione ad mortem.

3. Non peccat Laicus, ſi calicem aut Corpus Domini contrectet.

Antiluth:

In serm: de tripliei justitia

Proculdubio inulta non manebit inhonoratio, quæ corpori & ſangvini Domini fit.

DE COMMVNIONE *ſub utraque ſpecie, Cap. 6.*

Luth.

NEgare utramque ſpeciem Laicis, eſt impium & tyrannicum, nec in manu ullius Angeli, nedum Papæ, aut Concilij cujuſquam.

De cap. Babyl.

Antiluth.

In ser. de Euch.

Quamvis populo nunc non datur utraque ſpecies, ſicut olim, neque eſt neceſſe; Tamē ſacerdotes utramque ſumunt quotidie coram populo, & ſatis eſt populum quotidie deſiderare, & ſuo tempore alteram ſpeciem, quātum ordinat, & dat Eccleſia Catholica ſumere. *Luth.*

In declaratione Euch.

2. Non dixi, neque conſului, neque eſt intentio mea, ut unus aut aliquot Epiſcopi propria authoritate incipiant alicubi utrāque ſpeciem porrigere, niſi ita conſtitueretur, ac mandaretur in Concilio generali.

Antiluth.

In assert. arti.

Conſultum mihi videtur, ut non modo per Concilium, ſed per quamcunque Diœceſim,

quilibet Episcopus etiam invito Papa, Christum secutus in Evangelio, rursus utramque speciem laicis daret.

Luth.

De Euc. 3. Quamvis Romana Tyrannis integritatem sacramenti nobis abstulerit, non tamen peccant in Christum, qui una specie utuntur, cum Christus non præceperit ullâ uti: sed arbitrio cujuslibet reliquit, dicens, Quotiescunque hoc feceritis, in mei memoriam facietis.

Antiluth.

De cap. Babyl. Quod dicunt Ecclesiæ arbitrio relictum esse distribuendam utramque speciem, sine ratione dicitur, sine authoritate producitur, & eadem facilitate contemnitur, qua probatur.

Luth.

4. Non probo utramque speciem, laicis dari, nisi fiat mandante concilij generalis authoritate.

Antiluth.

De formula missæ. Si quo casu concilium statueret, minime omnium nos vellemus utraque specie potiri, imo tunc primum in despectum concilij, vellemus aut utra tantum, aut neutra, & nequaquam utraque potiri, ac planè eos Anathema habere, quicunque authoritate talis concilij, potiretur utraque.

Luth.

In assertionibus. art. 16. 5. Neutra species, sed sola fides ad salutem necessaria est.

Antiluth.

In capt. Babyl. Fortiter ac libere prædicent parochi, hâc Evan-

Evangelij doctrinam de utraque specie, & nullo pacto alteram speciem justificent, sed redarguant velut rem iniquam.

Luth.

6. Caput 6. Ioannis est in totum seponendum, ut nec syllaba quidem de sacramēto loquitur.

Antiluth.

Sub utraque specie communicandum probatur Joannis sexto. *In Visit.*

DE PRÆPARATIONE *ad Eucharistiam.*

Cap. 7.

Luth.

SEcurè ad Sacramentum accedit, quicunq; peccatorum suorum vexatur, sive morsu, sive titillatione. *In capt. Babyl.*

Antiluth.

Non debent ad hoc Sacramentum admitti, qui in manifestis jacent peccatis. *In decl: serm: de Euchar.*

Luth.

Fidele consilium meum, est, ut homo Christianus tempore Quadragesimæ, & Paschatis neque confiteatur, neque ad sacramentum eat. *De cōfe. parte 3.*

Antiluth.

Nemo debet admitti ad Sacramentum, nisi prius à pastore suo sit specialiter requisitus, an dispositus sit ad sacramentum. *In Visit. Saxo.*

Luth.

3. Verbum promissionis solum regnare debet *De cap. Babyl.*

bet in fide pura, quæ eſt unica, & ſola ſufficiens præparatio ad ſacramenti ſumptionem.

Antiluth.

De hom: moriẽte. In lecto ægritudinis conſtitutus, antequã Eucharistiæ ſacramentum accipiat, ſuo ſacerdoti confiteatur, ac per invocationem Sanctorum, alijſque modis præparare ſe ſtudeat.

DE TRANSSVBTANTIatione. Cap. 8.

Luth.

In ſer: de Euch. IN ſacramento altaris, non eſt panis & vinum, ſed ſpecies panis & vini. Nempe panis in verum & naturalem ſanguinem Chriſti tranſmutatur.

Antiluth.

De cap. Babyl. Thomiſtica doctrina eſt, tranſſubſtantiari panem & vinum, liberum eſt, & citra ſalutis periculum imaginari, opinari, & credere, remanere aut nõ remanere ſubſtantiã panis & vini.

Luth.

De cap. Babyl. 2. Eccleſia ultra mille ducentos annos, rectè credidit, nec unquam de tranſſubſtantiatione, meminerunt ſancti Patres.

Antiluth.

In actis Auguſtã. Ego frater Martinus Lutherus Auguſtinianus proteſtor, me colere, & ſequi ſanctam Romanam Eccleſiam in omnibus dictis & factis, præſentibus, præteritis, & futuris.

Luth.

In l. Viſ. 3. Docendi ſunt Chriſtifideles ut credant in pane verum corpus Chriſti, & in vino verum Sanguinem Chriſti.

An-

Antiluth.

Docui hactenus & adhuc doceo ejusmodi sententiam, non esse necessariam, nec multũ habere momenti, sive maneat panis sive non.

Luth.

4. Paulus ait in Cor. xi. Quòd cibus iste non debet ut communis cibus existimari, sed pro corpore Christi: & arguendi sunt qui absque timore, & veluti communem cibum sumunt,

In Visit.

Antiluth.

Non damnandi, nec hæreseos accusandi sũt, qui sacramentum non adorant, cum non sit præceptum nec Christus in hoc ibi adsit.

AdWaldenses.

Luth.

5. Impius est, & blasphæmus, si quis dicat panem transsubstantiari, Catholicus autem & pius est, qui contrarium docuerit.

In libr. contra regem Angliæ.

Antiluth.

Sicut panis & vinum transsubstantiatur, ita & nos in spirituale corpus transmutamur. Et Nota in epist: ad Argentinenses, sic ait ipse Lutherus: *Vellem, posset mihi aliquis persuadere, nihil esse in Eucharistia, præter panem & vinum; magnô ille me beneficiô devinciret; jam sæpè gravibus curis in hac materia desudavi, quia videbam me hoc modô plurimum posse Papatui incommodare; verùm me captum video, nullâ evadendi viâ relictâ: textus Evangelij nimis est apertus.*

In ser: de Euch.

DE FESTO CORPORIS CHRISTI.

Cap. 9.

Luth.

Ad Wal: NUllum festum odi magis unquam, quàm, festum Corporis Christi.

Antiluth.

Ad Wal: Multi adorabant Christum, conversantem in terra, & ipse quoque non reiecit, ut magi ex oriente occurrentes, & cæcus Evangelicus, & cætera.

DE MISSA.

Cap. 10.

Luth.

In x. preceptis. ETiam in diebus festis Beatæ Virginis, & Apostolorum, celebrandæ sunt & audiendæ Missæ.

Antiluth.

De Abrogandæ Missa. Non nisi die dominica, semel celebrandũ & communicandum est.

Luth.

De capt. Babyl. 2. In consecratione calicis aqua cum vino misceri debet.

Antiluth.

In Psal: & multis aliis suis lib. Non est necesse aquam cum vino misceri, quod ita factum in Evangelio non reperitur.

Luth.

De cap. Babyl. 3. Impijssimus abusus est in Ecclesia persvaderi. Missam esse opus bonum & sacrificium.

Antiluth.

De x. præc. Missas pro vivis & defunctis valere tota approbavit Ecclesia.

Luth.

In Decalogo. 4. Diebus dominicis ac festis unusquisque Chri-

Christifidelis, Missam in sua parochia audire tenetur.

Antiluth.

Missa summa est perversitas.

De cap. Babyl.

Luth:

5. Plus prodest si Missa per sacerdotem applicetur uni, quàm si sine applicatione pro omnibus celebretur.

In resol. conclusione. 26.

Antiluth.

Manifestus & impius error est, Missam pro peccatis, pro satisfactionibus, pro defunctis, aut quibuscunque necessitatibus suis, aut aliorum offerre, seu applicare.

De cap. Babyl.

Luth.

6. Missa pars est Evangelij, imò summa & compendium Evángelij.

De cap. Babyl.

Antiluth.

Maxima peccata mea sunt, quòd tam sánctus fui Monachus, ac tot Missis per annos quindecim, Dominum meum tam graviter offendi.

In lib. ijs contra Zuingliū & Oecolāpad.

Luth.

7. Christus Eucharistiam sibi non accepit, sed alijs ministravit.

De Euc.

Antiluth.

Quamvis scriptum non sit Christum valedictionis haustum accepisse, tamen, non solis discipulis dedit, sed & ipse bibit, & cùm ipsi biberunt sangvinem Christi, ipse quoque cum illis proculdubio bibit.

In lib. de De abrogandá Miss.

In lib. 2. contra Zuingliū & Oecolamp.

Luth.

8. Ad abolendum victoriosum Eucharistiæ mysterium, profecit Satan quòd Missa fer-

De abroganda Miss.

mè

mè solis mortuis serviat, quæ pro vivis solis est instituta.

Antiluth.

De x. prace. Error esse non potest pro defunctis celebrare Missas, cùm & illud idem sanctus Augustinus pro sua Matre Monica fecerit.

Luth.

De abroganda Miss. 9. Eucharistia seu Missa prorsus nulli alteri potest applicari & communicari.

Antiluth:

De x. prace. Certus sum & scio missas tam vivis, quàm defunctis prodesse.

Luth.

Contra Regem Angliæ. 10. Manifestum est sacerdotes in Missa id omittere, quod Christus in cœna fecit, & id facere, quod Iudæi fecerunt in cruce Christo.

Antiluth:

Reg. xxvj. Quum sacerdos cum populo orat, ieiunat, sacrificat, de quo suffragio nullum est dubium, quin vehementer prosit & redimat animas.

DE CANONE MISSÆ.

Cap. 11.

Luth:

De x. prac. STultè interpretamini Canonem fratres, volentes in eo Missam legendam altiore voce, quod non videri, sed audiri sit præceptum, quasi non magis præceptum sit, Canonē Missæ, qui solus propriè, Missa est, pressa voce legi, ne audiatur, cætera verò, orationes, & præparamenta ad Canonem Missæ. *Anti-*

Antiluth.

Vellem quod nos Germani germanicè Missam legeremus, & verba secretissima altissima voce decantaremus. *In serm. de No. Test.*

Luth:

2. Habeo quod pro sano sensu Canonis dicere possum, quod & alias feci. *De Abrogada Missa.*

Antiluth:

En tibi sacrum Canonem, ut scias quidnã sit, & obstupescens, cruce te signes, fugiasque ab eo, haud secus atq; à diabolo & abominatione pessima. *De abominatione eanõ.*

DE SACERDOTIBVS.

Cap. 12.

Luth:

SAcerdotes à subditis honorandi sunt. *In Dec.*

Antiluth:

Nullum est in novo testamento Sacerdotium, nisi quod est humanis mendacijs à Satana creatum. *In capt. Babyl.*

Luth:

2. Reipsâ omnes sumus æquales Sacerdotes & Laici. *De cap. Babyl.*

Antiluth:

Non parva differentia est inter Sacerdotes & Laicos. *In Deca.*

Luth:

3. Esto itaque certus & sese agnoscat, quicunque se Christianum esse cognoverit, omnes nos æqualiter esse Sacerdotes, hoc est eandem in verbo & Sacramento quocunque habere potestatem. *In capt. Babyl.*

Antiluth.

In Resol. Solis Sacerdotibus ad hoc ordinatis sacramenta ministrare, & Verbum Dei prædicare permittitur.

Luth:

4. Præstat publicum lenonem aut latronem esse, quàm Sacerdotem Papisticum. *De abrog. Miss.*

Antiluth.

In explicatione Pater noster. Christus docet nos orare pro universis Prælatis spiritualibus, præcipuè pro illis quorum interest Verbum Dei impartire nobis.

Luth:

In li. Vi. 5. Ad quartum præceptum pertinet, honorare Presbyteros qui Verbo Dei nobis ministrāt, ministri enim sunt verbi Dei & nos per eos Verbum Dei habemus.

Antiluth.

De abrogā. Miss. Verè dixi sacerdotes esse Idola mundi, ego, nè idola illa rasa & oleata ullo dignos censeā honore.

Luth.

In Resolutionib' 6 Nulli Deus remittit culpam, si non ille se subjecerit & humiliaverit suo Sacerdoti vicario.

Antiluth:

Ad Senatum Prag. Sacerdotes nullo jure, sed abusu damnabili utuntur in confessionibus ligandi & solvendi judicio, Nam nos omnes qui Christiani sumus, habemus commune officium clavium:

Luth:

In Resol. conclusio 7. 7 Ordine generali non est nobis creata remissio culpæ nisi per judicium Sacerdotis, hæc est illa dulcissima potestas.

Antiluth:

Sacerdotes ſunt onera tolerabilia orbis terrarum neque Sacerdotes appellari debebunt.

De abrogan. Miſſ.

De POENITENTIA.

Cap. 13.

Luth.

POEnitentia poſt peccatum ſummopere laudanda eſt.

In Decalogo.

Antiluth:

Non eſt pœnitentia poſt naufragium, ſecunda tabula

De cap. Babyl.

Luth.

2. Pœnitentia inter ſacramenta connumeretur, ideo ſanè, quòd omnia ſacramenta pœnitentiam ſignificant.

In lib. Vit.

Antiluth.

Scriptura tantum duo ſacramenta novit, Baptiſmum & Euchariſtiam.

In lib. Vi.

De SATISFACTIONE.

Cap. 14.

Luth.

MArtyres, item Romani Pontifices & vetuſtiſſima Concilia rectè ſtatuerunt modum pœnitendi & ſatisfaciendi pro peccatis ad aliquot annos.

In Reſol.

Antiluth:

Oſtendant ſi poſſunt, ubi in tota ſcriptura unus apex, aut jota ſcribatur, pro peccato mortali uno, debere ſatisfieri ſeptem annis,

In aſſer.

Luth:

In asser. 2 Dicant ubi pro differentibus peccatis, differentes pœnas statuant Christus & Apostoli,

Antiluth:

In asser. Sancta Mater Ecclesia pro affectu præventura manum Dei castigat filios suos satisfactionibus quibusdam, ne incurrant flagella Dei,

Luth:

In Resol. concl. 3. 3 Tres sunt partes satisfactionis, Jejunium, oratio & eleemosyna,

Antiluth:

In lib. Vis. Satisfactio pro peccatis nostris nulla sunt opera nostra,

Luth:

De cap. Babyl. 4 Peccantes absolvimus ante satisfactionem impletam. *Antiluth.*

In asser. art. 5. Vehementer odi, & sublatum vellem hoc vocabulum satisfactio, quòd non modò in scripturis non reperitur, sed & periculosum habet sensum. *Luth.*

Ibidem. 5 Pœna satisfactionis arbitraria est, non in totum ut illi volunt, sed tamen necessaria, Nã aut nos, aut homines, aut Deus punit peccata.

Antiluth.

Sic instant & necessariam faciunt satisfactionem ut fidei in Christum non relinquant locũ, miserrimè excarnificatis eo scrupulo conscientijs.

De CONFESSIONE.

Cap: 16.

Luth:

In Deca. MUltæ sunt circumstantiæ; quæ peccata gravant.

Anti-

Antiluth.

In confitendis peccatis apud Christianos, una duntaxat circumstantia est, peccâsse in fratrem, nec aliquid facit observatio locorũ, temporum & personarum.

Luth.

2 Solis Sacerdotibus confitendum est. *In Resol. & x. pre.*

Antiluth.

Omnibus & Singulis Christianis, etiam mulieribus dictum est: *Quodcunque ligaveritis super terram &c.* & absolvitur quisquis fuerit, & quicunque sic confessus fuerit. *De cap. Babyl.*

Luth.

3 In mortis articulo constitutus ad se Sacerdotem vocet, ubi sua confiteatur peccata omnia. *De præ. ad mortem.*

Antiluh.

Non est necesse confiteri peccata omnia. *In Resol.*

Luth.

4 Si absolvit me Presbyter acquiesco ejus absolutioni, tanquàm verbis Dei, & super hoc morior. Tam firmiter enim credere debes absolutioni Presbyteri ac si Deus specialem Angelum, aut Apostolum ad te mitteret, imò tanquam Christus ipse absolverit. *De præpar. ad mortem.*

Antiluth.

Utuntur in confessionibus quoque & excõmunicationibus, ligandi & solvendi officio, sed jure nullo, abusuque damnabili. *Ad Senatum Prag.*

Luth.

5. Confessio auricularis in Ecclesia, etsi ex scriptura probari non possit, utillis tamen est imo necessaria. *De cap. Babyl.*

Antiluth.

De x. le-prosis. Confessio auricularis est fictio hominum.

Luth.

In serm. Dominica Reminisce. 6 Nolo ut quisquam mihi confessionem tollat, nec velim eam pro totius mundi thesauris dare.

Antiluth.

Ibidem. Nolo confiteri ob id solummodò quod Papa præcepit & fieri vult.

Luth.

Ibidem. 7 Imo jam pridem à diabolo interemptus essem si me non servaret confessio.

Antiluth.

Ibidem. Qui habet fortem ac firmam fidem, quòd dimissa sunt sibi peccata sua, is potest hanc confessionem omittere, & sibi soli confiteri.

De CONTRITIONE.

Cap. 16.

Luth.

In serm. de Pœnitentia. Contritio quæ fit per detestationem peccati, amissionem æternæ beatitudinis, & acquisitionem æternæ damnationis, facit hypocritam, imo magis peccatorem.

Antiluth.

In lib. Vis. Vera fides non potest esse sine severa ac veraci contritione, atque terrore coram Deo.

De SACRIFICIO MISSÆ

Cap. 17.

Luth.

Lon-

LOnge impijssimus abusus est dicere Missã esse opus bonum & sacrificium. *De cap. Babyl.*

Antiluth.

Iniquissimus hostis, nec hoc saltem sacrificium reliquit sincerum.

Luth.

2 Qui docuerunt Missam esse opus operatum & sacrificium, monstra impietatis docuerunt. *De cap. Babyl.*

Antiluth.

Expertus sum & scio Missæ sacrificium valere pro defunctis. *De x. prac.*

Luth.

3 Sacrificium ex Missa facere, est substantiam ipsam sacramenti & totum, quod est à Christo institutum, mutare. *De abroganda Miss.*

Antiluth.

Quid est quòd Melchisedech panem & vinum obtulit pro Abraham? ibi expressit sacerdotium Christi in hoc tempore usque ad novissimum diem, quod absconditum sacramentum altaris, sacri corporis & pretiosi sangvinis sui offerret in Ecclesia. *In Psal. 109.*

De SACERDOTIO. Novæ Legis. Cap. 18.

CErtus esto, nec ulla persvasione falli te sinas, quisquis voles esse purè Christianus, nullum esse in novo testamento sacerdotium visibile & externum, nisi quod humanis mendacijs per satanam erectum, unum vero & so- *De abroganda Miss.*

lum

lum est nobis Sacerdotium Christi, quo ipse sese obtulit pro nobis, & nos omnes secum.

Antiluth.

In lib. Vis. Sacerdotes Christi honorandi sunt, juxta illud Apostoli; Presbyteri qui bene præsunt duplici honore digni sunt.

Luth.

Ad Senatum Prag. 2 Videmus itaque, quales fiunt per ordines Papisticos Sacerdotes, non utique Sacerdotes Dei, sed Sacerdotes satanæ tantùm ut Christum conculcent.

Antiluth.

De x. prae. Per omnem Ecclesiam nullus, nisi solus Sacerdos Missam audit totam, magnô scilicet eô Sacramentô, quod Christus verus Sacerdos; quãquàm multa operatur in Ecclesia per externa sacramenta & visibiles ceremonias, tamen plurima agit invisibiliter pro nobis apud Deum.

De MATRIMONIO.

Cap. 19.

Luth.

De cap. Babyl. MAtrimonium, non solum sine ulla scriptura pro Sacramento censetur, verum eisdẽ traditionibus quibus sacramentum esse jactatur, merum ludibrium factum est.

Antiluth.

De potestate Papæ. Matrimonium in Ecclesia Dei Sacramentũ est.

Luth.

De cap. Babyl. 2 Matrimonium Sacramentum est non divinitùs institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventũ ignorantiâ tam rei, quã verbi adductis.

Antiluth.

Matrimonium verè Sacramentum esse, ac divinitùs institutum: probat Paulus Ephesio. 5.

In serm. de Matrimon. An. 19.

Luth.

3. Sciant Parentes sibi jus esse matrimonia filiorum irrita faciendi, & filii sciant sese obedire debere, in his & omnibus, quæ contra Deum non sunt, Parentibus suis, & matrimonia sua occulta nihil esse, nisi ea demum impetrent humili prece à Parentibus rata haberi, & execrentur Papam istum adversarium Dei cum suis legibus.

De Sacer. legib. & Jac. Papæ.

Antiluth.

Qui Matrimonia separant, adversantur Evangelio Christi dicentis: *quod Deus conjunxit homo non separet.*

De IMPEDIMENTIS MATRIMONII. Cap. 20.

Luth.

IN gradibus affinitatis & consangvinitatis, nulla alia attendi debent & possunt, quàm quæ in Levitico cap. 18. scripta sunt, quæ & servari debent.

De cap. Babyl. & vita conjugali.

Antiluth.

Ego Moysen non accipio, nam si acciperem in uno mandato Moysen, oporteret me totum accipere, sicque necessarium esset ut circumciderer, vestes lavarem, ac judaico ritu viverem.

In serm. de Moyse.

Luth.

2. Ut finem faciam istorum figmentorum, magis

In cap. Babyl.

magis quàm impedimentorum, dico mihi nullum apparere impedimentum, quod contractum jure Matrimonium dirimat, nisi impotentiam cognoscendæ conjugis, ignorantiam jam contracti, & votum castitatis.

Ibidem. Christus concedit divortium in causa fornicationis duntaxat, quare errare Papam necesse est, quoties divortium facit aliis causis.

De SACRAMENTO ORDINIS Cap. 21.

Luth.

De potestate Papæ. ORdo in Ecclesia Dei Sacramentum est.

Antiluth.

De cap. Baby. Sacramentum ordinis Ecclesia ignorat, inventumque est ab Ecclesia Papæ.

Luth.

In serm. de pœnitentia. 1. Presbyteri, Episcopi & Papa propter verbum Dei honorandi sunt, tanquam hi, qui nobis Dei nostri verbum nuntiumque afferunt, quòd absoluti sumus à peccatis.

Antiluth.

In capti. Baby. Sacramentum ordinis pulcherrima machina fuit & est, ad stabilienda omnia portenta, quæ hactenus facta sunt, & adhuc fiunt in Ecclesia.

De SACRAMENTO EXTREMÆ Unctionis, Cap. 22.

Luth.

De potestate Papæ. EXtrema unctio Sacramentum est.

Anti-

Antiluth.

Si usquam antea deliratum est, in extrema unctione nunc præcipuè deliratum est. *In cap. Babyl.*

Luth.

2. In articulo mortis constitutus, ungatur Oleô Sanctô, juxta Beati Iacobi sententiam: *si quis infirmatur*, &c. *In lib. de præparatione ad mortem.*

Antiluth.

Figmentum est ex hac Apostoli sententia: *si quis infirmatur*; à nobis oportere hominem ungi, cum non Sacramentum, sed figmentum sit. *In cap. Baby.*

De PAPATU

Cap. 23.

Luth.

NOn est nostrum judicare voluntatem Papæ, sed tantummodò ferre, etiam si fuerit iniquissima. *In res. con. 85.*

Antiluth.

Certus sum Papatum regnum esse Babylonis. *In capit. Baby.*

Luth

2. Fatemur sub Papatu multa bona ad nos promanasse, nempe veram Scripturam Sacram, verum Baptismum, veras claves ad remittenda peccata, verum prædicandi officium, verum catechismum. *In libr. adversq. Anabap.*

Antiluth.

Et Papatus est principis satanæ pestilentissima abominatio. quæ nunquam sub cœlo fuit, aut est futura. *In libr. adversq Regem Angl.*

Luth.

In ref. Concl. 9. 3. Bene nobis fecit Spiritus Sanctus in Papa excipiendo in suis decretis semper articulum mortis & necessitatis.

Antiluth.

In cap. Baby. Romanus Pontifex superstitionum omnium fons & author est.

De POTESTATE PAPÆ.

Cap. 24.

Luth.

In Ref. concil. 10. PApa non habet alterius generis potestatem, quàm alius Sacerdos, sed alterius quantitatis, quia ipse omnium peccata, alij aliqua remittunt.

Antiluth.

In cap. Baby. Quodcunque ligaveritis super terram, ligatum erit & in cœlis, & quodcunque solveritis &c. Hoc omnibus & singulis Christianis dictum est.

Luth.

In ref. con. 71. Clarum est quod ad remissionem peccatorum & casuum sola sufficit potestas Papæ, quando ergo Sacerdotali officio excommunicat, absolvit, ordinat, statuit, abrogat, præcipit, prohibet dispensat, mutat, interpretatur, in his omnibus agit virtute istius verbi: *quondcunq; ligaveritis &c.*

Antiluth.

In cap. Babyl. Ego non dubito eum à peccatis esse absolutum, quicunque sive sponte confessus, sive correptus

reptus veniam petierit & emendaverit coram quovis privatim fratre, quidquid contra hæc insanierit Pontificum sententia.

Luth.

3. Ego audio Papam ut Papam, id est ut in Canonibus loquitur & secundùm Canones loquitur, aut cum concilio determinat.

In ref. conclus. XXVI.

Antiluth.

Clamo fidenter Christianis nihil ullo jure imponi posse legum sive ab hominibus, sive Angelis, nisi quantum volunt, liberi enim sunt ab omnibus.

In cap. Baby.

Luth.

4. Potestas Pontificis est Lerna, Tartarus, Simonia, libidinum, pomparum, cædium, reliquarumque abominationum in Ecclesia.

Ier.

Antiluth.

Si potestas Papæ non esset à Deo, nec jure Divino, tam diu subsistere potuisset.

De potestate Papæ.

Luth.

5. Orationes, jejunia, donationes & quæcunque tandem Papa in universis suis decretis tam multis, tam iniquis statuit & exigit, peccatque in libertatem Ecclesiæ toties, quoties aliquid attentaverit.

De Sacr. Baptis.

Antiluth.

Statuta & decreta Pontificis, nullo modo cõtemnenda, sed potius servanda sunt, quia authoritati Papali in omnibus cum reverentia cedendum est.

In Resol. con. LXIX.

Luth.

Deinde assero & amplector fiducià totà spiri-

Advers. execrabilem Bullam. tûs mei articulos per eam damnatos, asserendosque pronuncio omnibus Christianis sub pœna æternæ maledictionis, & Antichristos habendos quicunque Bullæ consenserint, quos & his scriptis, conjuncto mihi omnium spiritu, qui purè Christum cognoscunt & colunt, pro ethnicis habeo & devito secundùm præceptum Domini nostri JESU Christi Amen.

Antiluth.

In Resol. Sententiis decretis, & censuris Papæ standum est; neque contraveniendum, etiam si iniquissimæ aliquando fuerint & sunt.

De CÆSARE

Cap. 25.

Luth.

In lib. 2. contra rustic. Subjecti sumus tum corpore, tum omni substantiâ nostrâ Cæsari jurique sæculari.

Antiluth.

In libr. 2. de sec. potestate Inter Christianos nulla potest esse superioritas.

Luth.

Contra Regem Angl. 2. Apparui tertio jam coram eis, denique Wormaciam ingressus sum, etiam cum scirem mihi violatam esse à Cæsare fidem publicam, nam didicerunt Principes Germaniæ, olim de fide laudatissimæ gentis, nunc in obsequium Idoli Romani, nihil magis quàm fidem contemnere, in perpetuam nationis ignominiam.

Antiluth.

De X. prac. cap. 4. Principi populi tui scriptura docet non esse maledicendum.

CON-

CONTRA PRINCIPES.

Cap. 26.

Luth.

EPiscopi & Principes, Plebani & Senatus, utrumque scilicet dominium, sunt quàm maximè timendi, & cavendum est ne obloquatur ullus, scriptum est enim: Diis tuis non detrahas.

De X. præcept.

Antiluth.

Episcopi & Principes non sunt Christiani, neq; ad Ecclesiam Christi pertinent.

In lib. de judicio.

Luth.

2. Mendaces & obstinati sunt Principes nostri, nec homines ratione præditi, sed Germanicæ bestiæ.

Christi congreg.

Antiluth.

Etiam aliquando malis Principibus obediendum est.

In Epist. cont. duo Cas. mā.

Luth.

3. Vos Principes estis bullæ aquarum, & lēdes capitis nondum facti pediculi.

In l. c. contra Rust.

Antiluth.

Principibus non est obloquendum, quia scriptum est, Principi Populi tui ne maledicas.

In libe. con. Ep Reg. An.

Luth.

4. Princeps est caro ferina in cœlo, id est avis rara; sunt enim Principes lictores, apparitores & carnifices Dei.

In lib de 10. præc.

In libr. de seculari potestate.

Antiluth.

Principes maximè timendi sunt, quia gladium Domini portant.

De 10. præc.

Luth.

Luth.

De cap. Babyl.

5. Turpe eſt & iniquiter ſervile, Chriſtianum hominem, qui liber eſt, alijs quàm cœleſtibus ac Divinis ſubjectum eſſe traditionibus.

Antiluth.

In lib. 6.

Nobis bene licet, & æqvum eſt, uti legibus Imperatorum, ait enim Petrus: *ſubjecti eſtote &c.*

Luth.

De cap. Baby.

6. Nulla eſt alia remedii ſpes, niſi revocato libertatis Evangelio, ſecundùm ipſum, ſemel extinctis omnium hominum omnibus legibus, omnia judicemus & regamus, Amen.

Antiluth.

De X. præc.

Omnis poteſtas à Deo eſt, & licet ruſticos premant Principes, aut Cives, aut Sacerdotes: tamen ſunt verendi.

Luth.

Cont. duo Imp. man. Ann. M. DXX III.

7. Oro cunctos pios Chriſtianos, dignentur ſimul rogare Deum pro hujuſmodi miſeris excæcatis Principibus, quibus nos Deus procul dubio magno iræ ſuæ furore corripuit, ne ullo pacto obſequamur, vel in militiam ire, vel dare aliquid contra Turcas, quandoquidem Turca decies probior, prudentiorque eſt, quàm ſunt noſtri Principes, quid talibus fatuis contra Turcas proſperè eveniet?

Antiluth.

In ſer. de bello cõt. Turcas.

Qui in bello contra Turcas moriuntur, verè ſunt Martyres Dei, qui & ſine dubio poſt mortem ad cœlum evolant.

De

De TURCIS.

Cap. 27.

Luth.

NUllum est regimen sæculare pulchrius, quã apud Turcam, & nullum est turpius, quàm apud Christianos.

Ad nob. Germa.

Antiluth.

Turpissima est Machumeti lex.

In serm. con. Tur.

Luth.

2. Umbræ sunt nostri Religiosi ad Turcarum religiosos collati, & vulgus nostrum planè prophanum ad illorum vulgus comparatum.

In præf. lib. de ritu Turcarum.

Antiluth.

Multò tolerabilius foret viro bono videre filiorum suorum interitum, quàm Turcicis moribus eos imbui, Turcæ enim nullam prorsus honestatem vel sciunt vel curant, eripiunt bona, uxores, & liberos, pro libitu suo ducunt, & extrudunt uxores &c.

In lib. Vis.

Luth.

3. Præliari adversùs Turcas est repugnare Deo.

In assert. art. XXIV.

Antiluth.

Clamant aliqui Prædicatores temerè de Turcis, non resistendum esse Turcæ, quia vindicta Christianis prohibita sit. Hic sermo. seditiosus est, qui neque ferri neque permitti debet.

In visita.

Luth.

4. Qui habet aures audiat, & à bello Turcico abstineat, donec Papæ nomen sub cœlo valet.

In asser. art. xxxiv.

Antiluth.

In visita. Tenentur potestate resistere Turcis, quia non solùm cupiunt Provincias vastare, uxores & liberos violare ac interficere, verùm etiam jura Provinciæ, cultum Dei, omnemque ordinationem abrogare & tollere.

Luth.

5. Nullis prorsus est resistendum, neque Turcis neque alijs adversarijs, juxta præceptum Christi dicentis: Si quis te percusserit in maxillam dexteram, præbe illi & sinistram. *In resol. concl. 5.*

Antiluth.

In serm. de bello con. Tur. Turcis resistere tenemur ob causas plurimas.

Luth.

In serm. castren. 6. Turcarum Sacerdotes aut Religiosi, tam severam, gravem strenuamque vitam ducunt, ut Angeli, non homines videri queant, ut omnes nostri Clerici & Monachi in Papatu, jocus præ illis sint.

Antiluth.

In visit. Apud Turcas nulla honestas aut disciplina est.

De SOLA FIDE.

Cap. 28.

Luth.

De lib. Christ. DEus Pater in fide omnia posuit, ut si quis hanc habuerit, omnia habeat.

Antiluth.

In Resol. conclus. 1 Dominus & Magister noster JESUS Christus dicendo: *pœnitentiam agite*, omnem vitam fidelium pœnitentiam esse voluit, non tamen intenta-

tendit solam interiorem, imo interior nulla est, nisi foris opererur varias carnis mortificationes.

Luth.

2. Christianus liber ab omnibus est, & super omnia, ita ut nullis operibus ad hoc indigeat, ut justus ac salvus sit, sed sola fides hæc omnia largitur abundè. *De lib. Christi.*

Antiluht.

Feliciores sunt hi, qui per se satisfaciunt, quàm qui indulgentias redimunt, cum indulgentiæ nihil aliud sint, quàm relaxationes bonorum operum, quibus satisfactio impletur. *In actis August.*

Luth.

3. Ergo neque opera pœnitentiæ, neque Sacramenta, justificationem, hoc est, remissionẽ peccatorum faciunt, sed sola fides. *In asser. art. 1.*

Antiluth.

Absque pœnitentia nulla est peccatorum remissio, neque potest peccatorum remissio absque pœnitentia intelligi. *In visit.*

Luth.

4. Tanta est in fide nostris temporibus confusio, ut verè nemo sciat, quid credere debeat, aut possit. *In lib. cont. Anabapt.*

Antiluth.

Evangelium tam copiosè prædicatum est modò, ut tam clarum non fuerit temporibus Apostolorum. *In serm. struct. Jerus.*

Luth.

5. Hic stat Jonas cum suo libro docens quomodo Ninivitæ absque Judaica sola fide & bo- *Super Joan.*

 nis

nis operibus Deo placuerunt & satisfecerunt, nec Deus plus requirit ab eis.

Antiluth.

Ibidem Quapropter nil amplius necessarium nobis est, quemadmodum & Ninivitis quàm recta fides, quæ bona operetur & homines justificet.

Luth.

De cap. Babyl. 6. Nulla peccata possunt hominem damnare, nisi sola incredulitas.

Antiluth.

Super Jonam capit. 1. Hic laudantur bona opera, quid de hoc dicemus, hìc enim vicerunt, respice autem textum dicentem: *Deus respexit eorum opera*, hoc est placuerunt. Quæ autem fuerunt opera illa, ipse exponit Dominus, averterunt se à via sua mala, talia opera fac & doce, & favebimus tibi, ut laudes ea; verùm ipsi quoque ea laudabimus, non parvum opus est à mala via discedere.

Luth.

In serm. de Anabaptist. 7. Qui fidem habet contra conscientiam agere non potest.

Antilth.

De Vot. Nos fideles etiamsi labamur & peccemus mox resurgamus.

Luth.

Ad Gal. cap. 2. 8. Sola fides Christi necessaria, quod justi simus, cætera omnia liberrima, neque præcepta ampliùs, neque prohibita.

Antiluth.

De X. Le. Vita Christiana est credere & diligere, at diligere, nihil est nisi benefacere.

Luth.

Luth.

9. In nullo alio meliùs deprehenditur fides, quàm in operibus charitatis dicente Domino: in hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem. *De X. Le.*

Antiluth.

Caveamus à peccatis, sed multò magis ab operibus bonis & legibus, sólamque promissionem Dei attendamus & fidem, ipsa enim brevis est perfectio, nec aliqua lex requiritur, nec opus, imo & legem proscindit & opus, omnes leges, omniaque complet opera. *De Nov. Testam.*

De POTESTATE ECCLESIASTICA. Cap. 29.

Luth.

Sicut carnales Parentes nostros amamus, reverenter honoramus ita & spiritualem superioritatem justificare tenemur in omnibus, quæ non sunt contra tria prima præcepta. *In lib. de bon. operis.*

Antiluth.

Pia conscientia novit nec dubitat, Ecclesiam nihil statuere, aut ordinare, ultra verbum, Dei, quæ autem hoc tentat, Ecclesia non est, sed fingit sese Ecclesiam. *De abrogan. Miss.*

Luth.

2. Ecclesia non potest errare, quilibet autem potest in devotione sua errare. *In X. præ:*

Antiluth.

Ego certus sum, quod Christus ipse me vocat & reputat, qui doctrinæ meæ Magister est, atque *In lib. conc. stat. Eccles.*

etiam testis erit in novissimo die, quod mea non sit, sed ipsius purum Evangelium.

Luth.

Ser. de Excommuni.

3. Potestas Ecclesiæ, potestas est Christi, licet pro nostris peccatis plerumque tradatur, Pilatis, Hærodibus, Annis, Cayphis violentissimisque alijs tyrannis. Nostrûm tamen est eam semper summis studijs revereri & colere exemplo Christi, qui sic, Caypham, Pilatum honoravit. Ideo nec indignissimæ ejusdem abusiones debent nos permovere, quin quidquid ipsi fecerint, hilariter feramus, aut saltē cum reverentia declinemus; nam tempus nostrum periculosissimum est, ideo prudentissimè oportet nos agere.

Antiluth.

Advers. execrabilem bullam.

Parati sumus pro hac nostra sententia, stultas vestras censuras non modò cùm gaudio ferre, sed etiam rogare, ne unquam nos absolvatis.

Luth.

In cap. Baby.

4. Orationes, jejunia, quæcunque Papa statuit, nullo jure exigit.

Antiluth.

In resol.

Statuat Ecclesia alteram partem quæstionis, & sequor libentissimè, ego teneo negativam, paratus tenere affirmativam, postquam Ecclesiæ sic placuerit.

Luth.

In cap.

5. Manifestus & impius error est, *Missam* pro peccatis pro satisfactionibus, pro defunctis, aut quibuscunque necessitatibus suis, aut aliorum ferre seu applicare.

Anti-

Antiluth.

An nondum videmus quam vigil ſit Chriſtus in Eccleſia ſua, ut & jam errare volentes, non permittat errare. *In Reſol.*

Luth.

6. Submitto me judicio & determinationi Sanctæ Eccleſiæ, & omnibus meliùs ſentientibus. *In diſp. Lypſ.*

Antiluth.

Quid mihi arbitrium Eccleſiæ, & poteſtas Papæ jactatur. *De cap. Babyl.*

Luth.

7. Obedientia Eccleſiaſtica eò admirabilior, quò etiam in vilioribus ſuo ſenſui credit & humiliatur. *In Reſol.*

Antiluth.

Nulla eſt poteſtas Eccleſiaſtica. *De falſ. ſtat. Eccl*

Luth.

8. Iſtam libidinem corrumpendæ ſcripturæ, jam ferme trecentis annis patitur Eccleſia incomparabili damnô ſuô à Doctoribus Scholaſticis. *De objectionibus Priorat9 Silveſtri*

Antiluth.

Eccleſia regitur à Spiritu Sancto. *D. X. præc.*

Luth.

9. Quando ſe homo debilem eſſe ſenſerit in fide, ſe brachijs Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ committat. *De præ. ad Euch.*

Antiluth.

Eccleſia eſt inviſibilis & ſpiritualis & ſola fide perceptibilis. *Cō. Am. Cathar.*

Luth.

Luth.

De X. præ.

10. Ecclesia errare non potest.

Antiluth.

De abrogan. Miss.

Ludificatio satanæ est affirmare, quod Ecclesia si quandoque erret aut peccet, quod ideo non sit Ecclesia.

Luth.

De præ. ad Euch.

11. In Eucharistiæ sumptione obedientiam Ecclesiæ exhibitam, sic Deus acceptat, quasi sibi ipsi facta fuerit.

Antiluth.

Con. Am.

Ecclesia est synagoga satanæ & sedes bestiæ, & cætera.

De TRADITIONIB9 HUMANIS.

Cap. 30.

Luth.

In lib. de conf.

AB humanis constitutionibus & præceptis tanquam à maximo infortunio cavendum & fugiendum est nobis.

Antiluth.

De X. præc.

Opus est infirmis non secundùm veterem hominem justificatis ut certis officijs, diebus, modis, vigilijs, jejunijs, laboribus, orationibus, disciplinis & similibus occupentur, quibus pervenient ad perfectionem interioris hominis.

Luth.

De cap. Babyl.

Neque Papa, neque Episcopus, neque ullus hominum habet jus unius syllabæ constituendæ, super Christianum hominem.

Anti-

Antiluth.

Ideo sunt positi Canones Patrum, ut dirigant populum.

In X. præc. cap. 5.

Luth:

13. In manibus Ecclesiæ aut Papæ, prorsus non est statuere articulos fidei seu bonorum operum.

Adverſ. Ambroſ. Cathari.

Antiluth:

Utraque præcepta & Dei & Ecclesiæ servanda sunt.

In decl. quorundam ar.

Luth:

14. Moses Deutor. 4. ait: ad verbum quod loquor vobis, non addetis, neque auferetis ex eo. An non clarum est hoc dictum contra omnes leges humanas.

De con. ad Franſ

Antiluth.

Ecclesia certè infinitis oneribus hodie premitur, & tamen piè & humiliter fert omnia quietè.

In reſ. conluſ. LXIX.

De INVOCATIONE SS.

Cap. 31.

Luth:

Rectè conclusi, meritum Christi thesaurum esse Ecclesiæ, & Sanctorum meritis juvari certum est.

Conc. X. cont. [illegible] eki.

Antiluth.

Pro meritis Sancti Petri, ne unum quidem obolum darem, ut me adjuvarent, quia seipsum juvare non potest.

In ar. 4. q. 6.

Luth.

2. Omnes Sancti omnia possunt, & tantū tibi

In X. præ.

tibi per eos à Deo datur, quantùm credis te accepturum.

Antiluth.

In serm. de S. Joan. Baptista.

Ego æquè bene per Christum ad Deum ire audeo, sicut S. Petrus & Paulus.

Luth.

De X. prac.

3. Quid enim aliud sunt Sancti, nisi velut guttulæ roris, seu guttæ noctium in Cincinnis de capite sponsi. Canticor. 5.

Antiluth.

In serm. ubi supra

Quod me ita humiliarem, ut non accederem ad Deum, sed Sanctum aliquem pro mediatore ponerem, id non debeo facere.

De MERITIS.

Cap. 32.

Luth.

Vt su. 4. 5.6. art.

SI cœlum viderem apertum, & possem illud levatione unius festucæ promereri, nollem facere, ne ausim dicere, ecce promerui.

Antiluth.

In lib. 2. cont. rust.

Tam mirabile bellum est contra rusticos nostros, ut Princeps quispiam illorum sangvinem fundendo cœlum promereri possit, melius quàm alij orando.

Luth.

In serm. de man.

2. Pro meritis Sancti Petri, ne unum quidem obolum darem, ut adjuvet, seipsum enim juvare non potest.

Antiluth.

In serm. de indulgen.

Ideo data sunt nobis præcepta à Deo, ut per

per ea mereamur. Nam ubi non est obedientia, ibi non est meritum. Ubi autem non est præceptum, ibi non est obedientia.

De INDULGENTIIS.

Cap. 33.

Luth.

1. Indulgentiæ tollunt pœnas à Pontificibus & Sanctis Patribus impositas. *In resol.*

Antiluth.

Nec Pontifex, nec Episcopi, in hominem quidquàm statuere possunt. *De cap. Babyl.*

Luth.

2. Contra veritatem Apostolicarum veniarum, qui loquitur, sit ille anathema & maledictus. *In resol.*

Antiluth.

Indulgentiæ nihil sunt, nisi Roman. Pontificum imposturæ. *De cap. Babyl.*

Luth.

3. Tenentur Episcopi & Curati, veniarum Apostolicarum Commissariũ cum omni reverentia admittere, quia authoritati Papæ in omnibus cum reverentia cedendum est, qui autem Deo resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. *In resol. con. 15.*

Antiluth.

Indulgentiæ sunt adulatorum nequitiæ. *In cap. Babyl.*

De SANCTIS.

Cap. 34.

Luth.

De cano. Missæ.

NIhil est sub cœlo periculosius, gestis Sanctorum, testimonio scripturarum non roboratis.

Antiluth.

De x. præc.

Facta sanctorum Apostolorum, ac aliorum celebrari debent.

Luth.

In li. de præ. ad mortem.

2 In mortis articulo Beatã Virginem, Angelos, proprium Apostolum, ac sanctos reliquos quibus in vita servit, invocare non cesset ut pro se intercedant ad Dominum.

Antiluth.

In mul. lo.

Non est qui apud Deum patrocinetur, aut advocare possit, nisi solus Iesus Christus.

Luth.

In cap. Baby.

3 Olim in eremo sancti Patres, multis in annis non communicaverunt vlla specie sacramenti, fide servati, & desiderio sacramenti contenti.

Antiluth.

In tractatu de Votis.

Facta sive exempla Sanctorum sunt perniciosissima quæ sunt sine scriptura.

Luth.

De Abrogan. Miss.

4 Sancti errare potuerunt docendo, & peccare vivendo, quid si non minus erraverunt elucidando, quàm vivendo & docendo.

Antiluth.

In ser. de Anaba.

Permisit Deus sæpe Sanctos errare, & labi in vita, sed in doctrina non permittit eos errare.

De

De CÆLIBATV.

Cap. 35.

Luth.

SIcut in poteſtate mea non eſt, quominus ſim mas, ita minimè ſitum in me eſt, ut ſim ſine muliere.

De con. ju vita.

Antiluth.

Virginitas in lege olim ſummum erat opprobrium, nunc autem ſumma gloria.

De x. præc.

Luth:

2 Creſcite & multiplicamini, non eſt præceptum, ſed plus quàm præceptum, quod nos non poſſumus impedire, vel prætermittere, ſed perinde neceſſarium eſt, & magis neceſſarium, quàm edere & bibere, purgari, expuere, dormire, & vigilare.

De conju. gali vita.

Antiluth.

Sacrilegium eſt, ubi jam non tantùm caſtitas polluitur, ſed etiam quæ Deo ſoli fuit oblata, tollitur & ſancta prophanatur.

De x. præc.

Luth:

3 Religioſi graviſſimè peccant, quando ſponte conſecraverunt ſeſe Domino, & ſeſe rurſus ſubtrahunt.

De x. præc.

Antiluth:

Vota omnia nullius ſunt momenti, quia ſtulta & impoſſibilia.

De Votis monaſtic.

De PRAECEPTIS DEI.

Cap. 36.

Luth:

DEcem ſunt præcepta DEI.

In Cathechiſ. De x præc.

De-

Antiluth:

In sermone de Mose. Decem præcepta Dei, in plura aut pauciora reddi possunt.

Luth.

De bonis operibus. 2 Decem præcepta ad nos non pertinent, sed ad solos Iudæos. *Antiluth.*

Ex decalogo & præcepto Dei, docemur honorare patrem ac matrem.

Luth.

In com. super pres. 13. 3 Inter præcepta Dei summum, maximum & primum est, quod in decalogo Dei primô locô ponitur. *Antiluth.*

In sermone de Mose. In novo testamento Moyses non tenetur, si enim Moysen in vno articulo observarem, debitor fierem universæ legis observandæ.

Luth.

In Vist. Saxo. 4 Christianæ vitæ est bona opera facere, idcirco decem præcepta iterum diligenter prædicari debent, in eis enim bona opera omnia continentur. *Antiluth.*

In assert. art. 13. Ego contra Papam & omnes Papistas assero: justum in omni bono opere peccare, & hic non est defectus sed verè peccatum.

Luth.

In lib. de bonis operibus. 5 Opus quarti præcepti est obedire matri spirituali sanctæ Ecclesiæ catholicæ, ecclesiasticæ potestati, quidquid præcipit, prohibet, statuit, ordinat, ligat, solvit, vt illud sequamur.

Antiluth.

De Iudicio Christ. Prorsus nullis hominum legibus tenemur.

Luth

In sermone de 6 Ex textu clarè habemus, quod etiam decem

cem præcepta,ad nos non pertinent. Non enim nos, ſed ſolos Iudæos ex Aegypto eduxit Dominus. *Moſe.*

Antiluth

Ad hoc ſunt ordinata præcepta DEI, ut eadem homo voluntate Dei operetur. *De x. prac.*

Luth.

9 Non eſt aliquod in Evangelio præceptum à Deo. *In pref. Novi Teſt..*

Antiluth.

Ideo data ſunt nobis à Deo præcepta, vt per ea mereamur, & ubi non eſt præceptum, ibi non eſt obedientia. *In ſer. de Indulgen*

De ORATIONE.

Cap. 37.

Luth.

SIcut grande peccatum eſt homicidium, ingens quoque peccatum eſt nihil à Deo rogare & petere. *In li. Vi*

Antiluth.

Conſtanter dicimus, orando etiam peccare juſtum, juxta illud Pſalmi centeſimi octavi; & oratio ejus fiat in peccatum. *In ſer. de Aſc. domini.*

Luth.

2 Accepta eſt oratio coram Deo, ſic enim Iacobus: qui poſtulat aliquid à Deo in fide non hæſitet. *In lib. de bo. operibus.*

Antiluth.

Opera Deus nihil curat, nec eis indiget. *De cap. Baby.*

Luth.

3 Sacerdotes & eccleſiaſtici, miſſam quotidie celebrant, omni hora orant, ſeque in verbo Dei exercent ſtudendo, legendo, audiendo, Ideo prævilegium præ alijs habent. *De bon operibus.*

Antiluth.

Ad sena. Pragen.

Quàm justa est vindicta Dei in istos abominabiles oratores, ecce dum soli volunt esse, qui pro populo orent, facti sunt mirabili consilio Dei non nisi pictæ quædam oratorum imagines.

De HORIS CANONICIS.

Cap. 38.

Luth.

In expl. pater noster.

QVando sacerdotes & cœnobitæ, ex mera obedientia cantant ac orant, etiam si non attendant, adhuc illorum oratio est frugifera & diaboli cruciatrix.

Antiluth.

Ad sena. Pragen.

Sacerdotum & Monachorum orationes, non nisi quædam orationum sunt imagines.

Luth.

In expl. panoster.

2. Orationem sacerdotum vocalem, nemo reiicere debet, etiam si precaria verba sint, sed magna cum gratitudine suscipere, sicut grande munus DEI.

Antiluth.

In ser. de surdo & muto.

Stultum est confidere, nos super aliorum opera & fidem, ac dicere quod moniales & Monachi, presbyterique suis canticis, quæ noctu in monasterijs exercent, possint alios homines juvare.

Luth.

Con. Am. Cathari.

3. Hic boantur aut murmurantur horæ Canonicæ, ingenti labore, sic tamen, ut nunquam orentur.

Tam

Antiluth.

Tam ineffabilis gratia in verbo DEI est, ut illud ipsum ore duntaxat & sine attentione, ex obediendi tamen studio prolatum, frugifera & Diaboli cruciatrix oratio consequatur.

In explicatione pater nost.

DE PVRGATORIO.

Cap. 39.

Luth.

NOvi hominem Christianum qui purgatorij patitur aliquando pœnas super terram, brevissimo quidem temporis intervallo, sed tantas ac tam infernales, quantas nec lingva dicere, nec calamo scribere, nec inexpertus credere potest.

In resolu ti. Conclusione. 15.

Antiluth.

Nemo adstringitur ad credendum esse purgatorium, cum de hoc nihil sit in scripturis,

Ad Valden.

Luth.

2 Non est præceptum in scripturis pro mortuis orare

In sermone de divite & Lazaro.

Antiluth.

Desiderium animarum merito omnis iuvat Ecclesia.

Luth.

3 Mihi dubium non est missam pro defunctis celebratam, efficaciorem ac meliorem esse, ad redimendas animas, quàm sunt indulgentiæ per missam quæsitæ.

In resolu cõclu. 19

In sermone de indulgẽtijs.

Antiluth.

Missa pro defunctis nihil valet.

De abrogan. Miss.

Luth.

4 Quod negatis purgatorium, damnatis missas,

Ad Val. de Euch.

 vigi-

vigilias, cœnobia, monasteria, & omnia, etiam, per omnia probo, nec quisquam adstringitur ad credendum esse purgatorium.

Antiluth.

In declar. articu. Firmiter credendum est, & ego scio verum esse quod miseræ animæ ineffabilem pœnam, patiuntur, & nos eas iuvare tenemur orationibus, jejunijs, eleëmosynis & quocunque modo possumus.

Luth.

De abr. Miss. pri. 5 Tutius est totum purgatorium negare, quàm Gregorio in Dialogis credere.

Antiluth.

In dis. Li. Non solum credo sed & certissime scio, purgatorium esse. *Luth.*

In as. ar. 37. 6 Consulo suadeoq, credendum esse purgatorium. *Antiluth.*

Ad Vual. Ideo non est docendum purgatorium, nam judicia DEI sunt occulta, neque à nobis scrutanda. *Luth.*

In dis. Ly. 7 Credo fortiter & ausim dicere purgatorium esse, cum de eo in scripturis mentio fiat, Quemadmodum est illud Matthæi: Non remittitur hoc peccatum neque in hoc neque in futuro sæculo, volens peccata remitti in purgatiorio. Et illud 2. Machabeo: 12. Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis orare, propterea scio purgatorium esse.

Antiluth.

Ad Val. Euch. De purgatorio nihil est in scripturis.

Luth.

De cam. Missæ. 8 Tutiùs fuerit totum purgatorium negare, quam

quàm Gregorio in Dialogis exempla spiritu-um apparentium referenti credere, quod hic sit periculum erroris, illic nullum sit periculum.

Antiluth.

Purgatorium esse inter cætera Gregorius ille magnus, in libris Dialogorum probat. *In resolu*

DE FESTIS.

Cap. 40.

Luth.

COnsulo ut omnia festa, præter diem Dominicam aboleantur. *Ad nobili Germ.*

Antiluth.

Tertium præceptum docet dies festos celebrare, idcirco festa Apostolorum, Beatæ Virginis & cætera obseruari debent. *In lib. vis.*

Luth.

Sub animarum nostrarum periculo debemus abolere omnia festa. *In lib. de Ind. Christ. cōgret.*

Antiluth.

Nec debent Parochi contentionem inire, si unus diem festum celebret, alter verò non, sed unusquisque teneat consuetudinem suam pacificè, ita tamen, vt non omnia festa aboleantur. *In li. vis.*

Luth.

Obseruatio festorum dierum est duodecima facies Antichristi, Cum omnes dies liberi sint, & ad laborandum & ad feriandum. *In lib. cont. Anaba.*

Antiluth.

Quinque sunt facienda pro sanctificatione festi, ut colligitur ex decretis scilicet, Audire missam, audire verbum DEI, orare, offerre, *De x. prae. Cap. 5.*

ſecundùm aliquos & confiteri de peccatis, & in his omnibus quiſque ſequi debet, non ſuum judicium, non ſuam opinionem, ſed authoritatem Eccleſiæ ad captivandum ſenſum in obſequium Chriſti, quia ſcriptum eſt: ſtultus eſt qui confidit in corde ſuo.

Luth,

In ſer. de Moſe. 4 Sabbati & aliorum obſeruatio feſtorum, non ad nos, ſed ad Iudæos pertinet.

Antiluth.

In lib. de bo. operib. Vt nos in Eccleſia in diebus feſtis convenimus, videre miſſam, audire verbum DEI, ac unanimiter in commune orare, licet non ſit ulterius præceptum à DEO Chriſtianiſmo, Neceſſarium tamen eſt illud, ac ab Eccleſia Chriſti ordinatum.

De LIBERO ARBITRIO.

Cap. 41.

Luth.

In expli. pater noſter OHe nunquid non Deus nobis arbitrium liberæ voluntatis contulit?

Antiluth.

In aſſert. art. 35. Liberum arbitrium poſt peccatum res eſt de ſolo Titulo.

Luth.

In expli. pater noſter. 2 Revera Deus nobis liberam voluntatem contulit, Cur tu illam liberam non permittis? cum enim tu illâ ad tuum abuteris libitum, non eſt libera, ſed magis ſervitutem apud te ſervit.

Anti-

Antiluth.

Nulli eſt in manu ſua quidpiam cogitare mali aut boni. *In aſ. art. 36.*

Luth.

3. Homo habet ex propria virtute liberum arbitriū, ad faciendum vel omittendum opera externa. *In lib. Vi.*

Antiluth.

Quomodo poteſt homo ſe ad bonum præparare, cum nec in poteſtate ſit, ſuas vias malas facere, nam etiam mala opera in impijs Deus operatur. *In aſ. ar. 36.*

Luth.

4. Liberum arbitrium habemus, & Deum orare debemus, non ſolùm pro æternis bonis, ſed etiam pro neceſſitatibus noſtris. *In li. Viſ.*

Antiluth.

Liberum arbitrium figmentum eſt in rebus, ſeu Titulus ſine re. Quia nulli eſt in manu ſua cogitare quidpiam mali aut boni, ſed omnia (ut Wiklevi articulus Conſtantiæ damnatus, recte docet) de neceſſitate abſoluta eveniunt. *In aſ. art. 26.*

De LIBERTATE CHRISTIANA.

Cap. 42.

Luth.

SI quis te cogere vult, quemadmodum fecit Papa in legibus ſuis, ne comedas carnes feriâ ſextâ, & in quadrageſima, Hic nullo pacto ſinas te à libertate, in quam te Deus poſuit extrudi. *In ſer. ſe. 4. poſt invocan.*

Antiluth.

Alij putant chriſtianam libertatem nihil aliud eſſe, quàm comedere, non confiteri, non jejunare & cæt: Ejuſmodi ineptas opiniones vulgi, debent prædicatores increpare. *In viſita, Saxonic.*

Luth.

2. Obſecro quo jure Papa ſuper nos conſtituit leges *In cap. Baaby.*

ges? Quis dedit ei potestatem captivandæ hujus nostræ libertatis, per Baptismum nobis donatæ.

Antiluth.

In ref. co. 69. Authoritati Papali in omnibus cum reverentia cedendum est, qui enim potestati resistit, Dei ordinationi resistit.

Luth.

De cap. Baby. 3. Christianis, nihil ulla in re potest imponi legum, sive ab hominibus, sive ab Angelis, nisi quantum volunt, liberi enim sumus ab omnibus.

Antiluth.

De resol. concl. 69. Etsi Papa ferret injustas Sententias, timendæ tamen sunt, & ut Carolus Imperator, quidquid imposuerit, quantumvis grave sit, ferendum tamen est.

De ABSOLVTA NECESSITATE Cap. 43.

Luth.

In ref. con. 72. SIc hodie habet vidua Christi sancta Ecclesia, ut omnibus omnia liceant, & præsertim Theologis scholasticis, inter quos est invenire, qui veras etiam sententias damnent, nulla causa, nisi quia ex suo fonte non prodierunt, ipsis tamen licet asserere, quòd Devs peccatum facit, Deus est causa mali, culpæ, & multa alia.

Antiluth.

In ref. art. 36. Omnia ex absoluta necessitate eveniunt, adeo quod etiam Deus non solum est causa peccati permissivè, sed etiam effectivè. *Luth.*

De ser. arb. 2. Si præscivit Deus Judam fore proditorem necessario Judas fiebat proditor, nec erat in manu Judæ, aut ullius creaturæ aliter facere aut voluntatem mutare,, licet id fecerit volendo non coactus sed velle illud erat opus Dei.

Anti-

Antiluth.

Hæc si quis Poëta aut Orator, ut vocant aut Græce, Latine, Hæbraice doctus, diceret, omnium Hæreticorum pessimus fuerit.

In resol. con. lxxij.

Luth.

3. Omnia necessitate absoluta eveniunt, quod & Poëta voluit quando dixit, certâ stant omnia lege.

In as. art. 36.

Antiluth.

Homo habet ex propria virtute liberum arbitrium ad faciendum vel omittendum opera externa, per legem & pœnam adactus.

In visita.

De SEDITIONIBVS.

Cap, 44.

Luth.

AD quartum præceptum pertinet obedire potestatibus, idcirco puniendi sunt omnes seditiosi.

In visita.

Antiluth.

O Principes, scitote sic procurare Deum, ut subditi nec possint, nec velint, nec debeant vestram tyrannidem diutius ferre.

In lib. 1. con- rusticos.

Luth.

2. Nos igitur tumultus velle sedari, aliud nihil est quam verbum Dei velle tollere & prohibere, Sermo enim Dei venit mutaturus orbem, quoties venit, Adde, etiam gentiles scriptores testantur mutationes rerum, sine motu & tumultu. imo sine sanguine fieri non posse, Jam hæc est præsenti animo expectare, & ferre sicut Christus dicit: Cum audieritis prælia & rumores præliorum nolite terreri, oportet primum hæc fieri &c. Et ego nisi istos tumultus viderem, verbum Dei in mundo non esse dicerem, nunc cum video gaudeo ex animo, & contemno.

De ser. arbi.

Antiluth.

Ex Deo non sunt, nec esse poterunt rustici, qui tales ac tantos tumultus faciunt; igitur talium tumultuum

Li. 2. cont. ru. stic.

tuum authores rustici omnes occidendi sunt, & quod nec unus remaneat.

De EPISCOPIS.

Cap. 45.

De x. præc.

MAxime sunt honorandi Episcopi, qui sunt loco Apostolorum. *Antiluth.*

De abr. Miss.

Episcopi sunt Apostoli Antichristi.

Luth.

Serm. de Excōm.

2. Prudentissimè oportet nos agere, ne propter personas, potestatem Ecclesiæ pariter vilipendamus, imo propter potestatem etiam vilissimas personas honoremus. *Antiluth.*

Cont. fals. nomina. stat. eccl.

Episcopi sunt indoctæ larvæ Papales, quæ non solùm ad veritatem opprimendam creatæ sunt, sicut, & creator ipsorum, ideo deleri debet Episcoporum regimen & devastari Episcopatus.

De ACADEMIIS.

Cap. 45.

Luth.

De inst. scholis.

SUnt intervertenda Gymnasia, fovendæque Academiæ. *Antiluth.*

De abr. Missa.

Gymnasia sunt Sodoma & Gomorra, ideo ipsa satanæ lupanaria. *Luth.*

In vi. Sa.

2. Prædicatores exhortari debent populum, ut filios suos tradant scholis, ut educentur homines idonei. Tum ad docendum in Ecclesijs, Tum ad gubernandum. *Antiluth.*

Con. am. Cathari.

Ad Evangelium funditùs extinguendum videtur, satanas nec astutius nec efficaciùs invenire commentū, quàm universitatum erigendarum.

De VOTIS MONASTICIS.

Cap. 47.

Luth.

VOta omnibus modis servanda & solvenda stant.

Antiluth.

Utinam vota omnia, scilicet religionis ac peregrinationis, ac omnium operum, sublata essent.

Luth.

2. Vota monastica sunt impia, gentilia, Judaica, sacrilega, mendacia, erronea, dæmoniaca, Hypocritica, Apostatica, etiam Sanctorum exemplis adversaria, quare cum fiducia revocanda & deserenda sunt etiam si pia & seria opinione emissa fuerint.

Antiluth.

Religiosi debent suam obedientiam servare, etiam si possent alibi martyrio coronari.

Luth.

3. Cælibatus, virginitas, aureolæ nugæ sunt & mera satanæ mendacia.

Antiluth.

Sacrilegium ubi jam non tantum castitas polluitur, sed etiam quæ Deo soli fuit oblata tollitur & sanctum prophanatur.

Luth.

4. Cupio eradicata, extincta, & obolita esse universa monasteria, quæ utinam Dominus igne & sulphure cœlesti ad exemplum Sodomæ & Gomorræ demergat, adeo ut ne memoria quidem illorum super sit, neque enim satisfuerit illis anathema imprecari.

Antiluth.

Sacerdotes & monastici, missam quotidie celebrant omni hora orant, seque in verbo Dei exercent, studendo

In lib. de præceptis.

In lib. Captivi.

De vot. manasti.

In resolu. conc. 1.

De vot. monasti.

De x. præc. Cap. vi.

De vot. monasti.

De bon. operib. adduc. Sax.

dendo, legendo, audiendo, ideo & præ alijs privilegium habent à laboribus exempti, censibus donati, omnemque diem feriatum agunt.

Luth.

De x. prec. 5. In religiosis gravissimum est peccatum, violare castitatem, quia sponte sese consecraverunt Domino, & sese subtrahunt rursum.

Antiluth.

Con. Am. Cathari. Decima facies Antichristi est, insignis ille cœlibatus & monasticæ castitatis multitudo, planè Angelica facies, sed diabolica res.

De BONIS OPERIBVS.

Cap. 48.

Luth.

In asfert. ar. XXXII. OPera bona sunt peccata mortalia secundum justitiam Dei.

Antiluth.

In Decl. quorumdam. Bona opera extra gratiam facta, remunerat Deus temporaliter divitijs, honore, gaudio &c.

Luth.

De vot. mod. Opus non potest doceri, nisi lædas fidem, cum fides & opera in te justificationis extremè adversentur, ita fit ut doctrina operum necessario sit doctrina dæmoniorum & discessio à fide.

Antiluth.

In serm. de pœniten. Omni studio debemus de peccatis dolere, confiteri, ac bona opera facere.

Luth.

De visitat. 3. Bona opera non ideo solum bona dicuntur, quod in bonum proximi fiunt, ob id ea præcepit Dominus, & bene placent Deo, neque placent Deo, qui ea non faciunt.

Anti-

Antiluth.

Quanto sceleratiores, tanto citius Deus gratiam infundit, si autem adornes te ut cattus bonis operibus, ut te Deus acceptet, nihil efficies. *In serm. de pisc. Petri.*

Luth.

4. Opera bona in gratia Dei facta, vitam consequuntur æternam. *In Artic. art. 29*

Antiluth.

Opus bonum etiam optimè factum, est veniale peccatum secundum misericordiam Dei, sed mortale peccatum secundum judicium Dei. *In Asser. art. 32.*

Luth.

5. Multi clamant bona opera nihil promereri, at multo satius esset, ut impellerentur homines ad bona opera facienda. *In lib. Visita.*

Antiluth.

Opera nihil omnino ad salutem aut justitiam valent. *In ser. re. undecim.*

Luth:

6 Nec aliâ viâ potest homo cum Deo aut convenire aut agere quàm per fidem, opera ille nihil curat. *De cap. Bab.*

Antiluth:

Multi dum audiêrunt, ut solummodo credatur, omnia ipsis remitti peccata, fingunt sibi fidem, & putant se mundos esse, per quod fiunt temerarij & securi, hujusmodi autem carnalis securitas pejor est cum errore, quàm ante hoc tempus unquàm fuit. *In lib. Visita.*

Luth:

7. Opera bona inveniuntur esse peccata. *De sacram. pœniten.*

Antiluth.

Opera bona prætermitti non debent. *In Psal.*

Luth.

8. Bona opera non salvant nos, & peccata non damnant nos.

Antiluth.

In Asser. art. 31. Tam peccata quàm bona opera damnant nos, sola gratia salvat.

Luth.

In lib. an. stat9 milit. sit sal. &c. 9. Justus in omni opere bono peccat.

Antiluth:

Deus gratias ago tibi, quoniam me in tali opere constitueris, in quo sum certus, quòd peccatum non sit, sed opus rectum, & tuæ voluntati beneplacita obedientia. *Luth.*

10. Ex libertate Evangelica sublata sunt universa hominum mandata, & quidquid in externis cæremonijs observari potest, ut sunt omnes cibi, omnes personæ, omnes vestes, omnes gestus, omnia loca, vasa, dies, ut ea liceat servare vel non servare quamdiu, ubi, quomodo, quando & quoties placuerit.

Antiluth.

In serm. de Indul. Præcepta nobis à Deo ideo tradita sunt, ut per ea mereamur, cúm igitur nullum sit præceptum de redimendis pro animabus indulgentijs, melius est citra certiora & meritoria permanere, per bona opera pro eis orare, quàm indulgentias redimere.

De CONCILIIS GENERALIBVS.

Cap. 49.

Luth:

De cap. Babyl. SÆpius erraverunt Concilia, præsertim Constantiense, quod omnium impiissimè erravit.

Antiluth.

In serm. attend. à fal. prophet. Ecclesia errare non potest.

Luth.

2. Sæpè nullus vir in Concilio est, qui divinum spiritum vel modicum olfecerit, sicut con-

contigit in Nicæno Concilio, ubi de uxoribus Sacerdotum agebatur.

Antiluth.

Concilijs nihil derogo, sed omnium Sacratissimum fuit Nicænum. *In disput. Lips.*

Luth.

3. Non aliquos, sed omnes articulos Ioannis Huss Constantiæ esse damnatos dico ab Antichristo & suis Apostolis in Synagoga Satanæ ex sceleratissimis Sophistis congregata. *In Asser. art. 30.*

Antiluth:

O quantis diris & furiis in me agerent isti Stolpenses, si ego tam blasphemo & impio dogmate statuissem, non licere loqui de potestate Conciliorum. *Con. schem. Stolpen.*

De BOHEMIS.

Cap. 50.

Luth.

GRavissimè peccavêre Bohemi quòd ab Ecclesia Romana discesserunt, etiamsi stet pro eis Evangelium. *De potestate Papæ.*

Antiluth.

Non sunt Hæretici neque Schismatici Bohemi, aut Græci quod Evangelio nituntur, sed vos Romani estis Hæretici & impij Schismatici. *In cap. Babyl.*

Luth.

2. Bohemorũ dissidiũ à Romana Ecclesia nulla potest excusatione defendi, quando sit impiũ & Christi, omnibus legibus contrarium, quia contra charitatẽ, in qua omnes leges summantur, perstat. *In com. ad Gal. cap. 6.*

Antiluth.

Bohemi sub utraq; specie communicantes, non *In Asser. art. 16.*

non ſunt neque Schiſmatici neque Hæretici, ſed Chriſtianiſſimi & Evangeliciſſimi, quos oro & obteſtor in Domino, ut in ea ſententia firmiter permaneant.

Luth:

In diſp. 3. Nunquid mihi placuit, neque in æternū placebit, quodcunque Schiſma iniquè faciunt Bohemi, quòd ſe authoritate propria ſeparant à veſtra unitate.

Antiluth.

Ad Sen. Pragen. Quanto juſtius feceritis, ſi tantum vos à Papa ſeparaveritis, ut nec odorem nominis ſui peſtiferum, quoad fieri poteſt, ſentiatis.

De CERTITVDINE SALVTIS. *Cap.* 51.

Luth:

De X. præcep. INcertum eſt homini, num ſit in ſtatu ſalutis, nec ne.

Antiluth.

In epiſt. ad Gal. Fabula eſt Scholaſticorum, aſſerere incertum eſſe, num ſit homo in ſtatu ſalutis, nec ne.

Luth.

In epiſt. ad Gal. 2. Omnium peſſimè docent Theologi, dicentes nos neſcire, an ſimus in charitate, vel non.

Antiluth.

Con. Ambroſ. Cather. Quamcunque dederis Eccleſiam, incertum eſt, an ſit ſub peccatis & ſub portis inferi.

De

De CONCVPISCENTIA.

Cap. 52.

Luth.

SIne dubio concupiſcentia eſt peccatum, authore Paulo. *In Aſſer. art. 2.*

Antiluth.

Sicut concupiſcentia in homine non eſt peccatum, ſed conſenſus in concupiſcentiam. *In Pſal. 4.*

Luth.

2. Ultima duo ſunt præcepta maxima, quæ ſola Apoſtolus ad Roman. adducit, dicens, non concupiſces. *De X. præcep.*

Antiluth.

Peccata contra duo ultima præcepta, à confeſſione ſunt prorſus excludenda, quia magis rationem affectionum & paſſionum, habent quàm peccatorum. *In Aſſr. art. 2.*

Luth.

3. Peccata contra duo ultima præcepta ſunt clariſſima. *De X. præcep.*

Antiluth.

Peccata contra duo ultima præcepta non habent rationem peccatorum. *De ratione confiten.*

Luth.

Conceptio MARIÆ, piè creditur ſine Originali peccato facta eſſe: in primo momento cùm vivere incepit, omnis peccati expers erat. *Serm. de Concept. B. V.*

Antiluth. Poſtquàm in plenam hæreſim delapſus eſt, dicere non puduit.

Nullum feſtum magis odi, quàm Feſtum Cõceptionis, & Corporis Chriſti. *Andr. Coppenſtein. lib. 1. cap. 10.*

Ad ANTILOGIARUM Lectorem Catholicum.

JAm desine amplius mirari Catholice Lector, quòd Lutheranum vulgus tam varium sit, vanum, & nusquam sibi constans, adeò ut si sexcentos des Lutheranos, totidem apud eos invenias in fide Sectas. Nihil inquam, miri hoc est. Probè enim ita sequitur magistrum & doctorem suum Lutherum, cujus inæqualis & monstrosa varietas facilè quodvis Indicum superat monstrum. Qualis ergo Magister, tales sunt Scholares, & qualis Doctor, tales discipuli. Nec mirum. Sola enim Catholica Ecclesia, vera hæc & solida basis est, à qua si vel ungvem latum recesseris, facilè in devia mille deflectes. Accipe igitur jam has Lutheri Antilogias, quæ si tibi arriserint propediem alias dabo, his longe plures, criminum Carolstadij, Zvinglij, Oecolampadij. Melanthonis, Catabaptistarum, Pneumaticorum, & id genus aliorum novorum Pseudoprophetarum, videlicet; quomodò mirabili & confusissimô bellô alius contra alium pugnet. Et interim quivis contra seipsum, ut visurus sis mare quoddam, infinitis penè antilogiarum monstris fluctuans & turbidum. Interim benè vale mi Christiane, & pestes has vitato, neque te à Catholica Ecclesia, unica constantis veritatis anchora divelli unquam patere.

COLLO-

COLLOQUIUM MENSALE
Duorum Catholicorum cum duobus Lutheranis, habitum in Festo Sanctæ CATHARINÆ Virginis & Martyris,
Anno 1724.

UNus Catholicus. Magnificavit Deus hodiernam Sanctam suam, quæ non solùm gentiles Sapientes, verbis & Sapientiâ sibi Divinitùs infusâ, Christo lucrata est: Sed dum in sua pretiosa morte jam verba fundere non posset, factis præconia Fidei Christianæ prædicavit etiam; nam percussa gladiô, ex collo lac fundens mirabiliter pro sanguine, fidem, pro qua passa est, multis adstantibus persvasit.

Alter Catholicus. Christus suam Ecclesiam in universo mundo plantando, tantis ipsam prodigijs irrigavit; Sed nec modò similium gratiarũ copiâ ipsam fovere dedignatur; ego enim ipse indignus peccator, in mea persona sum expertus grande miraculum, semel in gravi infirmitate à desperantibus medicis derelictus, contra expectationem omnem naturalem, resanatus prodigiosè & integrè, factô certô votô & recursu ad Deum, per Sanctorum intercessionem.

Alter Catholicus. Frater in noſtra Catholica Eccleſia hanc miraculorum frequentiam continuò adeò ſemper radiare & abundare, ut vix inveniatur Catholicus, qui ad Sanctorum partim aliquam miraculoſam Imaginem, partim aliquod ſepulchrum aut interceſſionem, non ſit expertus vel in ſua, vel in alia ubi notâ perſonâ aliquam extraordinariam gratiam & miraculum. Ego vilis homo, in meis gravibus neceſſitatibus & periculis mortis pluries hanc Divinæ Potentiæ aſſecutus ſum gratiam: Inter cætera ſemel voti causâ pergebam, equitans ſolus ad miraculoſam Deiparæ Imaginem apud Dominicanos in Sancto monte Roſariano exiſtentẽ, quô in itinere, caſu aliquô ex equo me cecidiſſe contigit, uno meo pede inhærente & firmiter infixô in ſtapedam. Equus erat ille indomitus juvenis, & protunc vix ante Septimanam ex armento ad equitationem aſſumptus & applicatus. Omni, quo poterat impetu currebat per campos ſpinis, tribulis, truncis, & ſaxis impletos, me ſic irretitum, & unô pede pendentem trahendo; in his tantis, & tot proximis periculis morti eſſentialibus verſabar, quaſi per totam horam tractus ab inſolente illo equô; invocatô tamen auxiliô Deiparæ poſtquàm pedem ex ſtapeda & ſimul ex calceo nu-

dum

dum extraxerim, mirô modò me inveni illæſum, intactum, & ſanum. In alijs etiam hominibus continuò experior miracula; & placet commemorare publicum & toti mundo palpabile prodigiũ, quo pro moderno angulari lapide, & fundamẽtô noſtræ Eccleſiæ ſervatus eſt incolumis, modernus Summus Pontifex BENEDICTUS XIII. * dum tempore horribilis terræ motûs Beneventani, in corde terræ ruinis proprij Palatij conſepultus, ex Armario Imaginibus S. Philippi Nerij mirabiliter egreſſis ſolùm circumdatus, ope ejusdem Sancti ad hanc diem Superſtes, Orbem Catholicum beat felici Regimine. Aſt, utquid ſub ſerenum meridiem, ſolem indicare? attamen noſtra fides & Eccleſia, ſi etiam careret modernis miraculis, quia nihilominùs eadem eſt, quæ ab Apoſtolicis & à pluribus Sanctis Primitivæ Eccleſiæ, quaſi infinitis prodigijs firmata eſt, ſufficientibus munita præſidijs cenſetur eſſe. Domini Lutherani pro ſua novella Fide & Eccleſia roborandâ indigent recentibus ſignis, ut audacter omni petenti rationem ipſorũ novitatis dicere queant illud Lucæ 7. *Cæci vidẽt. claudi ambulãt, leproſi mũdãtur, ſurdi audiũt, mortui reſurgũt.*

Lutheranus. Atqui noſtra Eccleſia & fides eſt Apo-

* *Beneventi in terræ motu, mirabiliter ſervatur Archiepiſcopus, poſtea factus Pontifex* BENEDICTVS XIII. *ope S. Philippi Nerij.*

Apoſtolorum, & eadem cum primitiva. Igitur contenta eſt argumentis antiquorum miraculorum.

CATHOLICUS. Omiſſis alijs ſignis veræ Eccleſiæ, pro interim conſiderandum eſt, quòd illa antiqua Chriſti Eccleſia incipiendo à Chriſto, ſemper habuerit, ſicut noſtra modò habet, Supremi Paſtoratûs authoritatẽ, veſtra autẽ Eccleſia moderna, non ſolùm caret iſtâ authoritate, ſed etiã pro majori documento, & inſolubiliori argumẽtô hujus carentiæ impugnat neceſſitatẽ talis authoritatis, ut ſe oſtendat acephalam & non Symbolam, cum illa antiqua Chriſti verâ Eccleſiâ.

Lutheranus. Veſtra Eccleſia habuit illam dignitatem & authoritatem, ſed incertum eſt & ſemper erat, an ipſam habuerit in Eccleſia Orientali vel Occidentali; contendentibus etiam Græcis penes ipſos ſolos fuiſſe Summi ſacerdotij & Vicariatûs privilegium Chriſti.

Catholicus. Igitur in illa primitiva Eccleſia verâ, erat tanta ſumma neceſſitas & alicubi realis exiſtẽtia viſibilis Capitis Eccleſiæ, ut Orientalis & Occidentalis Eccleſia gravem excitaverit contentionem, unaquâq; prætendente, & de rigore Juſtitiæ potioris, ſibi arrogante Summum Pontificem; nam vix ſtulti contendunt de lana caprina, ſeu de rebus nõ neceſſarijs, & inutilibus: quis ſanè prudens con-

tentiosè prætendet ſibi adeſſe potioritatem Juris, ad habenda in capite cornua ?

Lutheranus. Sicut in primitiva Eccleſia, ſolus erat Chriſtus inviſibile Supremum Caput, ſufficiēs ad ipſam gubernandam ; ita & modò nobis ſufficit ſolus ad hoc totum præſtandum Chriſtus.

Catholicus. Rectè, & ùt ſolet acutè, Author Theologiæ mentis & cordis, in commendatione locorum Theologicorum, Speculatione ſecundâ ſcribit : *Hi ſunt & fuêre ſemper rebellionis gradus, ut primùm Monarchiæ Spiritualis Romano Antiſtiti eximiæ, jugo ſvavi excuſsô, in deturbationem terreni & temporalis Principatûs irruat, Superioris omnis impatiens, fiatq; ſimul exlex, & exrex.* Siquidem non magis Chriſtus eſt inviſibile Caput Eccleſiæ, quàm ſit inviſibilis Dominus magnus, & Rex, imò Sanctificator & Doctor. Igitur ſi verus eſt veſter prætextus, ſuperflui ſunt viſibiles Reges & Domini, viſibilia Sacramenta Animas Sanctificantia, & viſibiles Doctores, ſive prædicantij veſtri. Saniùs ergo credimus Catholici quod ſicut ut homines, modô humanô & ſenſibili gubernentur in Civilibus, data eſt viſibilis Poteſtas à Deo; & ut ſit fides ex auditu, dati ſunt Doctores & Prædicatores viſibiles ; ut qui homines ex ſenſibilibus & cogni-

cognitis, aſſurgant ad ſpiritualia & incognita; inſtituta ſunt Sacramenta viſibilia, ſeu ſigna inviſibilis gratiæ nos ſanctificantis. Ita quamvis Chriſtus ſit inviſibile Caput, quia tamen Eccleſia eſt viſibilis, & continens in unitate fidei Oves viſibiles, debet dari unus Supremus viſibilis Paſtor, in materijs fidei & morum ad ſalutem neceſſarijs, paſcens ſubditum totum mundum verbô doctrinæ ſupernaturalis unius & ejusdem. Vel enim ſicut datur in materijs & punctis veritatum naturaliũ, ita etiam in quæſtionibus fidei & bonorum morum ad ſalutem neceſſarijs, dabilis eſt Controverſia & contentio vel non dabilis? Si non dabilis, cur nobiſcum contenditis & renuitis, ut inter vos & nos ſit unus Paſtor & unum Ovile? & cur tanta ſunt ſchiſmata & tantæ Hæreſes? Si dabilis, ne litigiorum nullus ſit finis, vel proviſus eſt à Chriſto in Eccleſia certus Iudex, validè & legitimè dirimens lites in his difficultatibus vel non proviſus? Si non proviſus? pejor eſt Eccleſiæ noſtræ totius ſtatus, quàm ſtatus unius ſutoris validè dirimentis ſuæ familiæ contentiones ſine recurſu ad aliquem inviſibilem ſolum arbitrum; & imperfectior Chriſtianorum Eccleſia, quam erat olim Synagoga Judæorum, cui Deutor: 7. dici-

tur,

tur, *Si difficilè & ambiguum apud te judicium esse perspexeris & judicium intra portas tuas videris verba variari; surge & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesq; ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Iudicem qui fuerit illô tempore, quæresq; ab eis, qui indicabunt tibi judicij veritatem, & facies quodcunq; dixerint, qui præsunt locô quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, sequerisq; sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neq; ad sinistram.* Si provisus ille Judex, quis ille est, & ubi est, certè non alius nisi Romanus Pontifex.

Alter Catholicus. Varias peragravi Regiones Acatholicorum, & semper expertus sum inter ipsos esse tot sensus & fides, quot Capita, tot schismata, quot subjecta, & tot hæreses, quot homines, quia non est inter ipsos unus Supremus visibilis Judex, qui ipsos reduceret ad unitatem.

Alter Catholicus. Ego, sicut multa, ita & hæc apud Acatholicos laudo, & necessarium tantùm defectum uniùs fidei reputo. Sicut enim supposito, quòd ipsi Sanctos Lutheranos non habeant, rectè faciunt, horum intercessionem non implorantes; & sicut suorum mortuorum purgatorium nõ habendo, justè pro ipsis non orant, sed citant il-

lud:

lud: *Ex inferno nulla redemptio*; ac ſicut optimè faciunt abſtinendo à celebratione Proceſſionum & Peregrinationum ſacrarum, dum careant rebus & locis ſacris; ita jure merito ſe gerunt in tot ſectas ſinguli diviſi, non obediendo voci ſuorum prædicantium, quia pariter hi non obediunt uni doctrinæ unius Supremi Paſtoris & Doctoris; & quale jus prædicantij ſibi arrogant abundandi in proprio cujuslibet ſenſu & interpretatione ſacræ Scripturæ: ita reliquis ovibus ſuis eandem libertatem conſcientiarum attribuere debent.

Lutheranus. Suo tempore Apoſtoli in quæſtionibus fidei non recurrebant pro definitione ad unum, ſed quisq; in ſua Regione prædicabat, & populos docebat; non enim tunc erat uſus Poſtarum pro commodis correſpondentijs literalibus cū uno Supremo Paſtore, ſicut modò in lite de Ritibus Sinenſibus; facilè erat per Literas Jeſuitis & Dominicanis pro ſententia recurrere ad Papam.

Catholicus. Quid ſinguli Apoſtoli prædicabāt in ſingulis Regionibus? certè prædicabant omnes eundem Chriſti veri Meſſiæ adventum, quem viderant, & eaſdem ſolas doctrinas Chriſti divulgabant, quas à Chriſto ſuo Paſtore & Magiſtro audierant. Igitur quantùm ad hæc omnia, ſuper-

fluus ipsis erat recursus per literas ad unum. Correspondentiarum autem literalium Apostolicus usus probatur per ipsasmet Apostolorum Epistolas in Canone sacræ scripturæ positas, licet non per postam ordinariam, aliô tamen modô transmissas. In aliquibus etiam dubijs Apostolorum recursus ad unum, claret Actorum 15. ubi factâ magnâ conquisitione Conventui Apostolorum & senioribus, Petrus postquàm dedisset definitionem, tacuit omnis multitudo, omnesq; Apostoli & omnes congregati fideles Regulam traditam à S. Petro inviolabiliter observârunt. Eandem Praxim semper nostra observat Ecclesia, ita ut etiam in puncto Rituum Sinensium, ne ad diem Judicij contẽtiones perseverarent, post judicium Successoris Petri omnes Catholici idem jam omnes sapiunt, & in eadem permanẽt sententia, contenti voce illius, cui dictum est: *pasce Oves meas, pasce Agnos meos*, pastu doctrinæ non fallibilis, sed infallibilis & salutaris.

Lutheranus. Securior noster recursus in dubijs fidei & morum ad Verbum Dei infallibile: loquẽs per scripturas, quàm ad aliquem hominem fallibiliter definientem.

Catholicus. Verbi Dei per scripturas loquen-

tis vel dantur diversæ oppositæ & falsæ intelligentiæ vel non dantur? Si non dantur? cur non sumus in eodem sensu, & in eadem intelligentia scripturarum omnes legentes Verbum Dei? Si dantur? vel habet aliquis ex Jure & institutione Christi, potioritatem & Authoritatem declarandi & proponendi intelligentiam veram scripturarum: vel nullus habet talem Authoritatem, & Juris potioritatem? Si nullus habet hanc Authoritatem à Christo, Deus per scripturas non est Author pacis credentium, sed est Coriphæus omnis inquietudinis & contentionis. Si aliquis habet illam Authoritatem, vos non potestis prætendere ipsam Luthero infuisse, aut vobis inesse, quia nulli signo hoc vestrum Privilegium speciale vobis solis attribuere potestis. Igitur debetis fateri tantùm Privilegium remanere, in possessione continua nostrorum Summorum Pontificum, illi succendentium, cui dictum est: *non deficiet Fides tua.*

Lutheranus. Etiam vester Papa hoc Authoritatis infallibilis Privilegiô privatus supponitur: nam negari non potest fuisse aliquoties plures simul Papas, illôque Privilegiô caruisse, ac illud in posteros suos Successores non transfudisse.

Catholicus. Simultas Paparum plurium, vel

fuit

fuit ea, inqua unus erat verus Papa & Pastor, cæteri autem erant Antipapæ, fures, & non Pastores; vel in qua erant omnes Pseudo-Papæ & Prædones? in primo casu, verus Papa, & tota Ecclesia cæteros tanquàm lupos venientes in vestimentis ovium damnavit; in secundo casu in omnibus Prædonibus Ecclesia Privilegium summi Sacerdotij non recognovit: sed directa & gubernata à Spiritu S., sollicita de providendo sibi legitimo visibili Capite, unum sibi aliquem verũ Successorem Petri elegit, ad instar modi eligendi S. Mathiam in locum Judæ; quem sic visibiliter electum & nominatum Successorem Petri, Christus in visibili potestatis universalis collectione omnibus Fidelibus præposuit, unum Præpositum, & Pastorem Supremum; sicut S. Mathiam visibilibus sortibus designatum ad Apostolatûs apicem elevavit, propter quem modum conferendi summum Pontificatum, quamvis illi Pseudo-Papæ destituti erant privilegiô Summi Pastoratûs, illudq; in posteros transfundere non poterant, inquantum talis Pastoratus non carnali propagatione, nec hæreditariâ successione, nec conformiter ad illam Regulam: *nemo dat quod non habet*, ad successores transit: Attamen legitima Electione Summorum

(b2) Ponti-

Pontificum, & Christi promissione, conservante, suam Ecclesiam, usq; ad finem mundi, perfectâ & unam, cum una Fide, & cum uno Baptismo, Vicariatûs Christi integer in tota Ecclesia perseverat.

Alter Catholicus. Si nostrûm plurium simultas Paparum amisit illa Privilegia Vicariatûs Christi: cur vos Lutherani non incidentes in reatum & defectum talis pluralitatis, adeò necessaria Privilegia non conservastis apud vos? an non scitis, quòd *translatô Sacerdotiô, necesse est ut & legis translatio fiat?* cur igitur tanto periculo exposuistis Ecclesiam Christi? dum videntes per ipsam amitti summum Sacerdotium, & ipsam in alium statum degenerare, non retinuistis ejus antiquam integritatem & perfectionem; cur tantæ necessitati succurrere neglexistis? Providentia in hoc Divina; aliàs firmiores essetis.

Alter Catholicus. Si in hoc Regno Electivo, darentur modò simul plures Reges, unus legitimus, & alij illegitimi, aut etiam omnes illegitimi; per utrumq; casum, an Regnum amitteret Authoritatem recognoscendi Regem verum unum, cæteris dethronizatis, aut constituendi unum novum Regem, omnibus illegitimis in exilium actis Regibus? Cur ergo pro casu pluralitatis Paparum, negatis

negatis Ecclesiæ collatam à Christo authoritatem & similia jura eligendi & designandi legitimum Caput Ecclesiæ unum.

Lutheranus. Adeoq; ut omnia inconvenientia evitentur ex pluralitate Paparum, reformavit Ecclesiam Christus per Lutherum.

Catholicus. Pulchra reformatio, tollere ab ovibus omnem Pastorem, ut vagentur cum lupis; ex scholis amovere omnem Magistrum, ex navi relegare omnem Gubernatorem, ex exercitu excludere omnem Ducem; ex alveari apum removere omnem Matrem sive Regem; in homine extingvere omnem mentem. Pariter, potiùs deformatio est, ita reformare Ecclesiam, ut tollatur ex ipsa unum Supremum Caput, centrum unitatis fidei, pacis, & uniformitatis. Nam etiam latronum natura abhorret defectum unius supremi Ductoris; erunt ne prudentiores filij hujus mundi & tenebrarum, filijs lucis?

Alter Catholicus. Reformationem Ecclesiæ Lutheranam etiam si sub aliquo prætextu appetere vellem, à tali appetitu per ipsummet Lutherum vestrum Patriarcham retrahor. Quoniam quotiescunq; Deus Ecclesiam suorum fidelium reformavit, semper verificatum est, non intrare Spiri-

tum Dei in animam malevolam. Et ſic Patriarchæ, Inſtructores, & Duces legis naturæ erant Sanctiſſimi, & bonorum operum monilibus conſpicui; ut patet legenti vitas ipſorum in ſcriptura. Moyſes etiam Legis ſcriptæ promulgator, pietate & bonis operibus nulli ſecundus, per literas demonſtratur. Salvator Noſter IESUS Chriſtus Legis Evangelicæ Inſtitutor, & Apoſtoli Evangelij Promulgatores, quantam vitæ ſanctimoniam obſervabant, ille ignorat qui Machomete ſtupidior & malitioſior eſt. Lutherus autem Chriſtianæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ per tot ſæcula triumphatricis tot hæreſum, ac gaudentis quaſi infinitô Chorô innumeroſorum Sanctorum & Doctorum, prætenſus Reformator, quâ Sanctitate, quibus miraculis ſuam Miſſionem & Jus reformandi indicavit? non diſſimilibus ſanè indicijs, niſi ijs, quibus Machometes ſe Prophetam probavit, nimirum, illud: *vovete & reddite Deo*; calcavit; dum ſua vota Religioſa facta Deo fregit ſacrilegè, & dum ex moniali & caſta (ô miraculum nefandiſſimũ! quod etiam eqvus & mulus quibus non eſt intellectus, patrare poſſet) fecit non Monialem & ſuam Uxorem; Principibus tunc honorum temporalium avidiſſimis bona Eccleſiaſtica appropriavit,

taliq;

talicq; suâ adulatoriâ arte ipsorum corruptissimis genijs placuit ; non considerando , qualiter à tota antiquitate primitivæ Ecclesiæ, à temporibus scilicet pijssimi Imperatoris Constantini Magni, bona Ecclesiæ, sacrosanctè erant semper aucta, non erepta. Quid plura ? ejuravit iste Reformator quòd omnes adstabimus ante Tribunal Christi, ut referat unusquisq; proùt gessit in corpore sive bonum sivè malum ; sed solam fidem ad salutem sufficere pro inviolato articulo statuit; bona opera pro consecutione salutis esse superflua, inanitatem vanitatum & hypocrisim persvasit. Quod majus barbarum dogma , totus infernus potuit excogitare & proponere hominibus ad virtutes proclivibus? læduntur oculi puri has & similes doctrinabus? læduntur oculi puri has & similes doctrinarum Lutheri spurcitias inspiciendo ; Nam Epistolâ 238. inquit ad Melanthonem: *Esto peccator & pecca fortiter, sed fortiùs fide & gaude in Christo, qui victor est peccati, mortis , & mundi ; peccandū est quamdiu hìc sumus , sufficit quod agnovimus per Divitias gloriæ Dei Agnum, qui tollit peccata mundi ; ab hoc non avellet nos peccatum etiamsi millies uno die fornicemur aut occidamus.* De piscatura etiam Petri scribit sic: *Quantò sceleratior es, tantò citiùs Deus gratias infundit:* & addit serm: super

ſuper illud; *Sic Deus dilexit mundum. Ego dico tibi, quia anguſta eſt via, oportet te fieri tenuem, ſi vis per eam tranſire;* ac hanc tenuitatem explicat ſic: *ceterùm qui operibus onerati ſunt, ſicut conchilibus, videmus onuſtos S. Iacobi Peregrinos, ij non poterunt penetrare.* Ad hanc tantam ſollicitudinem Lutheri, circa eradicanda bona opera, ac implatanda omnia ſcelera, contrariam curæ ſcripturam, & omnium tam antiquorum quàm modernorum Catholicorum Paſtorum, & Doctorum invigilantiam, ut bona opera augeantur, vitia autem extingvantur; nihil supereſt dicere, niſi exclamare cum Lactantio Lib. 3. cap. 17. *Archipyrata quisquam vel Latronum Ductor, ſi ſuos ad graſſandum cohortaretur: quô alio ſermone uti poſſet, quàm ut eadem diceret, quæ dixit* (Lutherus)

Epicurus. Si alius homo moribus ab homine non degenerans & dogmatibus, invexiſſet Lutheraniſmum in orbem, poſſem ob aliquem quæſitū colorem ipſi adhærere; ſed dum tanta ac talia Lutherus dixit, ac opere adimplevit, an poſſum prudenter ſuſpicari à tali arbore fructum bonum, Lutheraniſmum eſſe progenitum.

ALTER CATHOLICUS. Si modò aliquis Religioſus, ſicut olim erat Lutherus, deſereret habitum, & ſa-

& sacrilegâ licentiâ in Pseudo-Matrimonium duceret Monialem, Sponsam Christi, Professam Deo statum perpetuæ Virginitatis; Si suis correligiosis persuasisset, ut se imitentur, calices & omnem supellectilem Conventûs & Ecclesiæ dividentes inter se; & si hæc faciens super adderet dogmata fidei & Intelligentias novas Scripturarum antea non auditas; nullo tamen miraculô totum suum factum confirmaret: utrùm vos Lutherani prudenter tantum ac talem Ducem sequi velletis? sed quæ est differentia inter talem in illa hypotesi & Lutherum, ut illum sequamini solum? quod est signum magis legitimum adventûs Lutheri, uti veri Prophetæ?

Lutheranus. Noster Lutherus, sicut homo, docendo & vivendo in pluribus defecit, & plura retractavit: unde ipsum sequimur in ijs quæ non recantavit, sed firmiter tenuit, non autem in alijs.

Catholicus. Igitur Lutherus in substantialibus dogmatibus erat fallibilis, inconstans, errans, & recantans ea quæ falsò asseruerat; ergo & vos Lutheranos cæcus cæcos duxit, omnesq; in foveam eandem casuri estis; & quod signum habetis ea vera esse, quorum ipse Palinodiam non cecinit, & quæ firmiter tenuit? quasi verò & in his ille

 falli

falli & fallere non posset? Quomodò possibile est ex Divina Providentia inter omnia opera circa salutem humanam sollicita, tantum ac talem fallacem Apostolum & Reformatorem esse provisum? an tunc deerant homines, cum Luthero nõ adeo homogenei, sed meliores?

Lutheranus. Est petitio principij, quòd solus Lutherus fuerit fallax in docendo; Papa autem infallibilis sit in definiendo.

CATHOLICUS. Est quoq; in quæstione pura petitio principij, cur secundum vos, & Lutherus & Papa sit fallibilis? tamen primus audiendus non secundus; hoc tamen ex communissimis notioribus Christianorum inter Papam & Lutherum est discrimen: quòd pro infallibilitate Papæ, militat. *Primò* ipsa natura Ecclesiæ Christi, quæ est *columna & firmamentum veritatis* & salutaris infallibilitatis, taliter ut *qui ipsam non audierit, sit tanquã Ethnicus & publicanus*, seu pugnans cum infallibilitate & veritate, quæ utraq; dos debet in capite & Supremo Pastore relucere, ne sit superius & excellentius ovile suô Pastore.

Secundò nõ dicitur *Agnis & Ovibus pascite* Petrũ Pastorem meum, sed dicitur Petro: *pasce Agnos meos, pasce Oves meas*; promittiturq; ipsi soli: *non deficiet fides tua*; & injungitur: *Confirma Fratres tuos;*

cùm autem modò S. Petrus in persona propria superstes non sit, & nihilominùs cùm etiam modò fides non defectura sit; Fratres confirmandi, Oves & Agni pascendi sint; debet esse Petrus, in Successoribus assecutis ejus Primatûs Privilegia; pro Lutheri autem infallibilitate nihil militat, nisi illud: *attendite à falsis Prophetis.*

Alter Catholicus. Dicite, an nos Catholici credentes in Christum simus salvandi vel damnandi, audientes Papam? si damnandi? Ergo & vobis sola fides in Christum non sufficit ad salutem; Si salvandi? igitur & vos nobiscum in nostra Ecclesia essetis in statu salutis, nisi dicatis, quòd vestra Obedientia Prædicantijs non est obex ad salutem, secus nostra Obedientia Summo Pontifici exhibita; & quòd nobis bona opera & transgressio illius Præcepti Lutheri: *esto peccator &c.* impedit ingressum salutis; sed quis nos pro bono opere tam crudeliter lapidabit; an habere & revereri Superiorem sit hæresis damnabilis?

Lutheranus. Et vos in vestra fide, & nos in nostra, sumus salvandi per Christum.

Catholicus. Igitur ex duplici suffragiô, & ex vestrô, & ex nostro Catholici sumus salvandi; vos autẽ ex solo vestro Judicio in vestra causa salutem prætendi-

tenditis. Sed tale Judicium quomodò differt à Judicio Machometanorum prætendentium quoq; salutem? Itaq; imprudenter ad nostra Castra non convolatis, in quibus tanta securitas? prudenterne potiùs eligeretis ex illa medicina salutem corporalem, quam sanam solô vestrô capriciô judicaretis, reijceretis verò proficuam & profuturam, juxta vestrum & aliorum Judicium? & cur pariter in Summo interesse salutis vel damnationis æternæ simili non utimini prudentiâ? sed placet vobis Lutheri ars & via consequendi Cœlum, per quam nullus ostenditur deviasse ab inferno; libet nempe, solùm credere, non autem benè operari, & contendere per angustam portam, & strictam viam intrare in Cœlum.

Tandem pro coronide, adducamus in medium verba S. Pauli Doctoris gentium ad Gal. cap 1. v. 8. *Sed licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquàm quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* At Lutherum, Calvinum, Zvinglium, & cæteros Hæreticos, quis Agelus instruxit? certè niger an albus; ipse de se fatetur Lutherus in Supplem. de Euchar: Omissis alijs, de quibus videri possunt facilè Bellarminus, & Cornel. à lap. comment. in epist. ad Galat. cap. 1. v. 8. Sumo

dilem-

dilemma D. Augustini lib. 2. cont. Gaudentium cap. 8. *Responde, (inquit), utrùm Ecclesia oriente Donatô, perierit, an non perierit? elige quod putaveris. Si jàm tum perierat, Donatum quæ peperit? jam tum, tot in eam sine baptismo aggregatis, perire non potuit: responde quæso, ut ab ea se, tanquam malorum communionem devitans, pars Donati separet, quæ dementia persvasit?* Pariter nobis contrà modernos hæreticos concludendum est, hoc sequenti peremptorio dilemmate. Æqvus Judex, qui fidem veram quærit, extra quam nullô modô salvari potest, judicet, utrúm id, quod dicturi sumus, non rectè consequatur? An non hæc Conclusio benè, imò peroptimè rationem convincat? An non hæc Regula sequens, sit veræ fidei Lydius lapis, veriq; dogmatis? sic procedamus:

Luthero, Calvino, Zvinglio, Mennone, aut quovis alio novatore oriente: *Vel Ecclesia, veraq; fides perijt, vel non perijt?* Porrò, hæc duo ita sunt necessariò secum connexa, ut ambo pariter idem sonent, *Vera fides & vera Ecclesia.* Quare, si vel in uno puncto, e. g. *Sanctos esse invocandos*; à vera fide aberraret Ecclesia: hæretica sit oportet, nec Ecclesia DEI, sed satanæ potiùs nominanda. Sicuti privatus quisq;, qui vel unam hæresim, tuere-

tur; licet in cæteris articulis rectè crederet, & alijs orthodoxis consentiat; non est Catholicus seu orthodoxus, sed hæreticus: quia, qui vel in uno deliquit, factus est omnium reus. Igitur resumo majorem propositionem: *Oriente Calvino* v. g. *vel perijt Ecclesia, vel non perijt.* Si perijt, adeoq; à tempore Gregorij M. ut ajunt novantes. Ergo per 900. annos, extincta fuit Ecclesia. Ergo per 900. annos, mundus totus vera fide, religione, sacramentis, Ecclesiâ, saluteq; caruit. Ergo Christus per 900. annos, sponsus Ecclesiam sponsam suam deseruit. Et tamen dicit ipse Matt. ult. *Ecce ego vobiscum sum, usq; ad consummationem sæculi.* Ergo æternum Christi regnum concidit. Ergo adversus Ecclesiam portæ inferi prævaluerunt. Imò, ultrà quid? Ergo Calvinus, vel quivis alius novator hæreticus, natus est extrà Ecclesiam; nec Ecclesiæ membrum fuit: sed potiùs infidelis, hæreticus vel paganus. Ergo à populo, à mundo audiri non debuit, recipiq; quasi fidelis; sed tanquàm infidelis, ad Ecclesiam non pertinens; fur potiùs & latro, non intrans per ovium ostium; tanquàm lupus rapax in veste ovili, potiùs contẽni debuit ac reijci. *Si non perijt Ecclesia.* Ergo in vera fide, & Ecclesia natus, baptizatus, educatus, institutus est Calvinus

vel


vel Lutherus, aut quivis alius novator. Cum itaq; in Catholica, Apostolica, Romana Ecclesiâ natus, baptizatus, educatus, institutus fuerit; illa utiq; vera erat ex hypothesi Ecclesia, veram habens fidem. Ergo cum ab ea discessit ac segregavit se per sua nova dogmata: à vera fide, se, & Ecclesia separavit, ab eaq; apostatavit. Ergo, cum aliam Ecclesiam reformatam instituit; non veram, & Apostolicam; sed falsam, & Apostaticam, schismaticam, & planè hæreticam: non fidei, sed novorum errorum sentinam, sed hæreseon magistram, & tanquàm sylvam latronum, suam scholam instituit. En scopulus! ad quem allisæ, velint nolint, pyratarum, onerariæ patiuntur naufragium. Solam navim Petri; licet à fluctibus oppressam, ast non præcipitem Christus Dominus, Dux, & Magister verus, illæsam, fortem, & inconcussam, promisiit se esse servandam usq; ud finem mundi. Amen.

Curiosa insaccatio uniùs Acatholici, indifferentiam Fidei, seu Politicorum sectam professi; facta per quendam Catholicum Polonũ.

A *Catholicus*. Nuper Scripturâ, cui titulus Colloquium mensale duorum Catholicorum cum duobus Lutheranis perlectâ, firmiter persuasus, &

indu-

inductus ſum ad non vocandum amplius indubium, etiam Catholicos eſſe in ea fide Chriſti, quæ eſt ſecura via ad æternæ ſalutis Patriam: nihilominus confido nos quoq; Acatholicos exiſtere in eadem via quæ ducit ad eundem Beatificæ Patriæ terminum; hanc meam confidentiam fundo, & deduco demonſtratione Mathematicâ, ut ajunt, in ſequenti ſchemmate:



In hac Figura, per additionem numeri ſub A. poſiti ad numerum còangulatem ſub B. poſitum, fit

sit intermedius Numerus sub D. positus. Similiter ex Numeris sub B. & C. positis, elicitur numerus sub E. collocatus. Tandem numerus sub C. positus additus numero sub A. posito, numerum efficit sub F. positum. Si autem intermedij numeri, ùt dictum est, ex additione eliciti, addantur suis oppositis angularibus numeris, faciũt hos æquales & identicos numeros tres, qui sunt positi sub litera G. Eadẽ paritas numerorum contingeret, etiamsi angulares alij quamvis disparatissimi ponantur numeri; & dictô modô sibi addantur; ex qua figura experimentaliter claret ad sensum, quòd sicut diversissimi illi angulares numeri eundẽ valorem & quantitatem efficiunt, ita diversissimæ Religiones & Fides in ijsdem angulis hujus Schematis expressæ, eandem vim & efficaciam continent perducendi ad felicitatem æternam.

Catholicus. Si ita res se habet, igitur ex ore vestro vos judico; quid vos prohibet, ut vos & nos unum Corpus Ecclesiæ & unius Ovilis Christi, sub uno Pastore multi simus? Reverâ hoc prohibens impedimentum, non aliud ostendi potest, nisi nostra Catholica necessitas, bené operandi ad salutem & non solùm credendi. Juxta illud Matt: 16. *Filius hominis reddet unicuiq; secundùm opera*

ejus; non dicitur: secundùm solam fidem ejus.

Ut tamen vivaciùs Goliath truncatus compareat suô gladió: in eadem Superiori figura ad Literam A. ponatur Thronus vel vinum, ad literam B. ponatur fimus, vel Furca; ad literam verò C. scribatur Aqva vel nihil. Ubi factâ Superiori collatione numerorum eorundem vel aliorum, nonne diceretur potiûs mente capta demonstratio, quàm Mathematica, si aliquis per tale Schema hæc tria Angularia idem valere prætenderet; & vos non minùs unâ re, quàm alia, urbanissime tractaret?

Eodem modô ad literam A. scribatur *Deus & cælestis Gloriæ lumen Beatificum*; *ad* literam B. scribatur *Diabolus & infernalis damnationis tenebræ in æternum afflictivæ*. Ad literam autem C. scribatur *vanitas vanitatum & inanitas inanitatum*; fiatque pariter numerorum ibi subscriptorum combinatio adducta; ex qua quis prudens tanti æstimabit, Deum & Regni Cœlestis æternam Beatitudinem, quanti æstimat Diabolum & inferni voraginem? quis æquali animô adhærebit uni ac alteri objecto? Talis ergo Regula observanda & tenenda est, in negotio Fidei Catholicæ, vel alterius profitendæ, per quam agitur de summa summarum, de maximo scilicet interesse salutis æternæ.

Vel ponatur in Angulis canis Lutherus, aut Calvinus, & Stercus; ex te idem valebis Lutherane quod canis & stercus terræ. Esto quod ipse vis; Catholicis dicit Christus: *vos estis sal terræ, vos estis Lux mundi*; tibi vero benè quadrat: vos estis Stercus terræ, hoc verè estis cum talibus fabulis vestris, in tam prægnanti materia, & Fidei negotiô, quæ omninò est supernaturalis, tam quò ad substantiam, quàm quoad modum; nullique demonstrationi, aut naturalis alicujus scientiæ subjecta evidentiæ, sive consequentis sivè consequentiæ: cùm Fidei habitus, sivè quivis actus ejusdem Divinæ, quà talis, & sub motivo formali spectatæ, sit per se essentialiter obscurus; argumentum rerum non apparentium, juxta Apostolum. *Quid est fides? nisi credere quod non vides*, ait Gregorius; & idem subdit: nam, *Fides ibi non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum.* Proinde omnia quæcunque Schemata, aut exempla naturalia, etiam optime inventa, & ad rem posita, non probant veram Fidem; cùm rationis naturalis, ad objectum per se supernaturale, nulla sit proportio. Sed tantùm similitudinaliter & exemplativè, admodum nostrum concipiendi in hac vita; maximè serviens pro rudio-

dioribus. Quemadmodùm Myſterium SSS. Tri-nitatis catechizando, ad captum ſimplicium, juxta mentem nonnullorum SS. PP. aſſimilamus animæ rationali in homine, tres potentias habenti, videlicet: memoriam, intellectum, & voluntatem; quæ tamen una anima eſt. Vel lucernæ ardenti quoad ceram, lichnum, & ignem, quæ tamen una candela eſt. &c.

Melius fecit quidam *Catholicus Theologus* in in convertendo ad fidem Orthodoxam aliquô Judæô, cui diſtinctionem realem inter tres Perſonas Divinas, & tamen omnium trium Perſonarum unitatem eſſentiæ ac identitatem; per figuræ hujus ſimilitudinem explicavit, eumq; Deo lucratus eſt; utinam tu quoq; pertinax Lutherane aut Calviniſta vel quivis alius hæretice, benè ſaperes & intelligeres, tuæq; ſaluti animæ provideres ſicut teneris, hoc tuo uſus Schemate in melius ſic. ponatur in Angulis figuræ triangularis, varij articuli fidei vel etiam omnes, tametſi diverſi quoad Objectum Materiale, ſive de Deo, ſive de Sacramentis, alijsq; rebus quas de fide credendas Chriſtus proponit per Eccleſiam Catholicam, Spōſam unicam ſuam; videbis Lutherane vel Calviniſta, omnia illa objecta fidei materialiter diverſa

conve-

convenire in obiecto formali sub quo, & propter quod credimus omnia, nimirum, Revelatio Divina per Ecclesiam Sanctam Orthodoxam ad credendum proposita, propter Deum, qui Prima Veritas est infinita in essendo & dicendo; quiq; nusquàm falli, nec fallere potest ullum, aut decipere.

Si itaq; uti vides in tuo Schemate à te proposito, omnes fidei articuli credendi sunt propter idem medium formale; cur tu tam imprudens es, ut unum credere velis, & aliud pro tuo libitu credere nolis? vel omnia credas oportet vel nihil; nam *qui in uno deliquit factus est omnium reus.* Si credis cum Ecclesia Catholica Christum esse Redẽptorem generis humani; tres esse Personas in Deo, & unam essentiam, &c. quæ credenda proponit Mater Ecclesia: cur ex ijs non credis verum esse Corpus Christi in Eucharistia, cultum Sanctorum, Purgatorium &c. &c. cùm sit par utrobiq; ratio credendi omnia propter idem in omnibus formale

Medium credibilitatis, nempe revelationem infallibilem per Ecclesiam.

DI-

DIALOGUS.
DE SANCTISSIMA TRINITATE.

In quo Spiritus privatus novorum Hæreticorum confunditur; & quòd Sacra Scriptura sola per se, non sit regula regulans, seu activa, sed potiùs regulatum & norma passiva: unde concluditur rectè, quòd admitti omninò debeat aliqis Judex controversiarum legitimus.

SCENA UNICA.

Argumentum.

Ex sola Scriptura nequit Lutheranus & Calvinista probare Sabelliano: DEUM esse unum in natura, & Trinum in Personis.

Nota in hac digladiatione, *quatuor* reperiri Personas, *Catholicum* seu *Orthodoxum*, *Evangelicum* seu *Lutheranum*, *Reformatum* seu *Calvinistam*, & *Sabellianum*.

Pugnam ineunt duo conspirati in tertium, id

eſt Lutheranus & Calviniſta in Sabellianum; Orthodoxô ſeu Catholicô Romanô ſpectante, & tum ultimò ſententiam juſtam ferente.

Incipit ergo.

CATHOLICUS. Legi his diebus Librum quemdam Sabelliani, ex cujus lectionis occaſione, eſt mihi ſubortum dubium circa Myſterium Sanctiſſimæ TRINITATIS.

Evangelicus. Circa hoc tibi nullatenus dubitandum eſt, ſed firmiter credendum, DEUM eſſe unum in Natura, & Trinum in Perſonis.

Reformatus. Hic eſt Chriſtianæ Fidei Articulus, ab eo nullus hominum recedere debet.

Sabellianus. Ne audieris hos duos, falſa enim te docent. qui perfacilè credit, levis eſt corde. Vera doctrina eſt, in DEO eſſe unam Naturam & unam Perſonam; quia tamen hic DEUS multis eſt ditatus officijs, & proprietatibus, ideò etiam multis gaudet nominibus; Pater & Creator nominatur, quia omnia creavit; Filius DEI & Redemptor, quia Chriſtum in hunc Mundum miſit tanquàm Redemptorem, & Mundi Salvatorem; Spiritus S. quia per Baptiſmum animas purgat & ſanctificat: hi vero tres ſunt una Natura, & una Perſona.

Evan-

Evangelicus. Hæc eſt impia, non Chriſtiana Doctrina.

Sabellianus. Hæc eſt Sancta & vera Doctrina, ac Sacræ Scripturæ conformis.

Catholicus. Ecce jam ignis eſt exſufflatus, modò aſpiciam quomodò hi tres ſibi capita conquaſſabunt, Scripturæ textus tanquàm globos explodent, baculos proijcient, & tamen nullus metam tanget: finis horum trium erit, vel nullus vel riſus,

Evangelicus. Doctrina negans Trinitatem Perſonarum, contrariatur tam Veteri quàm novo Teſtamento. Nonne Deus dicit Gen. 1. v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, nonne hæc eſt conſultatio non unius tantum, ſed plurium & trium Divinarum Perſonarum?

Sabellianus. Multum erras & pueriliter concludis: verbum *faciamus* non evincit pluralitatem Perſonarum, ſed deſignat magnam & multiplicem authoritatem in una; *dico.* in una eademque Perſonâ Divinâ; ſic loquitur Imperator, Rex: *Nos Dei gratiâ* &c. & tamen tantummodò eſt natura una & Perſona in Imperatore; & apud Magnates unus æquivalet multis.

Catho-

Catholicus. Sabellianus bene novit ſtylum au-
licum, apparet quòd inter homines fuerit.

Sabellianus. Quid tibi videtur Frater Evangeli-
ce, nonne prudenter ſcripturæ textum expoſui?

Catholicus. Evangelice, tibi hic probandum
incumbit ex Scriptura, quòd verbum *faciamus* di-
ſtinctionem Perſonarum, & non tantùm multipli-
cem authoritatem & potentiam deſignet; at hoc
nec hodie, nec cras, imo nunquàm evinces!

Evangelicus. Quid immiſces te Catholice? ego
Sabellianum brevi proſternam, adhuc plures ha-
beo textus.

Sabellianus. Et ego adhuc plures Reſponſiones.

Evangelicus. Quid dicis de paſſu Iſaiæ, *San-
ctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Iſaiæ
6. 3. verbum *Sanctus* ter repetitum, quid aliud de-
notat, quàm tres in una Deitate Perſonas?

Sabellianus. Non tres perſonas, ſed triplicem,
id eſt ſummam & ſupereminentem Sanctitatem
in eadem natura & Perſonâ Divinâ; ad eum mo-
dum planè, quô cœleſtis Sponſus, Sponſæ ſuæ
nimiam pulchritudinem laudare volens dicit: *Ecce
quàm pulchra es amica mea, ecce quàm pulchra es?*
Cant. 3. 15. hinc non infertur duplicem in ſpon-
ſa ſua perſonam, ſed duplicem & ſuper abundan-

tem pulchritudinem. Quare adiectivum uni Substantivo bis vel pluries quandoq; adjungatur, hoc apud nos benè nôrunt Grammatici, & Rhetores in Scholis.

CATHOLICUS. Sabellianus egregiè versatus est in biblijs; mirabiliter novit unum locum Scripturæ per alium explicare, & in explicatione scripturæ, modò prudentem Politicum agit, modò Rhetorē.

Reformatus. Domine Collega (ad Lutherum ait) reponite paulisper ad partem Vetus Testamentū; accipite Novum, in quo Mysterium Sanctissimæ TRINITATIS clariùs exprimitur.

Evangelicus. Sequor tuum consilium; nam tibi cave Sabelliane, hunc ictum non sustinebis; legisti ne Evangelium S. Joannis?

Sabellianus. Non solùm semel & forsan sæpiùs quàm tu?

Evangelicus, Nonne hoc modo inchoat S. Joannes: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*; vide particula *apud* facit discrimen, inter Patrem & Verbum; nā quod apud aliquam rē est, non est eadē res. Ita mea Domus, est apud tuā domum & tamen mea Domus non est tua propria Domus? Ultra progreditur: *Et Deus erat Verbum,* ecce Verbum *erat* designat unitatem Naturæ; ex vi igitur

hujus

hujus textûs habemus, in Persona distinctionem, & in natura unitatem. Hôc clarius nihil.

Sabellianus. Noli saltare antequàm tibi ludatur, ne cantes ante triumphum victoriam; particula *apud* hôc locô nequaquàm evincit distinctionem Personarum in natura Divina, sed differentiam quandam secundùm modum nimirum concipiendi & loquendi; quia nimirum in Deo varia Officia & operationes agnoscimus, ideò semel nominamus illum Patrem, modò Filium. Probo meam doctrinam exemplô naturali: Philosophi consequenter docent, tres in anima dari potentias, nimirum: intellectum, memoriam & voluntatem; apud memoriam sit intellectus, & apud intellectũ & voluntatem memoria; nihilominùs dicti Philosophi sentiunt animam esse simplicem entitatẽ, & à parte rei, memoriam, Intellectum & voluntatem esse unam rem, & unâ tantummodò subsistere subsistentiâ. Ultra confirmo doctrinam meam ex locis scripturæ. In lib Job: scribitur: *apud Deum est Sapientia & fortitudo* Job. 12. 13. Si ergo Particula *apud*, importaret diversitatem Personarum, jam concluderetur in natura Divina dari 5. Personas. Nempe Patrem, Filium, Spiritum Sanctũ, Sapientiam, & Fortitudinem: seu Potentiam; conseque-

ſequenter, tot eſſe in Deo Perſonas, quot ſunt at-tributa & Perfectiones; quòd tamen nemo hactenus dixerit, multominùs Chriſtianus affirmârit.

Catholicus. Sabellianus mirabilis eſt hoſpes; ludit textibus Bibliorum tanquàm alter magiſter perfectus, in arte & luſu taxillorum. En Evangelice & Reformate, particula *apud* non ſignificat diverſitatem in ipſo Deo, ſed ſolùm ſecundùm noſtrum concipiendi & loquendi modum; quia Eſſentiam Divinam, ejusq; infinitas perfectiones non valemus unò nomine ſeu verbô exprimere: ideò utimur pluribus verbis, & tota diſtinctio eſt tantùm in conceptibus & vocibus; in Deo autem omnia ſunt unum, Natura & Perſonæ.

Reformatus. Frater (ad Lutheranum inquit) nō debemus ſuccumbere; ſummus enim pudor foret nobis Evangelicis & Reformatis, ſi primum Fidei noſtræ articulum, ex Biblijs demonſtrare non poſſemus.

Catholicus. Res utcunq; procedunt, paulatim ad lucem redeunt.

Reformatus. Adhuc unum facio impetum; quid dicis ad verba Joannis: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo.* 1. Joan. 5. v. 7.

Sabellianus. Evangelice? quid tibi videtur de hoc textu?

Evangelicus. Hunc Fratri meo relinquo, ipse viderit tanquàm Armis tecum confligat.

CATHOLICUS. Bene facis, nam tuus Patriarcha Martinus Lutherus hunc textum eliminavit ex scriptura, proinde tibi servire nequit.

Sabellianus. Accede hùc, accede cum tuo textu, & auribus percipe meam expositionem: Particulā *tres* intellige tantùm de tribus officijs Dei, & non de tribus Personis? & ita intelligi debet, proùt modò declaro: & insolubiliter demonstro: habe in manu tua unum aureum; quæris ex alio, quot sunt ibi imperiales? ipse respondebit, duo; intellige nō secundùm formam & externam speciem imperialis; sed secundum valorem & pretium; quia hâc quantitate auri tantùm comparare possumus, quā-tum duobus imperialibus Et adhuc melius intellige: Habe in corpore tuo animam, quæ facit te crescere, intelligere, velle &c & tamen tantùm una anima licet triplici dotata potentiâ. Interim modernus Rex Poloniæ AUGUSTUS II. & Magnus Dux Lithv: Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, &c. &c. hæc est multiplex dignitas in uno Principe, Rectore, in uno homine, in una Natura, in uno supposito, in una Persona. Ita discurre pariter de Deo, & non aliter; Est unus Deus, una Natura, una Persona,

ſona, unus Dominus qui nominatur Pater propter creationem mundi, Filius propter redemptionem mundi; quia hunc per Chriſtum redemit. Spiritus Sanctus propter Sanctificationem, quia animas per Baptiſmum ſanctificat. Eodem modô, dum Chriſtus à Joanne Baptizatus eſt, non erant ibi præſentes tres Perſonæ, ſed idem Deus unicæ naturæ, Deus unicæ Perſonæ, indicavit ſuam præſentiam triplici modô, ſcilicet in humanitate Chriſti, in voce de cælo, & in ſpecie columbæ Marc. 1. Summa ſummarum: ſunt tres ratione officij non Perſonæ. Et huic tamdiu adhærebo, donec mihi contrarium ex ſcriptura oſtendatur.

Catholicus. Hoc neq; vos Lutherani, neq; vos Calviniſtæ in æternum oſtendetis. Quapropter, proteſtor coram Deo & univerſo mundo; quòd duo jam ſcripturæ Bellignari, unus Evangelicus, & alter Calviniſta, cum Sabelliano diſputârunt; omni tamen ſua peritiâ nec convincere nec hæreſeos vel erroris inſimulare damnareq; potuerint. Proteſtor illos ex Biblijs demonſtrare non potuiſſe Deum unum eſſe in natura & trinum in Perſonis; nam vos duo clamatis in ſilvam, particulam *tres* intelligēdam eſſe de Perſonarum Trinitate; Sabelliani ex Silva reclamant, intelligendam eſſe de triplici offi-

cio. Vos jactatis habere genuinum scripturæ sensum, ille contra vult suam expositionem legitimam, vestram spuriam. Vos dicitis, Spiritus internus testimonium nobis perhibet & lætificat nostram expositionem scripturæ esse veram, ille respondet: vester internus Spiritus niger est, Spiritus mendaciorum, meus verò spiritus est, Spiritus veritatis, docens me contrarium. Vos ambo estis stolidi, mente capti, siquidem sensum scripturæ,quē ego prudenter declaro, contra rationem, contra dogmata omnia, & principia Philosophiæ, contra omnes humani intellectûs Regulas, sine ulla necessitate interpretamini; nam omnes Philosophi hoc tanquam infallibili principiô nituntur: *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*; hanc regulam naturalem vos funditus evertere cogimini, & tamen omnes Sapientiæ amatores, hôc tanquàm infallibili nituntur principiô.

Reformatus. Quid loqueris Catholice? nunquid tu non ijsdem uteris textibus quibus & nos? nunquid non idem nobiscum doces?

CATHOLICUS. Ita est, & hoc probo ex Scriptura, quod vos ne utiquàm præstare potestis.

Reformatus; & quare nos non?

CATHOLICUS. Quia Scripturam juxta vestrum pri-

privatum Spiritum, vulgò Criticum dictum, qui multis erroribus obnoxius est, exponitis; neq; enim vestra expositio melior est quàm Sabellianorum, quinimo illorum, regulis humanæ mentis magis quadrat. Et quis ex vobis dicat veriùs, unus sic, alter ita testatur, quomodò eis Spiritus suus inspirat; cui ergo magis credam oportet, cùm ambo estis fallibiles, ambo eundem patrem mẽdacij sequimini? Ego explico Scripturam juxta sensum legitimæ Christi Domini Sponsæ Ecclesiæ, Matris nostræ primitivæ, juxta mentem SS. Patrum; utiq; Ecclesia est columna & fundamentum veritatis, benè supra firmam Petram fundata, adversùs quam portæ inferi non prævalebunt; quia ecce Sponsus ejus Christus nobiscum est usq; ad consummationem sæculi. Audi S. Athanasium nomine totius Ecclesiæ dicentem in symbolo, quod tota Romana Ecclesia, hoc est Catholica, seu vera & Legitima, gloriosè & cum summo Fidei Divinæ fulcro deprædicat in omnibus Breviarijs Romanis ad Dominicæ horam primam parvam: *Fides autem Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate & Trinitatem in unitate veneremur; neq; confundentes Personas, neq; Substantiam separantes. Alia est enim Persona Patris, alia Filij, alia Spiritûs S.*

Sed

Sed Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, una est Divinitas, æqualis gloria, coæterna Majestas, hanc fidei confessionem tota acceptavit & approbavit Ecclesia: Quis ergo tibi (te quoq; alloquor impie Sabelliane) potestatem fecit contra Christianitatem, contra Ecclesiam, per Annos Mille Septingentos & amplius durantem, contra quam *portæ inferi nō prævalebunt*; quam Spiritus S. docet omnem veritatem, cum qua Christus Dominus tanquam castissimus illibatus Sponsus manebit usq; ad consummationem sæculi. Cur inquam te opponis? & pugnas contra invincibilem veritatis Magistram? hoc tibi non Deus, sed diabolus pater mendacij inspiravit. Videte Fratres Charissimi, ita ego Catholicus Orthodoxus, aggredior in Christi Nomine stolidos Sabellianos, blasphemos Arianos, Sacrilegos Anabaptistas, astutos Lutheranos, impios Calvinistas, ita feliciter de omnibus triumpho: *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus S. & hi tres unum sunt.*

Reformatus. Seu *Calvinista.* Cùm tu Catholice, tam benè textus Sacræ Scripturæ, ad mentem Tuæ Orthodoxæ Ecclesiæ, scias interpretari; rogo te, quid sentias de mei Coriphæi & Magistri sententia in materia prædestinationis, quia vix mihi pos-

ſum perſvadere contrarium; quod meus Doctor Joannes Calvinus ſat acutè differens, pro infallibili veritate, reliquit in ſuis Libris; & tamen in hoc, omnis cardo noſtræ fidei, verſari principaliter videtur.

Catholicus. Libenter auſcultabor, in omni pace & charitate; jam ergo pronuntia quid habes difficultatis; Chriſtum precor qui eſt lux vera, ut illuminet tenebras mentis tuæ, & cor imflammet ad quærendam veritatem, eamq; amplectendam.

Reformatus. Nos Calviniſtæ ordinariè tali utimur dilemmate: Vel ſum prædeſtinatus, vel non ſum. Si ſum, certiſſimè ſalvabor quidquid fecero. Si non ſum, certiſſimè damnabor, quidquid egero. Nimirùm, ut infallibilitas ſalvetur Scientiæ Dei Viſionis, quàm appellatis abſolutam, futurorum abſolutè; aliàs falleretur, ſi contra eveniret.

Catholicus. Ut tibi clarè reſpondeam; præſuppono ex ſcriptura, (quam tu ſolùm admittis, dicisq; ex ſe claram eſſe;) DEUS miſericordiæ fons & omnis bonitatis proteſtatur Ezech. 37. *Vivo ego dicit Dominus, nolo mortem peccatoris &c.* Item Matth. 25. *Venite benedicti &c.* Et Joan. 5. *Procedent hi qui bona egerunt in reſurrectionem vitæ.* Et 2. ad Cor. 5. S. Paulus ait: *ut unuſquiſq; referat &c.*
Et

Et idem ad Rom. 8. *quos præscivit & prædestinavit &c.* in quæ verba D. Ambrosius lib. 5. de fide & gratia, cap. 3. *Non enim, ait, ante prædestinavit, quàm præscivit: sed quorum merita præscivit, eorum merita prædestinavit.* Unde D. Aug. lib. de præd. & gratia: *Qui creavit te, sine te; non justificabit, nec salvabit te, sine te.* Optimè hinc Corn. à lap. super dicta paulò supra, Pauli verba: A bona vi-"tâ, inquit, pendet reprobatio & damnatio. At-"qui bona & mala vita, est in arbitriô & potestate "cujusq; : quisquè enim per gratiam Dei, potest benè vivere; potest & malè si velit. Ergo electio quoquè ad gloriam, & reprobatio ad mortem æternam, est omninò in arbitrio & potestate cujusq; saltem terminativè, ùt ajunt. Hinc S. Thomas Aquinas, interrogatus à sorore sua anxiâ, quomodò salvari posset? respondit: volendo. Porrò, si tui Præceptoris Calvini argumentum valeret, æquè sic dicere posses: Deus prævidit, & determinavit quòd triticum messurus sim, vel non sim; ergo non est opus arare. Si enim scit, quòd messurus sim; hoc certò eveniet. Si scit quòd messurus non sim; frustra arabo. Similiter: si Deus determinavit me nunc moriturum; non egeo curâ medici vel medicinæ. Si scit me non moriturum

ex hac ægritudine, superflua erit cura Medici, quia sanabor etiam sine illo; ne fallatur Dei præscientia. Sicut ergò, scit Deus te sanandum; ita scit, quòd per hæc media sanitatis sis sanandus, & ideo illa tibi adhibenda sunt. Sic, si scit te collecturum triticum; etiam scit te araturum & seminaturum, sicquè collecturum; & ideò arare debes & seminare. Sic à simili: si Deus scit te salvandum; scit quòd per bona opera sis salvandus, fundata in gratia Christi; & ideo illa debes conquirere. Si scit te reprobandum; scit, quòd propter peccata & mala opera sis damnandus; ideoq; illa tibi sunt fugienda. Itaq;,

Vide quid pro parte tua concludat argumentum tuum sub dilemmate positum. Nimirum; si iste, (Calvinus, vel quisquis ejus discipulus:) est prædestinatus: (ipse Dæmon sic argumentari sibi posset) frustra laborabo ipsum tentando; quia certò salvabitur. Si est reprobatus; infallibiliter meus erit. Non est proinde necesse, ut illum tentem. Hoc non utitur argumento ipse satanas, verùm circuit quærens quem devoret. Proinde.

Cum vulgo Orthodoxorum Theologorum, sic potiùs retorqueo argumentum: Si prædestinatus sum per certa media, quæ in mea sunt potestate, ad-

adjutus gratiâ Dei, quam semper dat Deus O. M. salvabor certissimè, si illa servavero. Si reprobatus sum propter mea peccata, quæ liberè committam; certissimè damnabor, si illa patravero. Optimè hìc, Greg. de Valentia 1. p. q. 23. disp. 1. p. "4. discurrit: Si es prædestinatus; benè tibi ope-"randum est; prævisus es enim benè operaturus". "Quod si nolis operari; signum est te non esse, "prædestinatum. Ut ergo certam tuam vocatio-"nem & electionem ad gloriam facias, benè ope-"rare. Imò, addit Bress. lib. 2. cap. 95. Si cui "revelaretur reprobatio, seu futura damnatio; eum "non debere, imò nec posse absolutè sperare glori-"am; adeoq; posse de ea, saltem negativè despe-"rare, (imò, ex nonnullis, atiam positivè, tanquàm "certò futurâ: non tamen, tanquàm de impossibi-"li; quia revera simpliciter, & in sensu, ut ajunt, "scholastici, divisô maneret possibilis; quare etiam, "peccaret is se reddendo eâ indignum, tenereturq; vi-"tare peccata, nec se indignum reddere. Nam, ùt "ait Bannez 1. p. Theol. Deus habet mille mo-"dos salvandi hominem.

Reformatus. Nunc video, quòd aliquam cordis pacem apprehendere in me sentiam. Ad delibe-

randum tantisper tempus arripiam; quid ulteriùs facturus sim, scit Deus, & ego cor meum parabo.

Catholicus. Hic pulsus, proculdubiò, est Sancti Spiritûs; noli itaq; obdurare cor, scias quid facias; pete ulteriorem gratiam cum illo cœco: Domine, ut videam! Si aliquid tibi restare videtur, propone simpliciter, in quo majorem pateris ignorantiam; consule Matrem Nostram Ecclesiam Catholicam. in qua qui non invenitur, sicut olim in arca Nöé, peribit regnante diluviô totius mundi. Nam sine fide, quæ unica est, impossibile est placere Deo.

Reformatus. Rogo te, aliquos mihi resolve adhuc scrupulos, quibus cor meum anxiatur.

Catholicus. Præstò sum; loquere confidenter bone Vir, & Amice.

Reformatus. Sæpè mihi venit in mentem: cur aliqui licetsi per totam vitam suam rectè vixerint, in fine tandem subversos, miserè periisse; & è côtra? Cur bonus sinitur vivere, tandem lapsurus; nec priùs ante lapsum rapitur? Cur malus non sinitur vivere; cur diu malum vivere, non corrigendū permittat Deus corrigendus, si diutiùs viveret? Cur boni longissimas malorum persecutiones sustinent?

Cur

Cur sera ingruit malis vindicta? Cur bonis differtur remuneratio? Respondet ad hæc omnia, & alia his similia, Augustinus cum Apostolo: *O, altitudo divitiarum Sapientiæ & Scientiæ Dei! quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* At, licet si occulta, recta tamen sunt Dei judicia; quippe facit hoc occultis quidem, sed variis de caussis. Diu malum sinit vivere; velut corrigatur ipse, vel ut bonus per ipsum exerceatur; aut, ut bonorum quæ aliqua fecit aliquandò, mercedem hic consequatur. Diu vivit justus; ut justificetur magis, ut aliis exemplô sit, ut plus mereatur. Citò peccator rapitur; ne malitia mutet intellectum ejus, si duret. Sera ingruit malis vindicta; ut patientiâ Dei & longanimitâte ad pœnitentiam adducantur, ut Bonitas Dei magis elucescat. Differtur præmium bonis; ut spes probetur, charitatis puritas augeatur. Diu vivit bonus benè, tandem malè finit vel è contra: Diu vivit malus male tandem bene fecit. Et hinc verissimum esse debet; quod Christus prædixit; *Qui perseveraverit usq; in finem, hic salvus erit.* Et hinc manifestum est; quòd docet Ecclesia Catholica, in manu consilii sui positum esse hominem; cui apposuit Deus aquam & ignē, ut ad quod voluerit, extendere possit manum suam.

Et

Et hinc clarè patet, tu juxta monitum Apoſtoli, cum timore & tremore operemur ſalutem; ut ſine intermiſſione oremus, Deum O. M. nobis donum perſeverantiæ largiri dignetur. Cui ſit Soli Honor & Gloria.

A
M ✠ E
N.

ELENCHUS

Rerum præcipuarum, quæ Parte II. *Speculi Veridici*, contra Calvinistas & Lutheranos continentur.

In SECUNDA
SECUNDÆ PARTIS SPECULI VERIDICI, POLEMICÆ

Veræ Theologiæ Catholicæ,

Contra

Prædicamenta falsæ Theologiæ Lutheranæ.

In I. PARTE LIBRI

Decem Prædicamenta seu topica principia theologiæ falsæ Lutheranæ.

In II. PARTE LIBRI.

De materia Lutheranæ Theologiæ.

De

In III. PARTE LIBRI.

Pima

Icono-

Ejus-

AN-

ANTILOGIARUM

In-

Historia Thorunensis in Prussia Regali S. R Majestatis Poloniarum Anni 1724. *facta.* Lege in fine Partis II. Speculi hujus.

In Annum 1724. *Anagrammata, in quibus varia mysteria & Prophetiæ leguntur;* in ipso fine.

Chronasticon in An: 1725. *quô Liber hic ivit in Orbem.* lege ipsô in fine.

Prophetia de Lutero genuina: ibidem.

De Luthero acumina Choronostica in An: 1717. *Iubilei Lutheranici,* ibidem.

In fine ipso: Decretum *in Concilio Romano, Anno* 1725. *quoad omnes clausulas & conditiones in eadem expressas, ab omnibus observanda.*

F I N J S.

F
I
N
J
S.

DECRETUM

Concilij Romani, Annô Domini MDCCXXV.
à Sanctissimo Patre, & Domino nostro

BENEDICTO PAPA XIII.

Celebrati.

Tit. 1. Cap. 2. Constitutionis *Unigenitus* Clementis PP. XI. observantia Episcopis commendatur.

Cùm ad fidei Catholicæ Professionem integrè inviolatèquè retinendam & custodiendam, necessarium summoperè sit, ut succrescentes per hæc recentia tempora circa eandem fidem errores, à Sede Apostolicâ damnatos, fideles omnes vigilanti studiô præcaveant, & abominentur; idcirco ab omnibus Episcopis & animarum Pastoribus, totâ, ut hactenùs sollicitudine curandum est, ut Constitutio à San. mem. Clemente XI. edita, quæ incipit: *Unigenitus*, quamquè, nostræ uti ejusdem fidei Regulam agnoscimus, ab omnibus cujuscunquè conditionis, & gradùs, omnimodâ ac debitâ obedientiâ & executione observetur. Si quē itaquè cognoverint (Sive Diœcesanus aut Provincialis sit. sive exterus) in suis Diœcesibus permanentem, de Constitutione prædicta non benè sentire, aut malè loqui, in eum pro sua Pastorali potestate, & jurisdictione procedere, & animadvertere non negligant, & ubi remedij efficacioris opus esse senserint, ad Sedem Apostolicā pervicaces tales, & Ecclesiæ rebelles deferant. Invigilent etiam libros contra ipsam Constitutionē editos, aut falsas doctrinas in illa damnatas propugnantes, diligenter perquirere, eosquè sibi tradi mandent, Nobis inde, & Apostolicæ Sedi denuntiandos.

In II. Parte
SPECVLI VERIDICI
Errata corrige.

PAginâ 6. versu 1. sit: *de Sacrifico;* corrige: *de Sacrificio* pag. 10. ver: 14. *nunquid Christus;* adde: *numquid non Christus.* p. 10. v. ult. *ut Apostoli;* adde: *ut Apostoli non adverterint* p, 71. v.13. *hac;* corr: *hanc* p. 79. v. 11. *penitorem;* corr: *penitiorem.* p. 80. v. 23. *obseceris;* corr: *objeceris.* p. 128. v. 15. *imposibile. adde &* p. 133. v. 17. *cadeveris;* corr: *cadaveris.* p. 139. v. 26. *& factus:* cor: *& facetus.* p. 153. v. 12. *egat;* cor: *negant.* p. 154. ver. 2. *de ivit;* cor: *de Civit:* Dei. p. 163. v. 1. *panen;* cor: *panem.* p. 163. v. 6. *captivit;* cor: *captivit.* p. 163. v. 11. *Wirtember;* cor: *Wittember.* p. 167. v. 10. *refugiunt;* cor: *refugiant.* p. 168. v. 7. *aliquado* cor: *aliquandò.* p. 195. v. 19. *Superindentes;* cor: *Superintendentes.* p. 199. v. 10. post verbum *incontaminatam* adde *servare.* p. 206. v. 15. *percipiunt;* cor: *præcipiunt* p. 209. v. 8. *traditionimus;* cor: *traditionibus* p. 214. v. 13. *Zepherirus;* cor: *Zephyrinus.* p. 232. *præpartaoria præmitterit* cor: *præparatoria præmiserit.* p. 252. *quondcunq;* cor: *quodcunq;.*

In ipso fine ubi de hist: Thorun. Chronost: 8vô, in Annum 1725. quô liber hic ivit in orbem; *fiat, fiat;* nota sic: *fIat, fIat.*

HISTORIA
THORUNIENSIS
In Prussia Regali, Serenissimi Poloniarum REGIS.

ANnô 1724. *Mense Juliô, Festô tunc occurrente Sacratissimi Scapularis B. M. Virginis, sub tempus publicæ Processionis cum Venerabili SACRAMENTO, in Ecclesia S. Iacobi Apostoli Deo dicatarum Monialium Benedictinarum, in Nova-Civitate Thorunij, tumultus excitatus fuerat à Lutheranis ; eò, quòd zelô pietatis ductus quidam Scholaris, de capite cujusdam hæterodoxi galerum dejecerit: quem proinde Studiosum captivum strictô carceri mandari jusserat Resner Proconsul Civitatis Thorunensis, noluitquè reddi eundem Collegio Thorunensi Venerabilium PP: Soc. IESV prout debuerat, toties licet amicabiliter requisitus. Iuventus Polona Collegij præfati, viceversà per retaliationem, cæperat quemdam gymnasistam lutheranum, satis quidem cum debito respectu, non in carcere, sed locô honestô deten-*

tum, tamdiu conſervandum, donec Studioſus Catholicus reſtitueretur, cui de jure competebat. Sed Reſsner Proconſul, ſurdâ id aure pertranſiens, obſtinatè ſeſe geſſit; quinimò tertiâ die pòſt, gverram excitando in Vrbe, per Secretarium Civitatis à ſe miſſum tumultum majorem fecit, nequè populum petulantem ac conſpirantem ſectæ ſuæ, prout debuit tanquàm Præſidens Civitatis, cohibuit, imò reaccendit. Flexô itaquè in veſperam die, fex populi diſſoluti Lutherana armata irruit violenter in Collegium PP: illudq; planè diripiunt, Perſonis Sacris multa inferunt mala, vulnera infligunt, imò ipſi vitæ inſidiantur, sùs dequè vertunt res quas obvias habent in Collegio; feneſtras, & portas ejuſdem excutiunt, & alia bona mobilia quæcunq; inveniunt, deſtruunt, diſſipant, ac diripiunt Sacris ipſiſmet Imaginibus, (horreſcunt aures) præcipuè Beatiſſimæ Mariæ Virginis Immaculatè Conceptæ; ac Iconi Divi Caſimiri Patroni Regni Poloniæ minimè parcentes, ſceleſtiſſimô Iconoclaſtarum impiorum more, publicè in foro ante Collegium, igne accensô cum ingenti ſcandalo blaſphemantes Matrem DEI Sacratiſſimam Virginem, Sanctosque Patronos; quin & ipſius CHRISTI Salvatoris Noſtri Crucifixi figuram diſſecare in fruſta, & cum ſummo dedecore, Sacrilego auſu eidem rogo injjcere ad comburendum non ſunt veriti. In Comitijs proinde Generali-

rali-

ralibus totius Regni Poloniæ, subsequentibus Annô eodem 1724. Mense Septembri Varsaviæ celebratis, horrenda isthæc scelera Sacrilegiorum tot perpetrata, per Sacrosanctum publicæ Iustitiæ Tribunal judicari debuerant. Tanquàm subditi S. R. Majestatis Poloniarum, Cives Thorunenses pleriquè scelerum, factores vel fautores, juxta demerita sua, pœnis condignis sunt affecti. Quippè, non frustra, quivis Princeps, directus Dominus gladium portat, teste Apostolô ad Rom. cap. 13. Dei enim Minister est, vindex in iram ei, qui malum agit. Cujus quidem Decreti Sanctissimi, justissima executio facta est in pervigilio Festi Immaculatæ Conceptionis B. MARIÆ Virginis, Thoruniij (ut per quæ quis peccat, per eadem & puniatur) in foro publico penes Curiam Civitatis, in theatro ad hunc finem extructo, ad cæterorum terrorem, reparandumquè tantum scandalum, publicè publica puniendo, gladiô plexi sunt omnes qui scelestas manus suas in CHRISTI Domini, Matrisquè ejus Divinissimæ, & Sanctorum Imagines Sacras, ausi fuerant inferre. Vtiquè, si alicujus Principis Imagini subditi talia perpetrarent, crimen læsæ Majestatis committerent: quidni Regi Regum & Domino Dominantium CHRISTO? Serenissimæ Cæli & terræ Reginæ MARIÆ DEIparæ Virgini, & Sanctis ejus, de quibus Regius Psal-

tes: Nimis honorati sunt Amici Tui DEVS! Cives Thorunenses Hæterodoxi, in medio tanquàm Poli, Poloniarum habitantes, veluti lupi rapaces inter oves Regni Catholici, talia facere præsumpserunt. Quibus juremeritò per carnificem, priùs amputatæ sunt manus Sacrilegæ, capitaq; abscissa, ac membra corporum impiorum in frusta dissecta, in locis publicis diversis, post Vrbem palis sunt infixa. Imò auctor omnium horum scelerum principalis Resner Præsidens, legitimè convictus (quem etiam Consules hujus Civitatis tanquàm inculpatum deseruêre) judicatus in dicto Regni subsellio, omni formâ Sanctæ Iustitiæ servatâ, etiam juramentis convictus, justè decretatus in pœnam capitis, ab eodem carnifice in atrio Curiæ Thorunensis est decollatus prout meruit. Inter alia puncta, vigore præfati Sacrosancti Decreti, TEMPLVM SSmæ Virginis MATRIS DEI, quod olim Orthodoxis, hostes Fidei, Lutherani Thorunij contra justitiam eripuerant, restitutum est; ut rediret ad Dominum quod fuit ante suum, videlicet RR: PP: Bernardinis, quibus competebat juxta antiquiora etiam Serenissimorum Regum Poloniæ Decreta, quæ hucusq; varijs hæterodoxorum fraudibus ad effectum deducta non fuerant. In quod quidem TEMPLVM, ipsâ Vigiliâ Immaculatæ Conceptionis Divinissimæ MATRIS DEI, DEO sic ordinan-

dinante, Annô eodem 1724. die 7. Decembris, facta est Solemnissima Reintroductio nemine contradicente. Cujus rei gratia, & ad perennem, de hostibus suis triumphantis, Sanctæ Matris Catholicæ Romanæ Militantis Ecclesiæ, solius & Unicæ Sponsæ CHRISTI, memoriam, sequatur.

I. CHRONOSTICON

in Annum 1724.

Conteret CapVt tVVM; & tV InsIDIaberIs. *Gen. 3. v. 15.*

ANAGRAMMA.

in quibus Varia Mysteria ac Prophetiæ leguntur:

1. *Capita ruite! ut nobiscum DEVS retineat* T.
2. *I, Bernardine? tu scite, tutò capies tuum* T.
3. *I Caput, credat Thoruniam, JESVS retinebit* T.
4. *Vt citò sit Bernardine, tu capies tuum* Te.
5. *Da ceni caput Thorunium, JESVS tenebit* T.
6. *I tutè, capiatur, DEVS nobiscum retinet* T.

nb. T. id est Tēplū.

II. CHRONOSTICON

In eundem Annum 1724.

In toto CorDe Meo eXqVIsIVI, ne repeLLas! *Ps.* 118.

III. VIrgo saCrata? Da nobIs VIrtVteM Cōtra hostes (tVos & PetrI.

IV. sI DeVs nobIsCVM; qVIs Contra nos pVgnabIt?

V. DeIpara absqVè MaCVLA, torVnII Lares tVos ha-(bebIs.

TI.

VI. DeIpara! sVCCVrre MIſerIs, & IVVa. *S. Aug.*
VII. IVstIſsIMI prInCIpIs AVgVstI DeCreta fIant?
VIII. pereat nVnC MVnDVs, & fIat IVſtItIa ſanCta?
IX. LVtheranæ & CaLVInIanæ hæresI, fInIs IaM adVe-
(nIt IpsIs.
X. non sVnt faCIenDa MaLa à LVtheranIs, Vt eIs eVe-
(nIant bona.

CHRONOSTICON.

In Annum 1725. *quô Liber hic ivit in Orbem:*

I. Ipsa Conteret CapVt tVVM, & tV InsIDIaberIs *Gen.* 3
II. MagnIfICentIâ eIVs DIsCVrrVnt nVbes. *Deutor.* 33.
(*v.* 26.
III. VIrgo saCrata! Da nobIs VIrtVteM Contra hoſtes
(tVos Ita fIat.
IV. FranCIsCVs, IgnatIVs, TorVnIVM poſsIDeant!
V. MIChaeL Defenſor PoLonIæ, Verè aſsVrget In op-
(portVnItatIbVs.
VI. ConfVnDVntVr InIMICI tVI.
VII. SanCta DeI genItrIX, & SanCtI TorVnIVM tenent.
VIII. MarIa VIrgo & SanCtI, InterCeDIte pro nobIs ſer-
(VIs VeſtrIs; & fiat, fiat.

Nunc in gratiam Lutheranorum, quibus, cordati Catholici, ſinceram ad Ovile CHRISTI, quod unicum eſt, converſionem peroptamus ſerviant ſequentia, Prophetiæ, & Chronoſtica acumina.

PROPHETIA de LUTHERO GENUINA.

Apoc: cap: 13. *ver. ult. qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ. Numerus enim hominis eſt, & numerus ejus ſexcenti ſexaginta ſex.*

M 39.

M- 30.	L- 20.
A-- 1.	A- 1.
R-- 80.	V-200.
T-- 100.	T-100.
I-- 9.	E- 5.
N-- 40.	R- 80.
260.	406.

666.

Explicatio Prophetiæ hujus.

A-1.	G- 7.	N-40.	T--100.
B-2.	H- 8.	O--50.	V--200.
C-3.	I-- 9.	P--60.	W-300.
D-4.	K- 10.	Q-70.	X--400.
E- 5.	L- 20.	R-80.	Y--500.
F- 6.	M-30.	S--90.	Z--600.

DE LUTHERO
Acumina Chronoſtica.

Annus Jubileus Lutheranicus 1717.
à Lutheranis celebratus, & Chronoſticô tali ornatus :
MartInVs LVtherVs DoCtor theoLogIæ 1717.

Sed

Sed huic

in gratiam tanti Iubilei, Catholicus Vates sequentia Chronostica cum Epigrammatibus annumeravit:

I. Merthen LVther sathanæ DIsCIpVLVs 1717.

nb. Merthen germ: Martinus.

Martinus Luther, Monachus cellam atquè cucullum,
Castus dum coluit, non nego Doctor erat:
At rapiens Monachæ velum, cellamquè subintrans,
Mox factus fatuus, discipulus sathanæ.

II. MartInVs LVther, Desertor CLaVstrI. 1717.

III. MartIn LVther, & LVCIper: DVo fratres. 1717.

Luciper è cœlo cecidit; proh! casus acerbus!
E cella Luther: casus & iste gravis!
Quò cecidisse putas, istud par nobile fratrum?
Meta est, tartareus factus utriquè rogus.

IV. LVther, asMoDæl InCastVs apostoLVs. 1717.

Incastus Luther contendit Apostolus esse,
Verum Asmodæi est: id Catharina probat;
Nonne Asmodæi vox est ancilla venito
Si non vult uxor *en quoquè dicta probant.*

V. MartInVs LVther, DoLVs CatharInæ. 1717.

Ecce lupus decepit ovem, quæ debuit Agnum
Virgo canendo sequi, sed capra facta, modò
Tartareis dolet usta rogis; vis scire, dolosus
Quis deceptor ovis? quis lupus iste fuit?
Martinus Luther, Catharinæ captus amore
Sacrilegô, dolus est & lupus hujus ovis.

VI. MartInVs LVther, Catharinæ DoLor æternVs. 1717.

Sacrilegus Luther, Catharinæ æternus in orco
Est dolor: in terris qui breve gaudium erat.

VII.

VII. MartIno LVthero & LVpo Contra oVes DeI. 1717.
VIII. LVtherVs asInVs aD LIraM Cantat. 1717.

ITEM

Ex Programmate & Chronostico isto:

MartInVs LVtherVs DoCtor theoLogIæ; 1717.
In gratiam ejusdem Triumphi à Lutheranis celebrati,
Elicitur Anagramma parum, & idem Chronosticum:
Væ! horror te tVLIt, DIs MVnget ah LoCos! 1717.

Ah! Martine! satis modicum sunt sæcula punctum,
Quæ trahis æternis, jam duo supplicijs.
Ad sua, non tantò pro tempore Dis tulit antra
Te, sed tanta tibi pæna, perennis erit.
Hosque locos inter, te munget tortor averni,
Horror perpetuus, væ! sine fine tibi.

Nostrum verò Iubileum Catholicum 17. *est, quandò factus est Pontifex Romanus,*

De aLbano CLeMens. M. DC. LL. *seu Annô* 1700.
Qui etiam hoc annô 1717. *perseverat.*
CLeMens aLbanVs DeI pontIfeX. M. DCC. XVII.
&
oVIVM DeI reCtor CharVs 1717.

 SOLI

SOLI DEO,
(*LATRIÆ*)
HONOR & GLORIA;
Beatissimæ MARIÆ semper Virgini, Matri DEI, sine labe Originali Conceptæ,
Honor Hyperduliæ;
Omnibusquè Sanctis, debitus Duliæ *Cultus, & Veneratio.* Amen.

FINIS.

Annô, quô

HostILes anIMos LenIVIt CrVX TheoDorI.

